PRAXIS FRANCISCI CLARKE

omnibus qui in Foro Ecclesiastico versantur, apprimè utilis.

Per

Thomam Bladen S. T. D. Decanum *Ardferdensem*, Illustrissimo Domino Domino Duci ORMONDIÆ Proregi in HIBERNIA è Sacris.

Primò in Lucem Edita, diligenterque Recognita, & quamplurimis mendis Repurgata cum Indice satis amplo.

DUBLINII,
Per *Nathanielem Thompson*, & prostat venalis apud *Johannem Leach*, in *Vico Castelli*.
Anno Domini 1666.

6.4

Aprilis 21. 1665.

Imprimatur,

Carolus Cormock Reverendissimo in Christo Patri *Michaeli* Archiepiscopo *Dublinensi* è Sacris.

Reverendiſsimis in Chriſto Patribus

IACOBO *Providentiâ Divinâ*

Archiepiſcopo ARMACHANO, *Primati*

& Metropolitano Totius HIBERNIÆ.

Ac

MICHAELI *Archiepiſcopo* DUBLINIENSI HIBERNIÆ

Primati & Metropolitano, Magnóque

HIBERNIÆ *CANCELLARIO.*

Reverendiſsimi Eminentiſſimiq; Domini.

QUandò nuper ab inordinato rerum motu & armatâ inimicorum rabie migraſſem in ſeceſſum quietiorem, & quò animi mei tranquillitati conſulerē, ijs me dedi ſtudijs quibus & Dei gloriæ inſerviē, & meipſū è libris juris Canonici & Eccleſiaſticæ diſciplinæ erudirem, inter quos hic liber, quaſi perfectiſſimū modernæ judicialis practicæ compendium, ſolum gloriæ occupaſſe viſus eſt mihi, non ſolùm ex eo quod juriſdictionis noſtræ Eccleſiaſticæ genuinæ

praxi sit accommodatior sed quia etiam hujusmodi ordinē ac methodū tractationis observat quòd nullibi tam facile tradantur, tam subtiliter discutiantur, ac tam prudentèr resolvantur quæ in Curijs Ecclesiastici ordinariè in praxin adduci possint; unde ego, mecum firma animi destinatione statui, quamprimùm Ecclesiam Anglicanam (favente Deo) suæ restitutam disciplinæ viderem felix, eundem Typis mandare, secundum exemplaria quæ invenire potui castigatissima. Cùm autem nunc transierit annus, & in cursum metâ peractâ redierit ex quo utriusque juris peritiâ homines valde illustres, precibus mecum egerunt quàm poterant instantissimè, ut viriculas meas hac in re periclitari vellem, Nè non prosequendo quod destinassem Ecclesiasticarum jurisdictionum in hisce regnis promotioni deessem; ipsorum itaque precibus quibus non multum eguit tam inclinata animi voluntas cedendum, Reverendorum, nonnullorum Episcoporum Inasis hac ex parte obtemperandum duxi: persuasus etiam tam meo testandi erga eminentias vestras obsequij desiderio, quàm etiam huic libro consultum

fore

fore, si sub eminentissimis vestris patrociniis in publicam lucem prodiret, auspicatissimis vestris nominibus undique celebribus eundem dicavi, quod vos non ægrè laturos esse, summa ambitiosi voti postulatio est pariter ac spes mea firmissima. Hujusmodi enim studia quæ in se ipsis excoluerunt Doctissimi & prudentes (quales vos estis) non possunt non promovere in aliis.

In hac tamen mea Dedicatione, non mihi immorandos Doctores istos Sorbonicos proposui quos inanitate verborũ distendi arguit sæmelius, neque eos quibus in usu est eò transferre omnem verborum suo ũ sententiarumq; mutuatarum supellectilem ut in eos laudes uberi scaturigine effundant quibus dedicant libros; Sed eam mihi legem dixi ut Eminentias vestras vel non adirem, vel non prolixo sermone uterer, quia Ecclesiæ pariter ac Reipublicæ interest, nè quales vos estis, sũma tractantes, avocemus fatigè vel detineamus, notiores etiam sunt vestræ virtutes quam ut commendatione indigeant. Quod verò ad hunc librum spectat; per 70. annos præter propter decursos, magno in prætio habitus

fuit apud jurisconsultos omnesque praxin in Foro Ecclesiastico exercentes, eum, quasi Ducem itineris ibidem conficiendi intuiti sunt; imò quæ in eo continentur regulæ non laxioribus in Curijs Ecclesiasticis agentes vinculis obstrinxerunt, quàm si præcepta fuissent & leges obligatoriæ, non solum ab experientia & peritia, quas prolixa practicandi serie author confecutus est, sed etiam à voluminibus Decretorum, Decretalium epistolarum, Clementinarum, Sexti, extravagantium, & constitutionum provincialium, ad ordinis judiciarij viam præmonstrandam, deductæ.

Nec alicui mirandum erit, authori tantum honorem adhibuisse jurisperitos, cui venit in mentem quod eorum virtus & efficacia in causis ritè agendis & instituendis versatur, unde jurisconsultos pragmaticos fuisse vocatos, ac Zazium eò magis in juris studio profeciisse quod juris rationem usu prius quam literis didicerat, legimus.

Omnia ferè hujus libri quæ mihi videre contigit exemplaria, adeò quoad verba, sententias, imò & capita quandoque disidebant ut nulli unquam Tapetum margines visi sunt

tam

tam ridicula ac monſtroſa diſſidentium inter ſe formarum varietate pictorij, ita quod redacta fuerunt pænè omnia exemplaria ad inſtar antiquæ verſionis *Novellarum*, de qua dictum eſt olim, quod nec verborum ſyntaxis nec verus ſenſus in ea percipi potuit; id enim effecerunt quorundam falſa & indiligentia exſcripta quòd ſenſus authoris multis in locis fuit maximè turbatus, bonæque latinitatis obſervantia ita fuit diminuta, quod non ſolùm caput Priſciani malè ubiq; fere per totum librũ vapulavit, ſed & vulnera habuit quę quiſq; à latinis literis ferè alieniſſimus, videre potuit.

Neceſſe igitur habuit Priſcianus ut medicum quæreret qui vulneribus ſuis remedium parãret, paritèr ac Author criticum qui ei reſtitutionem concederet in integrum, hinc animadvertebam rem non modici laboris futurum eſſe (quod & experientia probavit) iſta duo munia rite perimplere, tanto tamen ardebam deſiderio hunc librum, genuino ſenſu reſtituto, completum reddere ſicuti, & mendarum abſterſa rubigine, & eraſa falſæ latinitatis ſcabredine, politiorem facere quod nunc tandem id pertinaci meo labore

bore efficitur, quòd non solum author si in vivis esset approbaret hanc editionem tanquam sensui suo consonam, sed tanta nunc cum eo & PriscIano intercessit, mediante hac impressione, familiaritas, quod non magnus erit inter eos posthac disidij timor.

Quantum denique per hanc editionem pretiũ operæ fecerim, aut lectores facturi sint, nè videar gloriosè vindicare meredem meam aliorum erit judicium, sin verò ex animi mei sententia evenerit quod cedat in Ecclesiæ utilitatem, non solum magnam indè percipiam voluptatem ũberemque fructum ex laboribus meis sic redditum existimabo, sed etiam ad voti culmen me veniſſe arbitrabor, ac quantum studio & labore contendere potero, curabo, ut possim alia hujusmodi in posterum ad Ecclesiæ promotionem afferre.

Interea verò nemo proniori cervice Vestras petet Benedictiones, vosque nemo felices, consetvari aDeo obnixius contendet, quam Illustrissimarum ac Reverendissimarum amplitudinum vestrarum

Servus humillimus,

THO. BLADEN.

Optimis

Optimis & eruditiſsimis adoleſcentibus juris Civilis in utraque Accademia, tam Oxonien. *quam* Cantabr. *ſtudioſis, ac amiciſsimis Curiarum Eccleſiaſticarum inferiorum Procuratoribus,* FRANCISCVS CLARKE *Almæ Curiæ* Cantuar. *de Archubus* London *Procurator ſalutem.*

QUum de libello meo (viri humaniſsimi) publicando cogitarem, non incommodum inſtituto meo fore arbitrabar, ſi prius eas rationes breviter exponerem quæ me ab ſcribendum incitarunt: Ac primò cum diligentèr ipſe mecum conſiderarem, qua potiſsimum in re meum erga vos ſtudium ac vo-

luntatem declararem, hoc mihi occurrebat opus in quo, quæ maximè cupiebam ea vobis præſtare poſſem. Etſi enim qui Iuri civili in Academijs ſtudetis maximam vos Iuris Civilis cognitionem aſſequi fateor, tamen non negabitis in ejuſdem praxi paulo quidem minus expertos eſſe vos, quam ut perfecti Iuris magiſtri haberi poſsitis : Quocirca ut cum illa quam in hac diſciplina ſcientiam aſſequuti eſtis ſingularem, praxin etiam conjungeretis, id elaboravi, id effeci, ut praxeos imaginem omnibus ſuis partibus, quantum eſt in me, depictam vobis ante oculos proponerem, quam ſi penitus intuemini non modò facilius quic-

quid

quid legeritis intelligetis, verum etiam cum in auguſtiſſimum illud Advocatorum collegium admiſſi fueritis, aliquanto ad jus civile exercendum promptiores expeditioreſque evadetis; Iam verò (inferiorum conſiſtoriorum Curiarumque Eccleſiaſticarum procuratores) habetis vos quidem (quam imitemini) eandem quæ in Archubus adhibetur & practicandi, poſtulandi & procedendi in cauſis formam, qua juſtè clientum veſtrorum cauſæ, quas inferioribus Curiis veſtris inſtituere legibus compelluntur, rectius quam hactenus in pleriſque Conſiſtoriis fieri conſuevit, ſine errore & ut lex ipſa loquitur, nullitate decidi & terminari

queant; Sepenumero ob defectum praxeios accidere, & negare enim non poteſtis, ut inſtitutæ in inferioribus curiis cauſæ, ad Curiam de Archubus appellando devolutæ, ex capite nullitatis retractentur, Clienteſque cauſas ſuas aut penitus relinquere aut de novo inſtituere cogantur: Quæ ut ſine gravi clientum incommodo fieri non poſſunt, ita Eccleſiaſticis Curiis maximum afferunt præjudicium, atque hæc prima eſt ſuſcepti operis cauſa; Secunda exteriorum hominum & eorum quidem non leviter eruditorum Curiarum noſtrarum laudatio, qui cum eiſdem interfuiſſent ac in appellationum cauſis proceſſum, modumque poſtulandi,

landi legiſſent, confeſſi certè ſunt hanc curiarum praxin non modò tranſmarinis ſuis curijs (in quibus nullum præter Ius civile redditur) antecellere, verum etiam dignam eſſe quæ ad publicã utilitatem literis cõmitteretur & in reliquis terrarum orbis imperijs exercetur. Tertia eſt meum quibuſdam Archuum noſtrarum Advocatis ſatisfaciendi ſtudium: nam cum ſæpe hac de re inter nos colloqueremur, admirari ſe ſolitos eſſe dicebant, quod cum ante actis temporibus multi & docti illi quidem Archuum Procuratores extitiſſent, nemò tamen vel unam de praxi literam fecerit: Itaque me ad illud opus ſuſcipiendum rationibus adhortati ſunt,

(*viz*) exercitatum me per triginta jam & sex annos fuisse in Archivis Procuratorem, cæteris etiam omnibus seniorem esse, in eadem Curia (ut reliqua eorum argumenta omittã) fuisse ab incunabilis educatum; Quæ cum audivissem cepi mecũ deliberare utrum honestũ mihi ac tutũ esset tam gravem causam aggredi, quam majores nostri omni me literarum genere excellentiores nunquam suscipere conati sunt; adhibebam præterea amicos in Consilium meos, quęrebamque ab eis quidnam hac in re factu optimum arbitrarentur. Si institutum perficerem cæteris illud quidem per utile, mihi verò plane inutile dicebant, addunt etiam rationem:

nem : jam enim propter ætatem & multiplicem & diuturnum plurimarum rerum usum cæteris me peritiorem existimari ideoque quas defendam fidei meæ commissas causas habere : libelli vero publicationem tum illos in tractandarum causarum scientia mihi æquales facturam, tum etiam utilitati meæ incõmodaturam : Tandem igitur cum rationes diligenter perpenderem, neque ullum præter privati cõmodi mei jacturam argumentum invenirẽ, quod impedire posset quo minus in proposito insisterem, decrevi ipse apud me non solum in suscepto opere progredi verum etiam illud pro virili absolvere : quamquam certo scio gravissimos ac

 doctissi-

doctiſſimos Curiarum de Archubus Iudices & Advocatos nullam penitus hac ex re fructum percepturos imò potius ex tam rudi opere juſtam temeritatem meam accuſandi occaſionem poſſe arripere; Tamen non dubito quin & vobis (optimi adoleſcentes) qui juri civili ſtudetis, vobiſque etiam (Procuratores amiciſſimi) qui in alijs conſiſtorijs cauſas pertractatis, non dubito inquam quin & vobis & quamplurimis gratificaturus ſim: Nam ut tribus pene verbis ſummam univerſi operis comprehendam, intelligent Quot, quæ, quibus diebus & locis, Curiæ Reverendiſſimi Archiepiſcopi *Cantuarien.* (quas vulgo Curias de Archubus appellant)

pellant) celebrantur quæ cauſæ in eiſdem tractari poſſint & ſolent, quis denique inchoandi & proſequendi cauſas, quis etiam poſtulandi & procedendi in eiſdem uſque ad finalem earundem terminationē modus & forma ſit: Quæ conſiderationes tum ad operis utilitatem indicandū, tum multos ad juris Civilis ſtudium excitandum ſatis quidem eſſe poſſint: Nam quid ego omnia ejuſdem capita ſigillatim enumerem quaſi ad hæc cōmonſtrandum res ipſa uberiorem enumerationem poſtularet; Eſt enim Civile jus opus & jucundiſsimæ ſuavitatis pleniſsimum, ac cōmuni vitæ accommodatiſsimum ut mirari ſatis non poſſum, quæ cauſę ſint cur tam pauci illud colunt, tam multi negligunt,

ſed amplius mirari deſinam; Scientia enim non habet inimicum præter ignorantem ut eſt in vetere proverbio: nam ſi & quid jus Civile ſit & quam multas ad communem vitam afferat oportunitates intelligerent, non ſolum magno amplecterentur opere verum etiam cæteris omnibus diſciplinis anteponerent: Quæ cogitatio me non ad artem aliquam juris Civilis deſcribendum (id enim fecerunt alij neque ego certe pręſtare poſſum) ſed ad praxin ejuſdem explicandum (quod hactenus à nemine noſtrorum hominum factum eſt) incitarit: Qua quidem in re, quantum profecerim, aliorum eſto judicium, ipſe mihi non aſſumam aliquid, dedi certe operam ut nihil niſi quod & rationi con-

consentaneum & multorum annorũ experientia comprobatum esset, in hoc libro includeretur : Restat jam (Academici optimi, vosque Procuratores amicissimi) non ut veniam à vobis petam si quid deliquerim (scio enim facile ac sponte vestra ignoscetis) sed ut vos orem ut si in vituperatores meos incideritis (fore enim aliquos non dubito quos tamen nihil offenderim) me & quantum potestis, excusetis, & hos labores meos equi bonique consulatis : Valete ex camera mea prope hospitium Advocatorum de Archubus vicesimo die *Aprilis* Anno à verbo incarnato Millesimo Quingentesimo Nonagesimo Sexto.

Index.

A

Causæ quę tractantur in Curia de Arebubus & in Curia audientiæ. Titul. 3
De forma committendi Administrationes & juramenti per Administratorem præstandi, Tit. 10
Absolutio brevis Regij pro corporis deliberatione, Tit. 24
Actore non prosequente causam quid faciendum, Tit. 28
Administratorum examinatio, Tit 69, 71
De Administratione plena, Tit, 98
De Administratione temeraria bonorum, Tit, 103, 106
Admissio in forma pauperis, Tit. 187, 188, 189, 190
Appellans quo casu obtinebit, Tit. 220, 236
Appellans à gravaminibus, 231
Assignatio ad audiendam sententiam, 233
Appellatio apud acta, 234
Appellatio à decreto interrogatorio, 235
De appellatione, 236, 237, 238, 248, 249, 250, 251, 258, 259
De Apostolis recipiendis, 239
De Assignatione apostolorum refutatoriorum, 240
Appellationis genera, 241
Appellatio à gravaminibus, 242
Appellatio à sententia diffinitiva, 243
De appellationis desertione, 248, 278
De Appellato appellante & appellatione, 252, 253, 256, 260, 261, 262, 263, 264, 265, 266, 267, 268, 269, 270, 279, 280, 281, 282, 283 284, 285, 286, 287, 288, 289, 290, 291, 292, 293, 294, 295, 296, 297, 298, 299, 300, 301
Absolutio, 328
De accusatoribus, Titul.

C

De Computatione, 66, 67, 68, 69, 71, 72, 73, 74, 75, 76, 77, 78, 79, 82
De Cessatoribus, Tit. 70
De Conclusione in causa, 83, 156, 157
De Citatione vijs & modis, 87
De Citato non comparente, 117
Causæ tractabiles in curijs Ecclesiasticis, 132

De

De Curatoribus ad lites, 208, ad 213
De Citatione contra Decanū & capitulum vel aliam cōmunitatem, 215
De Contumacia, 232
De Causis criminalibus, 309, ad 312
De Citatione inquisitoria, 312
De Citato comparente, 313, &c.
De Compurgatoribus, 326, 327
De Confirmatione Episcopi, 329
Causæ quæ tractantur in Curia de Archubus & in Curia audientiæ, 3
Causæ tractandæ in Curia Prærogativæ, 4
De Citatione originali, 11
Quæ continentur in Citatione, 12
De Citatione in causa matrimoniali cum Inhibitione, 13
De intimatione necessaria in Citatione in causa testamentaria, 14
De Certificatorio primariæ Citationis ad effectum obtinendi &c. 15
De modo exequendi Citationes tam primarias quam illas &c. 16
De Certificatorio executionis Citationis primariæ, & vijs & modis, 17
Quid sit Certificatorium authenticum, 18
De exhibitione Citationis coram Judice, 20
De Corporis captione excommunicati, 22
Contestatio litis in causa plenaria, 31
Compulsorium contra testes, 40
Non Comparente parte adversa, 47
De Commissarijs non transmittentibus processum &c. 54
De contemptu, 60, 61, 62, 63 64 65
De Commissione, 51, 52, 57

D

De Diebus juridicis, Tit. 1
De Dimissione partis Rex, cum expensis si Actor non libellaverit, 27
Declinatio Judicis Curiæ Prærogativæ 80,
De Divortio, 113, 114 115, 116
De Diffamatione, 118 119, 120 121 134, 141 142 143 144 145 271
De Dilapidatione, 122 123 124 125, 126
De Decimis, 127, 128, 129, 130 140, 172, 173 174, 175
137 178 179 180, 181, 185.
Dilatio evitanda, 219
Decretum interlocutorium habens vim sententiæ diffinitivæ, 244

E

Forma Excommunicationis, Titul. 20
Excommunicationis denunciatio, 21
De Excommunicati corporis captione, 22, 23
Exceptiones ante litis contestationem, 32
Examinatio testium, 39 45, 46
Expeditio commissionis, 51
Exhibitio commissionis, 52

Examinatio partis principalis, 57
Executorum examinatio, 69, 71
De Executore, 97
De Excommunicatis, 136, 138, 247, 222
De Excommunicatione, 192, 193, 194, 195, 221
De Expensis, 230, 225
Expensarum compensatio, 257
Episcopi confirmatio, 329

F

In Forma pauperis Admissio, 187, 188, 189, 190

G

Si Gesta præmissa sint in præsentia partis principalis quid faciendū, 49
De Gravaminibus confessatis, 254
De Guardianis, 328

I

De Judicibus modernis Curiarum Ecclesiast. 2
De Jurisdictione Judicum Curiarum de Archubus & audientiæ, 5
De Stylo Judicis & curiæ de Archubus, 6
De Stylo Judicis & Curiæ Audientiç *Cantuar.* 7
De stylo Judicis & Curiæ Prærogativæ *Cantucc.* 8
De forma probandi Testamenti, & Juramento in eisdem probandi, 9
Juramentum per Administratorem præstandum, 10
Juramentum testibus deferendum, 37
Interrogatoria contra testes, 38
Juramentum partis principalij, 55
Juramentum partis computantis, 66
Insufficientia bonorum, 76
Inventarium bonorum defuncti, 77, 79
Judicis Curiæ Prærogativę declihatio, 80
De institutione, 88
Instituendi juramentum, 91
De Inquisitione, 100
Juramentum Calumniæ, 151
Juramentum partis principalis, 186
Instrumentum authenticum, 289
De Inquisitione, 311, 312, 313, 314, 315, 316, 317, 318, 319, ad 329

L

Titul.

Literæ significatoriæ de Excommunicato capiendo, 23
Libellandum est Actori in die assignato, 26
Libellatione neglecta dimittitur Reus, 27
De Legatorio, 137, 171, 172
De Legati subtractione, 169, 170
De Legati oblatione, 182, 183, 184
De Liquidatione rerum adjudicatarum, 274

M

Index.

M

De Citatione in cauſa Matrimoniali cum Inhibitione, 53
Sumptus litis & Alimoniæ in cauſis Matrimonialibus, 35 36
In Matrimoniali cauſa contemptus. 60
De Matrimonio. 107 275 276. 277
De Matrimonij jactatione. 108, 109, 110 111. 112
Matrimonialis Reſtitutio. 116
Monitio ad ſolvendas decimas. 128
Manus teſtatoris. 165
Matrimonium clandeſtinum. 199
De Matrimonio contracto pendente lite. 200

N

De Nullitate ſententiæ. 302. 303

O

Oblatio Libelli in cauſa plenaria. 30
Oblatio libelli in cauſa ſummaria. 84
De Oeconomis. 328

P

Cauſæ tractanda in Curia Prærogat. 4
Procuratorium & conſtitutio Procuratoris apud acta, &c. 19
De Petitione literarum ſignificatoriarum pro corporis, &c. 22
De Petitione Procuratoris Rei in die comparitionis judicialis 25
Conteſtatio litis in cauſa plenaria. 31
Oblatio libelli in cauſa plenaria. 30
Proteſtatio neceſſaria. 32
Procurator non poteſt alium ſubſtituere ante litis conteſtationem. 33
Proteſtatio partis adverſæ eùm teſtes producuntur. 37
Petitio & proteſtatio in fine interrogatoriorum, &c. 38
Petitio teſtium 39
Procuratore partis adverſæ præſente tempore expeditionis, &c. 48
Productio partis principalis. 55
De Parte principali decretum 56 59
Proteſtatio partis Reæ 58
Prærogativæ Curiæ jurisdictio. 80. 81
Procurator non deſinit eſſe Procurator poſt mortem Domini. 94
Procurator deſinit eſſe in quibuſdam caſibus. 95
De Patronatus jure. Titul. 98 99
De Provocatione. 102, 103. 104
Probatio contentorum in propoſitis actoris ſive Rei. 162
Procuratoris proteſtatio. 163
Procuratoris reſponſa, 164
Principalis partis juramentum. 186
In Pauperis forma admiſſio. 187, 188, 189, 190
Plenariæ cauſæ 224, 225 226
Prolatio ſententiæ, 229, 230

Protestatio ad appellandum, 225
De Purgatoribus, 327

Q

Querela duplex. 84, 85, 86, 89, 90, 91, 92, 93

R

Renovatio commissionis, 53
Reo mortuo sententia concipienda. 96
Recusatio Judicis, 101
De Restitutione in causa matrimoniali. 116
Retardatio processus. 191
Revocatio confessionis judicialis. 203
Responsio insufficiens. 204, 205, 206, 207
Responsa danda per Decanum & capitulum vel, &c. 216, 217, 218
In Summaria causa oblatio libelli, 34

S

Sumptus litis & almoniæ in causis matrimonialibus 35 36
Substitutio procuratoris, 50
De Scrutinio, 159 160, 161
De Subtractione Legati, 169
De Sequestratione feminæ, 196, 197 198
De Sequestratione fructuum, 201
Scriptoris error revocatus, 202
Summariæ causæ. 227

T

De Titulis judicum curiarum Ecclesiast. 2
De forma probandi Testamenta, 9
De intimatione necessaria in citatione in causa Testamentaria, 14
Testium compulsorium 40
De Testibus latitantibus, 42 43
Testium expensarum Taxatio, 42
Tertius potest intervenire pro interesse suo, 135
De Testibus, 146, 149 152 153
Terminus probatorius, 150
De Testibus, 155, 156. 157. 158
Testatoris manus. 165
Testamenti probatio. 166
De Testibus examinandis. 167 168
Taxatio immoderata expensarum. 245

V

De Utlegato. 223

Errata.

In Epist. Dedicat. lege Læmelius, & tapetum:

In Epist. Clarc. *lege* ad *pro* ab.

Curiæ

DE CVRIIS ECCLESIASTICIS *Quæ celebrantur authoritate Reverendiſsimi* Cantuarienſis *Archiepiſcopi intra Civitatem* LONDINENSEM.

ALma Curia *Cartuarienſis* de arcubus LONDON celebratur intra Eccleſiam Parochialem Beatæ MARIÆ Virginis de Arcubus Civitatis LONDON, & antiquitùs nominata fuit ſimpliciter conſiſtorium Archiepiſcopi prout ex antiquis Statutis ejuſdem curiæ conſtat.

A Curia,

Curia Audientiæ CANTVARIENSIS tenetur in loco Conſiſtoriali intra Eccleſiam Cathedralem Divi PAVLI LONDON. Curia Prærogativæ CANTVARIENSIS etiam in eodem loco Conſiſtoriali habetur.

FRANCISCI

FRANCISCI CLARKE

Praxis in Curijs Eccleſiaſticis,

Seu

Regulæ Praxim habentium in ijſdem;

TITVL. I.

De diebus in dictis curijs pro Juridicis obſervatis.

PRima Seſſio Generalis in curia de Arcubus termino Michaelis quot annis habetur, proximo die non feriato poſt feſtum ſanctæ Fidis Virginis. Termino Hilarij proximo die non feriato poſt feſtum ſancti Hilarij. Termino Paſchæ die lunæ ad duas ſeptimanas poſt diem Paſchæ vulgariter dicta Curia proximo quindenæ Paſchæ. Termino Trinitatis proximo die non feriato poſt feſtum

ſanctæ Trinitatis. Curia audientiæ ſemper teneri conſuevit ante meridiem proximi diei non feriati poſt curiam de Arcubus. Poſt meridiem ejuſdem diei curia Prærogativæ patitur etiam teneri ſolita eſt. Deinceps autem nulli certi ſunt Statuti dies, in quibus jus publicè in dictis curijs dicatur, obſervati. Sed ſubindè poſt intervallum ſex, ſeptem, octo, pluriumvè aut paucorum dierum prout res poſtulaverit, habita (*viz.*) ratione; ut informationes (uti appellant) pro faciliori expeditione & celeriori terminatione litium in curijs antedictis pendentium debitè fiant; indeque uſu receptum eſt, quod citationes in iſtis curijs emanent ad comparendum tertio, quarto, ſexto ſeu alio die juridico tunc ſequente, quo Judicem ad jura reddenda hora cauſarum conſueta, pro tribunali ſedere contigerit. Et erit qui dem utile ſic citatis accedere ad Civitatem *London* die hujuſmodi in citatione expreſſa; ut ſi ille forſan non ſit, juridicus commodius proximo die juridico, ipſo (*viz.*) die comparitionis ſuæ adveniente, ſe in judicio legitimè ſiſtant.

Lege titulum de forma informationis.

Titvl. II.

De Judicibus modernis diſtinctum Curiarum eorumque titulis.

VEnerabilis vir Dominus *Daniel Dun* Miles Doctor eſt Officialis Principalis Almæ curiæ *Cantuarienſis* de Arcubus qui vulgariter & maxima ex parte nunc appellatur (prout per quam plurimos annos jam elapſos appellari conſuevit) Decanus de Arcubus, quod inde traxit originem, quod officialis de Arcubus olim admodum raro in civitate *London*

London commorabatur utpote qui ſæpenumero tam infra hoc regnum *Angliæ* quam in partibus tranſmarinis in negotijs Regijs occupatus eſſet: Eo vero abſente Decanus Decanatus de Arcubus (cujus juriſdictio limitibus tredecem peculiarium Parochiarum *Londinenſium* immediatè etiam juriſdictioni Eccleſiaſticæ Archiepiſcopi *Cantuarienſis* ſubditarum terminata eſt (frequenter admodum tanquam ſtatus ſurrogatus ſive ſubſtitutus ipſius Officialis, idque ex præſcripto antiquorum Statutorum prædictorum, prædictæ Curiæ, jus in eadem dicebat, ex quo tractu temporis evenit, & tanquam communi errore receptum eſt, ut etiam ipſe Officialis (dum cauſarum expeditioni vacat) Decanus de Arcubus vulgariter nuncupatur, Idem porro Officialis quandoque Officialis Conſiſtorij Archiepiſcopi alias verò Officialis ſine alia adjectione in eiſdem antiquis Statutis dictus eſt: quandoquidem Archiepiſcopus *Cantuarienſis* nullum alium tunc temporis in ſua Provincia habuit Officialem.

Venerabilis vir Dominus *Richardus Sivale* miles legum Doctor eſt Curiæ Audientiæ *Cantuarienſis* cauſarum & negotiorum Auditor.

Venerabilis vir Dominus *Johannes Gibſon* miles legum Doctor eſt magiſter cuſtos ſive Commiſſarius Curiæ Prærogativæ *Cantuarienſis*.

TITVL. III.

De Cauſis in genere quæ tractantur tam in Curia de Arcubus quam in Curia Audientiæ.

OFficialis almæ curiæ *Cantuarienſis* de Arcubus eſt Judex competens ad cognoſcendum de cauſis Eccleſiaſticis quibuſcunque non ſolum ad inſtantiam partium ſed etiam ex Offi-

cio ſuo ſive mero ſive promoto, nec non in cauſis appellationum & querelarum quarumcunque à quibuſcunque Epiſcopis Decanis & Capitulis Eccleſiaſticarum Cathedralium ſive Collegiatarum nec non ab Archidiaconis eorumque officialibus & commiſſarijs alijſque judicibus Eccleſiaſticis quibuſcunque (ſalvis ſemper & exceptis quibuſcunque peculiaribus jurisdictionibus Regiæ Majeſtati infra Provinciam *Cantuarienſem* qualemcunque authoritatem juriſdictionem ſeu notitionem Eccleſiaſticam habentibus ſive exercentibus) etiam à commiſſarijs quibuſcunque particularibus ſeu ſpecialibus Archiepiſcopi *Cantuarienſis* infra omnes & ſingulas Diœceſes ſuæ Provinciæ utpotè à commiſſarijs Archiepiſcopi infra civitatem & Diœceſim *Cantuarienſem* conſtitutus. Nec non in querelis quibuſcunque contra quoſcunque Judices prædictos (exceptis præexceptis) ob juſtitiam ſive denegatam ſive Procraſtinatam ſeu non adminiſtratam. Poteſtque officialis de Arcubus procedere & cognoſcere in cauſis beneficialibus quibuſcunque in judicio contradictorio ac per viam ſimplicis vel duplicis querelæ & inſtituere & deſtituere.

Auditor verò Curiæ Audientiæ *Cantuarienſis* habet in omnibus & per omnia conſimilem cum dicto Officiali de Arcubus juriſdictionem fuitque ab antiquo (prout nunc eſt) vigore cujuſdam ſpecialis commiſſionis vicarius in ſpiritualibus generalis dicti Archiepiſcopi *Cantuarienſis*, eoque intuitu ad eum etiam ulterius ſpectat omnis & omnimoda juriſdictio ſpiritualis, & Eccleſiaſtica cujuſcunque Diœceſis vacantis intra Provinciam *Cantuarienſem* quæ ad ipſos Epiſcopos ſedibus plenis pertinuit eandemque per ſe & ſuos commiſſarios (ſede quavis Epiſcopali vacante) exercere ſolet. Inſtitutiones inſuper tam beneficiorum vacantium in quavis Diœceſi *Cantuarienſis* Provinciæ Epiſcopo deſtituto durante vacatione hujuſmodi quam beneficiorum quorumcunque

rumcunque in Diœceſi *Cantuarienſi*. Viſitatio etiam ordinaria civitatem & Diœceſim ejuſdem Provinciæ (vacantibus ſuis ſedibus Epiſcopalibus) & punctio criminum compertorum in hujuſmodi Viſitationibus ad eum de jure & conſuetudine ſpectant. Inſuper hoc eorum utrique ex æquo competit, quod tam Officialis de Arcubus quam judex Audientiæ poterit citare quemcunque ſubditum cujuſcunque Diœceſis intra Provinciam *Cantuarienſem* (ſede Epiſcopali vacante) ad comparendum coram ſe in locis Judiciorum antedictis non obſtante Statuti pœna, infra ſub titulo (DE ELECTIONE CVRIARVM) recenſita. Siquidem per vacationem ſedis Epiſcopalis cujuſvis Diœceſis intra Provinciam *Cantuarienſem*, ipſe Archiepiſcopus *Cantuarienſis* ſit ordinarius illius loci & Diœceſis durante vacatione hujuſmodi, adeo ut ſe judiceſque ſuos antedictos licentiare poterit, ut commorantes & inhabitantes infra hujuſmodi Diœceſes (quarum ſedes Epiſcopales vacant) licitè & impune, citare & ad judicium evocare valeant, eoſque anotare ad comparendum in dictis locis judiciorum *Londini* celebratis, Statuto prædicto non obſtante.

TITVL. III.

De cauſis tractandis in curia Prærogativæ Cantuarienſis.

AD judicem curiæ Prærogativæ ſpectant probationes, approbationes & inſinuationes teſtamentorum, ac commiſſiones adminiſtrationum ab inteſtato decedentium intra Provinciam *Cantuarienſem* nimirum habentium extra Diœceſin ſive juriſdictionem peculiarem in

bona notabilia in qua moriebantur bona jura ſive credita mobilia, vel bona immobilia de quibus teſtari potuerunt ac teſtati ſunt. Quæ bona quidem notabilia ex ſtylo dictæ curiæ & conſuetudine (quæ jam invaluit) dicuntur cum ſe extendunt ad quinque libras & ultra.

In iſta curia cautæ inſtantiarum de probandis & reprobandis teſtamentis ſive primo & originaliter exhibitis, ſive alias in communi forma probatis, & de committendis & revocandis adminiſtrationibus in caſibus prædictis, vel per ipſum judicem, vel per ſurreptionem, ſupprimendo veritatem & ſuggerendo falſitatem per partes petentes adminiſtrationem contra juris & Statuti formam, vel cum poſtea conſtat de teſtamento vel adminiſtrationibus commiſſis per judicem in partibus (cum commiſſio ſpectabat ad Judicem Curiæ Prærogativæ) & de temeraria adminiſtratione bonorum; & de reddendis computis tractari ſolent, Exempli gratia, Si teſtamentum aliquod probatum fuerit in communi forma (quod fit ſolo juramento Executoris ſeu Procuratoris nomine Executoris, ſi quis habet intereſſe in adminiſtratione bonorum hujuſmodi defuncti; caſu quo deceſſiſſet ab inteſtato, poteſt vocare Executorem ad probandum hujuſmodi teſtamentum per teſtes, & ſi Executor non poteſt illud ſufficienter probare (ferenda eſt ſententia, defunctum deceſſiſſe ab inteſtato, & probatio ejuſdem teſtamenti facta in communi forma & caſſanda & annullanda. Si Executor extraneus defuncti (*viz.*) qui cum nullo gradu conſanguinitatis attingit, habet maximam partem bonorum defuncti ſit *i* lega am & dubitat nè (mortuis teſtibus teſtamentarijs) filij ſeu proximi conſanguinei, aut relicta defuncti litem in poſterum inſtituri ſunt, de viribus dicti teſtamenti poteſt (& ita communiter practicatur) vocare relictam, ac filios & conſanguineos hujuſmodi in ſpecie, ac omnes alios quoſcunque in genere qui prętendunt jus aut intereſſe in teſtamento

teſtamento dicti defuncti, ſeu in adminiſtratione bonorum vel bonis dicti defuncti, ad videndum teſtamentum hujuſmodi probari per teſtes, & facta legitima probatione obtinere ſententiam definitivam pro viribus hujuſmodi teſtamenti, ita ut nunquam in poſterum (dummodo nulla nullitas appareat in proceſſu) hujuſmodi teſtamentum infirmari aut impugnari poſſit, ſaltem ſi teſtes teſtamentarij interea mortui fuerint.

Sed de modo procedendi in his caſibus ſeu cauſis, ſuo ordine inferius tractabitur. Notandum verò eſt quod cum Executor vocatus fuerit ad probandum teſtamentum per teſtes, & illud ſufficienter probaverit, ſi pars Actrix quæ hujuſmodi teſtamentum per teſtes probari petijt poſt publicatas atteſtationes ſuper teſtamento nec exceperit contra teſtamentum nec contra teſtes nec propoſuerit aliquam materiam ad differendam ſeu impediendam prolationem ſententiæ pro viribus teſtamenti, Judex non ſolet condemnare partem victam in expenſis. Secus autem ſi propoſuerit ac in probando defecerit, tunc enim pars victa erit condemnata in expenſis, ſaltem à tempore propoſitionis hujuſmodi.

Et nota quod omnes cauſæ in dicta Curia Prærogativæ ex ſtylo ejuſdem Curiæ ſunt ſummariæ cauſæ: ſaltem ſemper in ijſdem ſummariè procedituꝛ.

Denique notandum eſt quod ſi aliquod teſtamentum ſit exhibitum ad petitionem partis cupientis illud infirmari, neceſſarium admodum eſt, ut Procurator ejus partis quæ hanc litem inſtituit ſtatim contenta in eodem acceptet quatenus faciunt pro parte ſua, nè forte, ſi aliquid legatum ſit in eodem teſtamento Domino ſuo relictum, illud amittat propter generalem negationem & impugnationem teſtamenti.

Titvl. V.

De Juriſdictione Judicum Curiarum de Arcubus & Audientiæ.

QUia ut ſupra dictum eſt conſimiles cauſæ tractantur in Curia de Arcubus & Audientiæ datur Actori electio fori utrum voluerit cauſam ſuam inſtituere in Curia de Arcubus vel Audientiæ, ita tamen ut nemo originaliter ſit citandus ad comparendum extra Diœceſin ſive juriſdictionem peculiarem in qua moratur niſi in caſibus ſubſcriptis,

1 (*viz.*) niſi his inſtituatur pro exceſſu commiſſo munere vè neglecto vel omniſſo contra fas & æquum per quemvis Epiſcopum Archidiaconum, Officialem aliamve perſonam juriſdictionem Eccleſiaſticam habentem, ſive per aliqm omnino Judicem Eccleſiaſticum,

2 3 * vel niſi in cauſa appellationis procedatur, * vel niſi agatur ex cauſa legitima in qua alterutra partium ſentiet ſeu conqueretur ſe gravatum & læſum per ordinarium loci per ejus ſubſtitutos vel miniſtros poſt inceptam & inchoatam litem quamcunque coram eodem Ordinario,

4 * vel niſi Epiſcopus aliuſve Judex immediatus ordinarius non audeat vel nollet procedere contra partem coram eo conveniendam, * vel niſi Epiſcopus aut ipſe ordinarius loci ubi cauſa ventilanda eſt, prætenderit ſeu habuerit intereſſe in hujuſmodi negotio directè vel indirectè,

5 * vel niſi Epiſcopus aut alius inferior Judex habens juriſdictionem Eccleſiaſticam ſuo proprio jure aut titulo, vel per quamcunque commiſſionem rogaverit vel requiſiverit Archiepiſcopum antedictum ejuſve officialem aut Auditorem antedictum quatenus ad ſe aſſumere & debitè examinare & terminare hujuſmodi

cauſam

cauſam velit, *vel niſi lis movenda ſit in cauſa ſuderactionis legati ubi teſtamentum ex quo petitur legatum, fuerit probatum in curia Prærogativæ *Cantuarienſis*; quandoquidem Executor hujuſmodi teſtamenti illud probando agnovit Archiepiſcopum eſſe Judicem ſuum & in eius juriſdictionem conſentijt; vel *niſi lis inſtituenda ſit tractanda in caſibus prædictis in titulo proximo præcedenti mentionatis in Curia Prærogativæ *Cantuarienſis*. 6 7

TITVL. VI.

De Stylo Judicis & Curiæ de Arcubus in omnibus citationibus, commiſſionibus & Decretis quibuſcunque.

DANIEL DUN miles legum Doctor, almæ Curiæ *Cantuarienſis* de Arcubus *Londan* univerſis & ſingulis Rectoribus, Vicarijs, Capellanis & curatis & non curatis clericis & literatis quibuſcunque per Provinciam *Cantuarienſem* ubilibet conſtitutis, ſalutem, *&c.* Sed quamvis uſu receptum ſit dirigere hujuſmodi citationes tam generaliter, poteſt tamen judex eas dirigere uni particulari ſeu mandatario ſpeciali, & non ſolet judex in hujuſmodi citationibus ſtatuere aliquem diem certum comparitionis partis reæ, ſed generaliter ad comparendum coram nobis aut alio dictę Curiæ præſidente quocunque in Eccleſia beatæ *Mariæ* de Arcubus *London*, tertio, quarto, ſexto, octavo, decimo, decimo quinto ſeu vigeſſimo die poſt citationis executionem juxta diſtantiam habitationis reæ conveniendę à loco judicij his adjectis verbis; Si juridicus fuerit, alioquin proximo die juridico

ex tunc ſequente, horaque cauſarum conſueta. Et nota quod cum judex mandatario ſpeciali committit poteſtatem quemquam citandi, ſolet etiam deſignare diem certum, & horas definitas comparitionis partis (*viz.*) tali die menſis. M. omiſſis his verbis, ſi juridicus fuerit, ut ſupra.

TITVL. VII.

De ſtylo Judicis & Curiæ Audientiæ Cantuarienſis.

OMnes Citationes, decreta, commiſſiones & reliqui judiciarij proceſſus quicunque concipi ſolent nomine & ſtylo Reverendiſſimi Archiepiſcopi & dirigi ut ſupra in curia de Arcubus ad comparendum coram Reverendiſſimo aut curiæ ſuæ Audientiæ *Cantuarienſis* cauſarum & negotiorum Auditore quocunque in Eccleſia Cathedrali Divi *Pauli Londen* locoque conſiſtoriali ibidem tertio, quarto die, *&c.* poſt citationem ut ſupra in proximo præcedenti titulo: Et auditor poteſt ex cauſis, aut mandatum citatorium dirigere mandatario ſpeciali aut diem certum & horas certas comparitionis partis citandæ conſtituere ut in præcedenti titulo plenius eſt videri.

TITVL. VIII.

De ſtilo Iudicis & Curiæ Prærogativa Cantuarienſis.

SImiliter omnes citationes commiſſiones & decreta quæcunque dictę Curiæ emanare ſolent nomine Reverendiſſimi ad comparendum in Eccleſia Cathedrali Divi *Pauli London* locoque conſiſtoriali ibidem tali die ut ſupra coram Reverendiſſimo aut Curiæ ſuæ Prærogativę *Cantuarienſis* cuſtode magiſtro aut commiſſario. Solet tamen Iudex Curię Prerogativę ex cauſis diem & horas certas exprimere in citatione pro comparitione partis reę.

Inventarium eſt ſcriptura in qua res inventæ in hæreditate conſcribuntur.

TITVL. IX

De forma & juramento in probandis teſtamentis in communi forma.

EXecutor perſonaliter ſive per aliquem procuratorem de Arcubus debet exhibere teſtamentum defuncti coram Iudice, qui miniſtrabit ei ſequens juramentum, & primo Procuratori. Iurabis quodcredis hoc teſtamentum eſſe veram & ultimam voluntatem defuncti, & quod Executor ſolvet omnia debita & legata defuncti quatenus jura volunt & facultates defuncti ad hoc extendunt, & etiam bona omnia & ſingula ejuſdem defuncti benè & fideliter faciet appreciari, & de appreciatis conficiet verum & plenum inventarium & confectum exhibebit die quem judex tunc præfiget.

Neceſſe eſt Inventarium incipi aut fieri intra 30 dies ab appertura

teſtamenti & compleatur intraduos menſes alios rebus & perſonis in præſentia partis. Vide Collat. 3 Tit. 1. de hæredibus. & falcidia. Cap. 2. Gl. Tempora.

geti Conſimile juramentum præſtabit Executor (ſi fuerit perſonaliter præſens tempore conditionis teſtamenti facti) de veritate teſtmenti, alioquin de credulitate ut ſupra ſed de cæteris præſtabit juramentum de veritate (adjecta limitatione prædicta) quatenus jura volunt & facultates defuncti ad hoc ſe extendunt. Tunc Judex dicet approbamus hujuſmodi teſtamentum & illud inſinuamus ac committimus adminiſtrationem bonorum dicti defuncti juxta tabulas teſtamentarias *N.* Executori in eodem nominato, & aſſignamus ad exhibendum Inventarium tali die.

Pars quæ habet intereſſe poteſt quærere ſi aliquid ſit ſurreptum vel non manifeſtatum in confictione Inventarij.

TITVL. X.

De forma committendi Adminiſtrationes: & juramenti per adminiſtratorem præſtandi.

AMurabis ut ſupra in præcedenti titulo de juramento Procuratoris ſcilicet quod credis defunctum deceſſiſſe ſinè teſtamento & quod fideliter Adminiſtrabis omnia & ſingula bona ejuſdem defuncti & ſolves debita ipſius quantum ad hoc ſufficiant bona, & conficies verum inventarium, *&c.* ut in proximo præcedente titulo, & quod reddes verum computum de adminiſtratione tua cum ad hoc fueris requiſitus ex officio Judicis: vel vocatus ad inſtantiam partis, vel tali die certo, ſi ita ex cauſa judicij neceſſarium videbitur, tunc Judex dicet committimus adminiſtrationem dicto, *N.* Poteſt etiam adminiſtratio peti per Procuratorem & conſimile juramentum per eum præſtari debet. Et omnis adminiſtrator tenetur idoneè cavere ad omnes effectus prædictos; nec non ad diſtributionem reſidui bonorum defuncti (ſolutis debitis funeralibus

ralibus & exteris meritis in pios uſus vel inter pauperes & conſanguineos defuncti juxta judicis arbitrium: dummodo tamen rationabilis portio allocetur adminiſtratori, & hæc cautio interponi conſuevit ad effectus prædictos in his caſibus tempore præſtationis juramenti, à tempore immemorato.

Et quamvis ſupra dicitur in prædictis titulis Iudicem ſolere aſſignare Executori terminum ſive dietam pro Inventario exhibendo, & adminiſtratori tam ad exhibendum Inventarium quam etiam ad exhibendum ſeu reddendum computum ſuper adminiſtratione ſua in bonis dicti defunct. cum ad hoc fuerit requiſitus; tamen non obſtante utraque aſſignatione hujuſmodi, legatarius proximi conſanguinei, & creditor poſſum vocare Executorem ac adminiſtratorem ad exhibendum Inventarium, & ad reddendum computum non obſtante aſſignatione aut dilatione prius data per Iudicem ex officio ſuo aut latius in quibuſdam titulis ſequentibus apparet.

TITVL XI.

De Citatione Originali.

IN Curijs ſupradictis ſolent Citationes originales ſive primariæ: & inhibitiones à ſententijs diffinitivis ſeu gravaminibus latis & illatis per Iudices inferiores (ſine difficultate per Iudices de Arcubus & Audientiæ) qui dicuntur Iudices à quibus eſt appellatum concedi. Pars enim aut Procurator ejus, Iudicem adibit cum citatione & inhibitione in ſcriptis conceptis & ad ſigillum paratis, qui requiſitis ſigillum officij ſui apponi mandare ſolet. Nota

Nota quod antiquitus per hos centum annos ut ex Archivis Curiæ de Arcubus apparet, omnes citationes & inhibitiones concipi ſolent per Procuratores de Arcubus, & non per Apparitores, ſollicitatores & alios imperitos quod his diebus eſt quotidianum in dedecus dictarum curiarum & multoties in damnum & præjudicium litigantium.

TITVL. XII.

Qua continentur in Citatione.

IN Citatione continentur nomen Judicis & commiſſio Iudicis ſi ſit delegatus, & non Iudex ordinarius, & cujus curiæ ſit Iudex, Nomen actoris, nomen rei, cauſa ob quam lis inſtituenda ſit, locus comparitionis Rei, & dies certus comparitionis. (*viz.*) tertio die poſt executionem citationis ſi intra Civitatem *London* & Suburbia ejuſdem pars citanda habitat, vel tempore executionis ejuſdem fuerit, alioquin ſi extra Civitatem *London* & Suburbia ejuſdem, quarto, ſexto, *&c.* juxta loci diſtantiam his adjectis verbis. Si Iuridicus fuerit alioquin proximo die Iuridico quo Iudicem ad jura reddenda ſedere contigerit; ut ſupra in titulo de ſtilo Iudicis & curiæ de Arcubus.

TITVL. XIII.

De Citatione in cauſa Matrimoniali cum Inhibitione.

SI agens in cauſa Matrimoniali credit vel dubitat partem ream citandam velle (lite pendente) ad alia vota convolare, (id eſt, cum alio contrahere aut ſolemnizare Matrimonium) curare poteſt ut in citatione inſeratur inhibitio contra partem ream, nè (lite hujuſmodi) pendente convoleſ ad alia vota Matrimonium vè aliunde contrahat, & quod ſi de facto ante executionem citationis contraxerit, illud, in facie Eccleſiæ ſolemnizari non procuret ſub pœna juris vel contemptus, ſi autem actor exiſtimet vel ſuſpicetur aliquem intendere Natrimonium ſolemnizare cum parte rea poteſt in eadem citatione obtinere generalem inhibitionem, (*viz.*) tam in ſpecie contra partem & perſonam quam in hoc ſuſpectam habet, quam in genere contra quoſcunque alios nè (lite hujuſmodi indiſcuſſa pendente) faciant aut attemptent aliquid in præjudicium ejuſdem litis ſub pœna juris & contemptus.

Lege titulum de intimatione generali in cauſa Matrimoniali & titulum de puniendis perſonis ſolemnizantibus vel contrahentibus Matrimonium.

Titvl. XIV.

De intimatione neceſſaria in citatione in cauſa Teſtamentaria

SI ille qui cupit Teſtamentum probari per teſtes vereatur nè ſi nimis longa mora protrahatur per reum in non comparendo teſtes teſtamentarij ſatis cedant probationeſque ejus neceſſariæ pereant, vel ſi Executor cupit expeditionem, cauſæ poteſt curare ut in primaria ſive originali citatione, de qua ſupra in titulis de cauſis tractandis in Curia Prærogativę facta eſt mentio. Si Executor & ſi intimatio inſeratur ſub hac vel conſimili forma, (*viz.*) Intimetis inſuper ſeu intimari faciatis peremptorie prędictis citatis tam in ſpecie quam alijs quibuſcunque in genere; Quod ſive ipſi die & loco prædictis comparuerint, ſive non, nos aut alios dictæ curiæ noſtræ Prærogativæ Magiſter, cuſtos ſive commiſſarius ad recipiendam juramenti præſtationem & extra minationem dictorum teſtium, eorumque dictorum & depoſitionum publicationem procedere intendimus, ſeu intendit, eorum abſentia ſeu potius contumacia in aliquo non obſtante.

TITVL. XV.

De certificatorio primariæ Citationis ad effectum, obtinendi Citationem vijs & modis, Et de ipſa Citatione vijs & modis.

SI Citandus latitat vel ſe abſentet quamvis citari poſſit, (licet mandatarius in ea parte ad effectum citandi reum debitam adhibuit diligentiam) certificanda eſt hæc citatio perſonaliter per ipſum mandatarium vel per certificatorium authenticum (ut in titulo de certificatorio executionis citationis) in quo certificatorio contineatur quibus diebus ac in quo loco, utpote apud Ædes & Eccleſiam Parochialem partis citandæ, vel (ſi Reus non habet certum domicilium) ubi frequentari ſolebat, quæſivit partem ad effectum eam citandi & quod ita latitavit, quo minus eum perſonaliter apprehendere potuit: quâ citatione (cum certificatorio de executione) modo & forma prædictis introductâ, Procurator actoris (eique procuratorio exhibito pro actore) ut in titulo de exhibitione citationis) dicet exhibeo mandatum noſtrum originale (*viz.*) dictam citationem primariam, una cum certificatorio in dorſo ejuſdem & allego, *N.* in mandato hujuſmodi nominatum fuiſſe diligenter quæſitum ad effectum citandi eum juxta tenorem dicti mandati, & quod latitavit & latitat quo minus perſonaliter poſſit citari (prout in dicto certificatorio continetur.) Quare peto eundem, *N.* citandum fore decerni ad effectum quo prius perſonaliter; ſi ita poſſit apprehendi

hendi: Alioquin vijs & modis omnibus quibus melius notitia hujuſmodi citationis ad eum de veriſimili pervenire poſſit ad comparendum die & loco atque ad effectum in dicto mandato ſpecificialis. Tunc Judex decernimus: ſtatuendo diem pro comparitione partis in citatione hujuſmodi quæ dicitur citatio vijs & modis; & hic mentio facienda eſt de emanatione & certificatorio prædictæ Citationis primariæ.

TITVL. XVI.

De modo exequendi Citationes tam primarias, quam illas quæ dicuntur Citationes vijs & modis.

QUilivis literatus licet non intelligat linguam latinam dicitur & admittitur ex longo uſu Idoneus, in hac parte mandatarius (oportet tamen ut ſit literatus quod poſſit literas ſcriptas vel impreſſas legere) qui mandatarius debet oſtendere citando mandatum citatorium, ſub ſigillo Judicis communi & virtute ejuſdem debet citare partem ream ad comparendum tali die & loco in mandato prædicto expreſſis, ac coram tali judice ad reſpondendum *N.* in tali cauſa, & ſi citatus petierint copiam hujuſmodi citationis tenetur mandatarius eandem ſibi tradere caſu quo folvere voluerit pro eadem *ſex denarios, ſi ſit uſualis vel ordinaria citatio utpote ad reſpondendum in cauſa ſubſtractionis decimarum, diffamationis vel legati, &c. Sed ſi ſit citatio extraordinaria continens inhibitionem vel intimationem, atque ita magis prolixa ac plura in ſe habens, tunc duodecem denarios pro copia ejuſdem citationis ſolvet ſi eam habere velit dicta verò citatio vijs & modis eſt in hunc modum exequenda. Pre-

*Copia citationis, vj.

*si prolixa, xij.

Procurator curabit veram copiam ejuſdem exſcribi & mandatario una cum mandato citatorio tradi, Mandatarius vero adibit ædes & Eccleſiam Parochialem eitandæ partis ubi citabit eandem partem perſonaliter, ſi ita apprehendi poſſit. Sin minus tunc aliquo tempore celebrationis divinorum in dicta Eccleſia affiget mandatum in foribus Eccleſiæ predictæ, & poſtquam ſic affixum ſteterit per mediam unius horæ partem, re aſſumpto mandato affigere debet copiam ejuſdem in foribus Eccleſiæ, & ibidem eandem dimittere, vel poteſt hoc mandatum & copiam ejuſdem affigere foribus exterioribus habitationis partis reæ, ita ut de veriſimili notitia ejuſdem ad aures partis citandæ pervenire poſſit.

TITVL. XVII.

De Certificatorio Executionis Citationis primariæ & vijs & modis.

MAndatarius tenetur perſonaliter intereſſe coram Judice ad certificandum & fidem faciendum per juramentum corporale de executione citationis & forma ejuſdem, vel ſaltem ipſe mandatarius vel actor ſignificare debet procuratori actoris ante diem comparitionis partis, citare nomen mandatorij, diem & locum in quo reum citavit ut Procurator Actoris poſſit concipere certificatorium authenticum de executione ejuſdem & in certificando citationem vijs & modis, certificandi ſunt dies & locus in quibus mandatarius quæſivit reum, & quoniam non potuit perſonaliter eum apprehendere affixit dictum mandatum ut ſupra; ſed ſi quæſivit reum uno die & in caſu prædicto affixit mandatum alio die utrumque hoc & dies in quo quæſivit partem & dies quo ut ſupra affixit certificandi ſunt. TITVL.

Per juramentū corporale

TITVL. XVIII.

Quid ſit certificatorium Authenticum.

CErtificatorium authenticum hoc in ſe potiſſimum continet, (*viz.*) concipitur nomine mandatarij, dirigitur Judici cum ſolito ſuo ſtilo, inſeruntur in eodem, dies & locus in quibus citatus fuit reus, ac cauſæ comparitionis ſuæ & in fidem & teſtimonium eorundem apponitur ſigillum aliquod authenticum, (*viz.*) alicujus Archidiaconis, Officialis ſive commiſſarij vel Decani ruralis quibus certificatorijs in omnibus cauſis à tempore in memorato & ex ſtilo hujuſmodi curiarum adhibita fuit fides, perinde ac ſi ipſe mandatarius perſonaliter feciſſet fidem de executione; Licet tamen parti gravatæ per hujuſmodi certificatorium (ſi fuerit fictum ac minus verè conceptum & velatum) contra illud objicere idemque reprobare vel impugnare prout in quodam titulo particulari ſubſcripto latius apparet. Et notandum eſt quod in omni certificatorio authentico Archidiaconus, Officialis, commiſſarius vel Decanus ruralis qui dicto certificatorio Sigillum officij ſui appoſuit, teſtificare debet ſe ſigillum hujuſmodi appoſuiſſe ad ſpecialem ſive perſonalem requiſitionem mandatarij, alias non valet hujuſmodi certificatorium nec dicitur authenticum. Hoc objectum & obtentum novi.

TITVL. XIX.

Quid ſit Procuratorium & conſtitutio Procuratoris apud acta & quomodo fiat.

PRocuratorium, (de quo ſupra dicitur) eſt poteſtas ſeu mandatum quod datur Procuratori à Domino ad comparendum pro eo, & ad agendum pro eo omnia quæ ipſe cliens ageret, ſi præſens perſonaliter eſſet; cum poteſtate alium loco ſuo ſubſtituendi quoties neceſſario abfuerit, & ut hoc Procuratorium fiat authenticum ſolet Sigillari Sigillo aliquo authentico juxta ea quæ ſupra dicta ſunt in titulo, de certificatorio executionis citationis, & titulo; Quid ſit certificatorium authenticum. Conſtitutio autem Procuratoris eſt, quando cliens ſive judicialiter apud acta, ſive coram Regiſtrario Judicis conſtituet Procuratorem ad effectus prædictos, vel ſi hæc conſtitutio alias facta coram aliquo Notario publico fuerit exhibita ſub inſtrumento publico ejuſdem Notarij (ſtipulationem recipientis) vel hujuſmodi conſtitutionem in formam publici inſtrumenti redigentis.

TITVL

Titvl. XX.

De exhibitione Citationis coram Judice & de forma Excommunicationis.

PRimo Procurator actoris in die comparitionis partis reæ aut procurabit Actorem intereſſe in judicio perſonaliter ad conſtituendum eum in procuratorem vel exhibebit procuratorium alias, per eum in ſcriptis conceptum ac authentice, ſigillatum ut in præcedenti titulo mentionatur dicendo ut ſequitur.

A: Exhibeo procuratorium meum apud acta factum' ſi ita fuerit conſtitutus, vel literatoriè cùm procuratorium ſit in ſcriptis conceptum per *N.* Actore & facio me partem pro eodem & exhibeo mandatum originale cum certificatorio in dorſo ejuſdem, (vel ſuper ejus executione mandatarius præſens in judicio faciet fidem) * & accuſo contumaciam, *N.* citati ad comparendum coram vobis iſtis die & loco, *N.* Actori in tali cauſa (exprimendo cauſam) de juſtitia reſponſuri, prægognizati & non comparentis, quare peto eum reputari contumacem & in pænam contumaciæ ſuæ hujuſmodi excommunicari, tunc Procurator Actoris porriget Iudici ſchedulam excommunicationis in ſcriptis debitè conceptam, tunc Iudex mandabit reum trina vice per præconem curiæ publice præconizari, quo facto reoque non comparente dicat Iudex, Nos pronunciamus *N.* contumacem, & in pœnam contumaciæ ſuæ hujuſmodi decernimus eum eſſe excommunicandum, & tunc leget ſchedulam excommunicationis prædictæ, vel ſi Iudex non ſit in ſacris ordinibus

ordinibus conſtitutus, illam legendam Præsbytero per Archiepiſcopum ad hoc conſtituto tradet, iſte Præsbyter ad hujuſmodi effectum judicialiter ſedet cum ipſo Judice.

Sed nota quod ſi poſtea, eodem die, reus per ſe ſive per Procuratorem ſuum comparuerit, eſt abſolvendus à dicta excommunicatione, ſine expenſis contumaciæ (ſolvet tamen ſex denarios pro actu & lectura ſchedulæ excommunicationis) quia ut receptum eſt, tota dies debetur pro comparitione rei, & literæ denunciatoriæ excõmunicationis hujuſmodi nonſolent extrahi nec Sigillo Judicis communiri ſaltem parti tradi eodem die quo ſententia excommunicationis lata fuit, & ex ſtylo curiarum, dicitur legitima comparitio, ſi Procurator rei aliquo tempore diei in quo pars rea comparere debuiſſet dimiſerit penes Regiſtrum procuratorium authenticum pro reo excommunicato.

Titvl XXI.

De modo denunciationis Excommunicationis.

SI reus ut ſupra, excommunicatus, nec per ſe, nec per Procuratorem ſuum comparuerit, Procurator Actoris concipiet in ſcriptis, literas denunciatorias excommunicationis prædictæ & eaſdem Sigillo Judicis communiri faciet, mittetque rectori, vicario ſive Curato Eccleſiæ Parochialis perſonæ excommunicatæ, ad denunciandum & publicandum eaſdem divinorum tempore aliquo die feſtivo ſive dominico: Quibus denunciatis ſive publicatis Rector, Vicarius, Curatus vel alius Præsbyter, qui eas publicavit ſeu denunciavit, debet perſonaliter aut per

ſuas literas, aut per Chirographum ſuum eiſdem literis excommunicationis appoſitum, certificare hujuſmodi denunciationem ac nomen & cognomen denunciantis, ac diem & locum publicationis earundem, eaſdemque literas denunciatorias tradere parti ad cujus inſtantiam impetratæ fuerunt, & eaſdem debito tempore certificare & in curiam referre poſſit ut in ſequenti titulo.

Hic admonendi ſunt illi qui capiunt dictas literas denunciatorias publicari ut debito tempore, (id eſt,) die præcedente diem illam Dominicam ſeu feſtivam in qua denunciationem prædictæ excommunionis petnnt, vel ſaltem eadem die ante inchoatas præces matutinas vel veſpertinas dictas literas denunciatorias tradant Rectori, Vicario ſeu Curiato antedicto, ut ille eaſdem legat, ac quod ad officium ſuum in ea parte ſpectat, ſciat, & tunc requirant ut divinorum tempore publicentur literæ denunciatoriæ hujuſmodi.

Deinde caveant Rectores, Vicarij & Curati antedicti quod ſi debito tempore, modo præmiſſo, rogati fuerint ad publicandas dictas literas excommunicationis, ſine dilatione illas publicent & publicatas modo præmiſſo tradant & certificent; nam ſi hoc non fecerint corigi & puniri poſſunt etiam per ſuſpenſionem ab eorum functione per Judicem cujus nomine & authoritate literæ denunciatoriæ hujuſmodi emanarunt; Nam meminiſci debent quod non ſolum per literas denunciatorias hujuſmodi eis ſtricte mandatur ad publicandum & denunciandum dictas literas excommunicationis immediatè poſt receptionem earundem, ſed etiam ad certificandum Judicem eaſdem concedentem de die modo & forma denunciationis earundem una cum eiſdem literis denunciatorijs.

TITVL. XXII.

De Petitione literarum ſignificatoriarum pro corporis Captione excommunicati.

SI reus excommunicatus & (ut præfertur) denunciatus, nec per ſe per Procuratorem infra quadraginta dies poſt denunciationem literarum Excommunicationis comparuerit, mandatum Originale dictarum literarum cum certificatorio authentico in dorſo ejuſdem, eſt coram judice exhibendum, ſub hac forma.

Ego *N.* exhibeo mandatum originale denunciatorium cum certificatorio in dorſo ejuſdem & allego *M.* in hujuſmodi mandato nominatum fuiſſe & eſſe authoritate veſtra excommunicatum ac pro excommunicato debitis loco & tempore publicè denunciatum, & quod in hujuſmodi ſententia excommunicationis per quadraginta dies & amplius poſt earum denunciationem animo pertinaci & indurato juriſdictionem Eccleſiaſticam nequiter contemnendo perſeveravit, & adhuc perſeverat prout in certificatorio prædicto per me jam exhibito apparet: Quare ſcribendum fore peto decerni Regiæ Majeſtati pro ejus corporis captione; tunc Iudex: decernimus ut petitur.

Titvl. XXIII.

De literis ſignificatorijs & brevi Regio de excommunicato capiendo.

HOc decretum ſignificatorium Actor ſeu ejus Procurator ſub Iudicis Sigillo tanquam teſtimoniale impetrabit, directum Regiæ Majeſtati & tradet Regni Cancellario vel alij officiario in Curia Cancellariæ ad hoc conſtituto à quo habebit breve Regium de excommunicato capiendo directum vicecomiti illius Comitatus in quo excommunicatus habitat, per quem ſi apprehendi poſſit incarcerabitur donec comparuerit per Procuratorem & fuerit per Iudicem abſolutus, & ſatisfecerit Eccleſiæ, pro contemptu & parti adverſæ, pro expenſis contumaciæ, ſed hic notandum eſt quod in Curia Cancellaria ſunt quidam Clerici qui dicuntur, (*the Curſitors of the Chancery,*) quibus ſi literæ ſignificatoriæ tradantur, curabunt breve Regium Sigillari, & pro quolibet comitatu ſunt hujuſmodi officiarij ad hunc effectum conſtituti.

TITVL. XXIV.

De literis ſignificatorijs ſuper abſolutione de brevi Regio pro corporis deliberatione.

PRocurator excommunicati poſtquam exhibuerit Procuratorium ſuum pro excommunicato debet præſtare juramentum, quod credit Dominum ſuum de cætero parere juri & ſtare mandatis Eccleſiæ licitis & honeſtis; & ulterius Procurator petens abſolutionem Domini ſui, realiter ſolvet parti, ſeu Procuratori partis adverſæ (ſi ejus preſentiam habere poterit) alioquin deponet apud acta penes Regiſtrum expenſas (ut appellant,) contumaciæ quæ per Judicem taxabuntur. Quibus ſic geſtis, Judex abſolvet excommunicatum, & eum communioni fidelium reſtituet, & ad petitionem Procuratoris ſui decernet ſcribendum fore Regiæ Majeſtati pro deliberatione corporis excommunicati è carceribus, & eodem modo hujuſmodi breve Regium de excommunicato deliberando eſt obtinendum & dirigendum, cui prædictum breve Regium de excommunicato capiendo ſic obtentum, directum fuit.

Notandum autem eſt, quod quoties Procurator Actoris non fuerit præſens, ad exhibendum billam expenſarum contumaciæ, & petendum taxationem earundem, tempore quo abſolutio prædicta petita fuerit, toties Procurator rei (petens abſolutionem) præter expenſas per Judicem (ut ſuperius dicitur taxatas & apud Regiſtrum depoſitas) debet cautionem interponere juratoriam aut pignoratoriam de ſolvendo alias expenſas ratione contumaciæ hujuſmodi, expoſitas & per dictum Judicem taxandas, caſu quo pars adverſa docuerit plu-

res expenſas ratione contumaciæ parti ſuæ deberi, quam quæ prius taxatæ fuerant, & Iudex in hoc caſu cùm ſibi conſtiterit majores expenſas factas fuiſſe ratione contumaciæ, debet deinceps expenſas in priori taxatione omiſſas parti petenti allocare, & partem adverſam ad ſolutionem earundem compellere non obſtanti anteriori ſua taxatione. Ratio iſtius ſecundæ taxationis expenſarum eſt, quia expenſæ contumacię non ſunt rectæ, ita quod pars petens abſolutionem non ſcit quas deponeret expenſas, nec Iudex quas taxabit. Nam quamvis certum ſit excommunicatum teneri ſolvere duos denarios pro quolibet miliari quo locus ſolitæ ſuæ habitationis diſtat à loco Iudicij, ignoratur tamen quot brevia Regia de excommunicato capiendo Actor obtinuit, prius quam excommunicatus captus fuerit, neſcitur etiam quas expenſas Actor erogavit in & circa apprehenſionem excommunicati, nam expenſę hujuſmodi omnes dicuntur expenſę contumaciæ ac eo nomine allocandæ & taxandæ ſunt.

TITVL. XXV.

De Petitione Procuratoriꝰ rei in die comparitionis ſuæ Judicialis.

DIcat Procurator rei, exhibeo Procuratorium meum pro *N.* & facio me partem pro eodem, & peto libellum vel partem meam dimitti una cum expenſis. Tunc Procurator Actoris aut dabit libellum, aut petit terminum ſibi aſſignari ad libellandum in proximo die Iuridico, & Iudex aſſignabit Actori ad libellandum in proximo vel ſecundo die juridco ſi hoc ab eo petatur, ac gravitas cauſæ illud requirat.

TITVL.

TITVL. XXVI.

Quid faciendum ſit ſi Actor in die aſſignato ad libellandum non curaverit dare libellum.

IN die aſſignato actori ad dandum libellum, dicet reus vel rei Procurator, peto libellum juxta veſtram aſſignationem, vel partem meam dimitti una cum expenſis, tunc Iudex poteſt ex gratia, vel cauſâ allegatâ per Procuratorem Actoris ſine juſto gravamine, ſtatuere alium diem ad libellandum, ſolutis tamen reo duodecem denarijs pro expenſis retardati proceſſus illius diei; hæque ſolutio duodecem denariorum ab antiquo fieri conſuevit, & obſervabatur pro ſtylo Curiæ: nunc vero per aliquos retractos annes hujuſmodi pecunia per Procuratorem rei petita non fuit, ex quo evenit quod Procuratores plerique ſint negligentes in non libellando & aliquando habent de die in diem tres ad minus dies juridicos ad libellandum.

TITVL.

TITVL. XXVII.

De dimiſſione partis reæ cum expenſis ſi Actor non libellaverit.

I in die aſſignato ad libellandum Actor non dederit libellum, dicet reus ut ſupra in præcedenti titulo. Tunc Iudex : dimittimus partem una cum expenſis quas Iudex ad treſdecem ſolidos & quatuor denarios juxta ſtylum Curiæ (præcedente petitione partis reæ) taxabit, & decernet monitionem ad ſolvendum hujuſmodi expenſas ut in ſecundo ſequenti titulo.

Notandum hic eſt quod quamvis communiter judicatur taxationem expenſarum (ſine juramento partis eas taxari petentis de vera taxatione earundem, ſcilicet partem ſuam ſummam taxandam, vel taxatam expoſuiſſe) nullam eſſe; & ſi appellatur ab eadem, appellans obtinebit, tamen in hac taxatione expenſarum in non libellando, non requiritur nec præſtari ſolet juramentum prædictum, Ratio eſt quia ex ſtilo Curiæ, hæc ſumma tredecem ſolidorum & quatuor denariorum debetur, quamvis reus expoſuerit vel non expoſuerit tantam vel majorem ſummam.

TITVL.

TITVL. XXVIII.

De Petitione Procuratoris partis rei cum actor citavit reum & non proſequitur cauſam.

PRocurator rei dicet, exhibeo Procuratorium meum pro *N.* ac facio me partem pro eodem ac allego Dominum meum fuiſſe citatum ad comparendum iſtis die & loco ad reſpondendum *M.* in tali cauſa, & quod idem *M.* non curat proſequi cauſam hujuſmodi, quare peto cum vocandum fore decerni erga talem diem ad proſequendam hujuſmodi cauſam ſub pœna finalis dimiſſionis una cum expenſis, Tunc Iudex: decernimus; ſtatuendo diem comparitionis Actoris juxta diſtantiam habitationis à loco judicij, ſi hoc mandatum citatorium ad proſequendum fuerit debitè executum & relatum, ac Actor publicè trina vice præconizatus, in die prædicto pro ejus comparitione conſtituto, non comparuerit, nec hujuſmodi cauſam proſequutus fuerit, pronunciandus eſt contumax, & in pœnam contumaciæ ſuæ hujuſmodi, Reus eſt dimittendus cum expenſis, quæ ſunt taxandæ (nulla porrecta ſchedula) ad ſummam quatuor nobilium juxta antiquum ſtilum omnium curiarum Archiepiſcopi *Cantuarienſis*: & decernenda eſt monitio ad ſolvendum eaſdem, ut infra. Sed nota quod quamvis Procurator rei non comparuerit, nec petitionem fecerit, Actorem vocandum fore ad proſequendam cauſam, in ipſo die ad quem reus ut ſupra dictum eſt citatus fuerat; tamen ſi vult poteſt alio die quocunque comparere & prædi-

ctum decretum ad proſequendum petere, ut ſupra; omittendo quod fuit citatus erga illum diem & allegando generaliter, quod Dominus ſuus fuit citatus ad reſpondendum, *M.* in tali cauſa, & quod non ſit eandem proſequutus, ut ſupra.

Et etiam nota quod ſi Actor ſic citatus comparuerit, & cauſam proſequutus fuerit, tunc Actor nullas ſolvet expenſas niſi in fine litis, ſi ſuccubuerit in cauſa.

Tertio notandum eſt quod etiam in expenſarum taxatione propter non proſecutionem cauſæ nullum ſolet præſtari juramentum ſuper taxationem expenſarum ex cauſis ſpecificatis in titulo de dimiſſione partis recum expenſis.

Titvl. XXIX.

De Petitione & decreto monitionis ad ſolvendum expenſas prædictas.

Acta taxatione expenſarum prædictarum, Reus dicet, placebit decernere partem actricem monendam fore ad ſolvendum expenſas prædictas taxatas citra aliquem diem competentem, alioquin citandum fore ad comparendum coram vobis aliquo die juridico poſt lapſum diem ſtatutum ad ſolvendum. Judex decernimus partem monendam fore ad ſolvendum hujuſmodi expenſas citra talem diem vel citandum ad comparendum tali die Juridico proximo ſequente, diem hujuſmodi ſtatutum, ad ſolvendum & non propter ſolutionem expenſarum hujuſmodi excommunicari viſurum.

TITVL: XXX.

De oblatione libelli in cauſa plenaria.

ACtor ſeu potiùs Actoris Procurator: do libellum quem peto admitti, ac reſponſum à procuratore partis adverſæ dari eidem, qui tunc viciſſim petet terminum ſibi aſſignari in proximum ad reſpondendum eidem. Judex: aſſignamus.

TITVL. XXXI.

De conteſtatione litis in cauſa plenaria.

ACtor, ſeu potius Procurator Actoris, in die aſſignato reo ad reſpondendum libello, dicet in præſentia rei ſeu ejus Procuratoris; peto reſponſum dari libello juxta aſſignationem veſtram, tunc reus ſi non vult litem negativè conteſtari, poteſt fateri libellum & litem conteſtari affirmativè & ſubmittere ſe Judici & offerre expenſas per eum taxandas, quod ſæpiſſimè contingit in cauſis diffamationum. Sed ſi intendit conteſtari litem negativè, dicendum eſt in hunc modum. Ego ſub proteſtatione de nimia generalitate, ineptudine, obſcuritate nullitate & indebita ſpecificatione dicti libelli, Reſpondendendo eidem, dico narrata prout in eodem libello narrantur, vera non eſſe, & ideo petita prout petuntur fieri non debere animo litem conteſtandi negativè;

tivè; tunc Actor: libellus eſt articulatus, & ideo eundem in vim poſitionum & articulorum repeto & per denominationem eam ſic repeti & admitti peto: Quibus Judex: repetimus hunc libellum in vim poſitionum & pro repetito habere volumus; eundemque admittimus ſalvo jure impertinentium & non admittendorum. Actor: eſt libellus articulatus & in vim poſitionum & articulorum repetitus, & ideo peto reſponſum dari poſitionibus ejuſdem ab ipſo reo, & Procuratore partis adverſæ. Reus: non credo poſitiones eſſe veras. Actor: juro quod credo me poſſe melius relevari ex reſponſis partis principalis quam Procuratoris ejus occupantis in cauſa, Placebit igitur decernere partem principalem citandam, ſeu erga aliquem diem competentem ad perſonaliter reſpondendum poſitionibus dicti libelli (ſtatuendo diem juxta diſtantiam loci habitationis rei à loco judicij) Procurator Rei; diſſentio & peto terminum aſſignari Actori ad probandum libellum. Judex: aſſignamus ad probandum tres vel quatuor dies juridicos juxta loci diſtantiam, in quo actor habitat, ut ſupra, ad gravitatem cauſæ: Reus: diſſentio, & ſi terminus datus ad probandum ſit nimis prolixus & incompetens (addat) propter longitudinem & prolixitatem termini, nam quemadmodum ſi datur Actori per Judicem terminus probatorius nimis brevis & omnino incompetens habita conſideratione gravitatis cauſæ, licet ei appellare; ita ſi terminus nimis prolixus datus fuerit, Reus habet juſtam cauſam appellandi, quod facere non potuit ſi non diſſentiat aſſignationi.

Sed nota quod in cauſis diffamationis Judex non ſolet decernere pro parte principali, niſi poſt publicatas atteſtationes teſtium ſuper libello. Si vero decreverit ante publicationem, additur ſemper in actis, ita ut hoc decretum pro parte principali non extrahatur, nec executio ejuſdem fiat ante publicationem teſtium, quia

pars

pars principalis non tenetur reſpondere poſitionibus criminoſis niſi probatæ fuerunt per teſtes.

Decretum pro parte principali in orani cauſa peti ſolet per advocatum in cauſa ſalariatum, quamvis in actis ſemper ſcribitur, Procuratorem illius, decretum petijſſe, Et hoc ab antiquo diligenter obſervatum fuit ut Iudici conſtari poſſit; Advocatum eſſe ſalariatum in cauſa, quod jam aliunde conſtabit Iudici, quia nullus libellus admittendus eſt niſi ſubſcribitur manu alicujus advocati.

Nota etiam quod Procurator Actoris, poſtquam lis ſit conteſtata, ſi credit ſe in aliqua poſitione materiali libelli præſertim poſitione aliqua libelli matrimonialis poſſe revelari ex reſponſis Procuratoris partis adverſæ; poteſt primo (ſcilicet) ante decretum pro parte principali jurare pro parte ſua quod credit ſe fideliter poſuiſſe contenta in libello, & petere juramentum à procuratore partis adverſæ præſtari, de fideliter reſpondendo poſitionibus libelli in proximo juridico quod eſt concedendum, & eſt admodum neceſſarium ut hoc fiat in cauſa reſtitutionis obſequiorum conjugalium vel divorcij aut ſeparationis à thoro & menſa. Nam de veriſimili Procurator Rei eſt ita inſtructus à Domino ſuo quod vult fateri ſolemnizationem matrimonij allegati, Ex quo Procurator mulieres agentis poteſt ad ſtatim petere ſumptus litis & alimoniæ Dominæ ſuæ decerni, quod alias petere non poſſit, niſi poſtquam ipſa pars principalis ſ erit examinata. Quod plerunque præſertim in his caſibus differtur per rei contumaciam ad evitandum condemnationem in eiſdem, & in his caſibus videtur quod Procurator Actoris ſi credat ſe poſſe in hoc articulo ſolemnizationis matrimonij relevari per reſponſa Procuratoris adverſarij, non deberet petere pro parte principali, niſi habitis prius reſponſis Procuratoris. Quia ut ſupra dictum in omni cauſa priuſquam decernatur

cur pro parte principali, Procurator hoc decretum petens, tenetur præſtare juramentum, quod credit ſe poſſe melius relevari ex reſponſis partis principalis quam ejus Procuratoris ut ſupra dictum eſt.

TITVL. XXXII.

De exceptionibus quæ proponi poſſunt ante litis conteſtationem & de neceſſaria proteſtatione.

EXceptiones ſequentes (*viz.*) pendentia litis, recuſatio Iudicis, declinatio & incompetentia fori, (tua non intereſt exceptio litis finitæ) & falſi Procuratoris & ſimilia proponi poſſunt & allegari ante litis conteſtationem; compareat igitur Reus ſeu Rei Procurator (ſi intendit uti beneficio harum exceptionum) ſub proteſtationibus ſequentibus (*viz.*) ſub proteſtatione de non conſentiendo in Dominum Iudicantem hujus Curiæ (tanquam in Iudicem ſibi competentem) neque de quovis modo ejus juriſdictionem prorogando niſi quatenus de jure tenetur, & tunc præmiſſas exceptiones proponat.

TITVL.

TITVL. XXXIII.

Quod Procurator non poteſt alium ſubſtituere ante litis conteſtationem.

QUamvis in omni mandato Procuratorio datur à Domino ejus, Procuratori poteſtas (alium loco ſuo ſubſtituendi ut in titulo *Quid ſit Procuratorium*, &c.) tamen ſi Procurator originalis (id eſt, Procurator ille qui primo exhibuit mandatum procuratorium & ſe partem fecit Pro conſtituente) ſubſtituerit alium ante litis conteſtationem non valet nec admitti ſolet iſta ſubſtitutio; quia originalis Procurator non eſt factus Dominus litis niſi per litis conteſtationem; & omnia geſta per hujuſmodi ſubſtitutum ſunt nulla ante litis conteſtationem, quæ ſæpe ſic fieri vidi & obtinui. Sed quære quid ſit juris, cùm in mandato Procuratorio exprimatur clauſula ſubſtituendi.

TITUL

Titvl. XXXIIII.

De Oblatione libelli in cauſa ſummaria.

Ctor, do libellum, & peto procedendum fore decerni ſummariè & de plano. Iudex: decernimus; Reus diſſentio (nam in ſummarijs ſufficit ſi Procurator tantum dicat diſſentio) Actor: repeto libellum in vim poſitionum & articulorum; & ita peto per vos repeti: Si placebit Iudex: Repetimus & admittimus ſalvo jure impertinentium & non admittendorum. Actor, peto à procuratore partis adverſæ reſponſum dari poſitionibus libelli. Reus: non credo poſitiones eſſe veras. Tunc in omnibus eſt peteudum per Procuratores ac per Iudicem decernendum, ut in titulo de conteſtatione litis in cauſa plenaria.

Titvl. XXXV.

De Petitione ſumptus litis & alimoniæ in quibuſcunque cauſis matrimonialibus inter virum & uxorem.

N omni cauſa in qua uxor agit contra maritum vel è coutra, quam primum poterit conſtare judici, ſive per reſponſa Procuratoris ſeu partis principalis, vel probationes matrimonium fuiſſe ſolemnizatum; Procurator mulieris allegabit ut ſequitur. Allego conſtare ex actis Curiæ,

Curiæ, ex libello adverſarij (quando vir agit contra uxorem in cauſa divorcij) vel in cauſa reſtitutionis obſequiorum conjugalium) vel ex reſponſis Procuratoris, vel partis principalis matrimonium ſolemnizatum fuiſſe inter Dominum meum & *M.* partem adverſam, referendo me ad acta, reſponſa libellum, vel teſtes in hac parte examinatos, quare peto eum condemnari in expenſis litis & alimoniæ. Tunc Iudex, ſi ſibi conſtiterit de matrimonio allegato, condemnabit, ut petitur; deinde Procurator mulieris dabit Judici ſchedulam expenſarum litis & in fine ſive calce ejuſdem ſchedulæ, ſcribet in hunc modum, & petit pars dicta, *N.* ſumptus alimoniæ à die datæ primariæ citationis durante durante lite juxta ratam, (relinquendo ſpatium, ut Judex ſcribat ſummam pro qualibet hebdomada à tempore prædicto uſque in finem litis decerni.) Tunc Judex primo taxabit expenſas litis; ac deinde ſi ſibi conſtare poterit de facultatibus viri, taxabit hujuſmodi ſumptus juxta ejus arbitrium in hunc modum, taxamus ſumptus alimoniæ pro qualibet hebdomada à tempore datæ vel relatæ primariæ citationis ſi hoc ſibi æquum viſum fuerit ad talem ſummam ſolvendam, durante lite niſi aliter per nos decretum erit; nam eſt notandum quod adverſarius poteſt in quacunque parte litis (ad evitandam ulteriorem allocationem aut taxationem ſumptus alimoniæ (ſaltem ut moderatè taxentur) allegare & probare paupertatem ſuam, vel quod ſit lapſus facultatibus citra decretum Judicis interpoſitum ſuper ſumptibus alimoniæ. Caveat tamen Judex nè circumveniatur in taxatione prædicta (*viz.* à die datæ Citationis) nam aliquando agentes curant citationes extrahi, & tamen eas exequi & certificare, differunt per annum aut circiter qua fraude per Judicem comperta, taxare ſolet expenſas, & allocare ſumptus alimoniæ à die citationis ſive relationis citationis.

TITVL XXXVI.

De clauſula neceſſoria inferenda in libello cum uxor agit contra virum ut ei citius allocentur ſumptus litis & alimoniæ.

PRocurator uxoris poteſt ponere & allegare in libello valorem bonorum quæ maritus habuit in dotem ratione nuptiarum, & valorem bonorum quorumcunque quæ maritus poſſidet; ut certitudo hujuſmodi valoris poſſit conſtare ex reſponſis viri, & ita Judex informabitur quoad ſummam taxandam. Et nota quod Judex poteſt informari ſuper facultatibus viri ex relatione facta viva voce vicinorum, vel alio ſummario modo. Et licet maritus allegat & afferat ſe promptum & paratum ad probandum quod uxor ſit adultera, vel quod habeat aliunde de quibus ſufficienter alimentari poſſit, & litis expenſas ſuſtinere, etiam dato, quod maritus hujuſmodi allegata per teſtes probaverit, vel potius teſtes plenè depoſuerint eadem allegata eſſe vera, Judex tamen tenetur expenſas & ſumptus hujuſmodi allocare, niſi fuerit concluſum in cauſa, quia nihil dicitur eſſe probatum quamdiu aliquid ex adverſo proponi & probari poſſit. Nam dicunt juris periti nihil probari dicitur ante probationem ſententiæ, ſaltem quamdiu adverſa pars poſſit excipere contra teſtes; ſed quære, & taxatis expenſis litis & alimoniæ, Judex ſolet decernere monitionem pro ſolutione earundem, ut in titulo. De petitione & decreto monitionis ad ſolvendum expenſas; & nota quod in dicta taxatione alimoniæ Judex ſolet allocare uxori tertiam vel ad

minus

minus quartam partem annui valoris bonorum immobilium; quod ſi vir non habet bona immobilia, tunc taxandi ſunt ſumptus juxta communem reputationem valoris bonorum mobilium ac dignitatem viri prout Iudici videbitur.

TITVL. XXXVII.

De Productione teſtium de forma juramenti ejs deferend' ac proteſtatione partis adverſæ cum teſtes producuntur.

ACtor ante lapſum termini probatorij producere debet teſtes ad probandum libellum, vel ſaltem petere commiſſionem ad partes ubi teſtes commorantur pro examinatione eorum, nam compulſorium contra teſtes ad comparendum in judicio ad prohibendum teſtimonium, aut commiſſio ad partes pro teſtibus examinandis debet, poſt lapſum termini probatorij (exceptis cauſis privilegiatis) decerni de quibus cauſis & de compulſorio contra teſtes, & de commiſſione in titulis infra ſcriptis ſuo loco tractabitur. Ideoque debet Actor cavere ut roget teſtes ad comparendum aliquo Statuto die juridico, infra terminum probatorium, & ut offerat eis expenſas ſeu viatica ad effectum obtinendi compulſorium contra eos, ſi rogati non comparuerint, ut in titulo proximo ſequente, & ſi teſtes comparuerint dicet Procurator, produco hos in teſtes ſuper libello, quos peto recipi & juramento onerari de fideliter deponendo omnem veritatem quam noverint ſuper eodem libello. Tunc reus ſi quid habeat quod objiciat contra admiſſionem teſtium hujuſmodi, id proponen-

dum erit ante juramenti præſtationem : & ſi nihil propoſuerit ; Iudex dicet admittimus hos teſtes ; tunc manibus eorum ſuper libro (continente ſacra ſancta Dei Evangelia) poſitis, etiam dicet in effectu prout ſequitur. Producti eſtis in teſtes tali cauſa & inter tales perſonas, & ideo jurabitis, & quilibet veſtrum jurabit, quod tempore veſtræ in hac parte examinationis teſtificabemini ac deponetis ac quilibet veſtrum teſtificabitur, & deponet omnem & omnimodam veritatem quam noveritis ſive noverit omnibus amore, favore & affectione nec non omnibus inimicitia, malitia, & odio, quæ geritis vel gerit quilibet in hac parte litigantibus ſeu eorum alteri, ac etiam corruptionum generibus quibuſcunque penitus ſemotis, ſicut vos & quemlibet veſtrum Deus adjuvet & ſancta ejus Evangelia.

Quibus peractis, teſtes (in teſtimonium quod hujuſmodi juramentum modo & forma per judicem eis delatum liberè & voluntariè ſubeant) librum prædictum deoſculari ſolent, Reus ; diſſentio productioni hujuſmodi teſtium, & proteſtor de nullitate ejuſdem, & de dicendo contra hujuſmodi teſtes, & eorum dicta & depoſitiones ac perſonas, ſi & quatenus depoſuerint contra intentionem Domini mei ; & peto quod reddant veras cauſas ſcientiarum ſuarum in ſingulis eorum dictis & depoſitionibus alioquin proteſtor de nullitate ejuſdem & peto terminum competentem mihi aſſignari ad miniſtrandum interrogatoria contra hujuſmodi teſtes Iudex. Aſſignamus tibi ad miniſtrandum interrogatoria citra meridiem craſtini diei, ſi teſtes habitant intra civitatem ut eo citius poſſint examinari, vel totum craſtinum ſi extra civitatem habitant & quandocunque ante eorum examinationem : infra quod tempus videlicet, infra tempus per Iudicem ut præfertur conſtitutum, vel infra illud generale tempus quandocunque ante examinationem,

nationem, Procurator Rei dabit interrogatoria quæ proponet ministrari. Registrario seu examinatori.

Sed nota quod est cauti Procuratoris, quoties credit testes productos per partem adversariam esse fide dignos, vel tales qui vero similiter possunt deponere pro defensione & intentione partis suæ, dicere, tempore eorum productionis, accepto personas & productionem hujusmodi testium quatenus faciunt pro parte mea & personas earundem testium approbo. Protestor tamen de dicendo contra eorum dicta & depositiones si & quatenus deposuerint contra intentionem Domini mei. Quo casu quamvis reus possit reprobare dicta & depositiones dicto. um testium, seu contra eadem dicta objicere, si deposuerint contra intentionem Domini sui, tamen non poterit excipere contra eorum personas, quia personas eorundem testium ut supra, approbavit.

Caveat itaque producens testes, nè aliquos producant qui possunt deponere contra intentionem suam & pro jure & defensione adversarij. Nam producens testes in judicio per hujusmodi productionem ita approbat personas earundem testium ut non poterit postea excipere, nec contra eorum personas nec contra eorum dicta. Similiter caveat Reus nè producat testes alias per ejus adversarium productos, nam tunc videbitur ita approbare eorum personas, ut non liceat ei contra eos excipere, ut supra.

Titvl. XXXVIII.

De petitione & proteſtatione neceſſarijs in fine interrogatoriorum miniſtrandorum contra teſtes adverſarij objicienau & de quibuſdam interrogatorijs neceſſarijs.

LIcet parti contrariæ quum teſtes producuntur miniſtrare contra eoſdem teſtes quæcunque interrogatoria pertinentia ad cauſam inſtitutam ſive tangentia negotium agitatum ſive perſonas teſtium, exempli gratia,

Si teſtes producti fuerunt contra te ad probandum aliquod teſtamentum quod tu infirmari conaris, poteris interrogare teſtes hujuſmodi utrum teſtator fuerit ſanæ memoriæ & mentis, tempore quo prætenditur ex adverſo teſtamentum fuiſſe conditum, vel utrum hoc vel illud geſſit, ſeu talia verba protulerit indicantia & demonſtrantia ſanitatem mentis defuncti, vel de alijs circumſtantijs, veluti de die, hora diei, & loco quibus teſtamentum conditum prætenditur ac quibus verbis teſtator illud approbavit, quis illud ſcripſit, nec non de prætentijs teſtium quorumcunque. Et quoad perſonas poteris eas interrogare. an ſint conſanguinei, affines, famuli domeſtici, vel tenentes de roba aut ſtipendio partis eum producentis, vel eidem parti producenti indebitati : nec non an ſint inimici capitales parti contra quam producuntur & ſimilia : Et ad finem horum interrogatoriorum ſubjungatur hæc ſequens petitio & proteſtatio, & petit pars iſta, interrogatoria miniſtrans, ut quilibet teſtis reddat veram

ſufficientem

ſufficientem & concludentem cauſam ſcientiæ ſuæ in ſingulis ſuis dictis & depoſitionibus prætenſis in hac cauſa reddendis, alioquin proteſtatur pars iſta miniſtrans de nullitate eorum examinationis. Audivi à doctiſſimis hanc petitionem & proteſtationem fuiſſe admodum neceſſarias, & quod ſi omiſſæ fuerint, probant teſtes adverſarij in nonnullis caſibus, quamvis non reddiderunt cauſas ſcientiarum, quas reddere tenebantur ſi interrogati fuiſſent. Caveat tamen Procurator miniſtrans interrogatoria, ut ſit cautus & expertus in interrogatorijs miniſtrandis, quia plerunque magis profunt interrogatoria parti producenti teſtes quam nocent & è contra.

TITVL. XXXIX.

De modo & forma examinandi & coram Judice repetendi teſtes.

SI teſtes tempore eorum productionis publicè & judicialiter examinarentur de eorum ſcientia ſuper poſitionibus illis ſuper quibus fuerint producti, de veriſimili (ſaltem ſi non eſſent admodum probi & fide digni) in unum convenire ſeu conſpirare facile poſſunt, ſermonemque conferre: & aliquando ſi pars producens etiam præſens eſſet, metu ejuſdem partis, verum aliud ſubtacere, quod alias ſi ſciretur plurimum faceret contra intentionem producentis (hoc quoque dici poteſt de præſentia rei.) Ideo in omnibus Curijs Eccleſiaſticis Reverendiſ. *Cantuarien.* Archiepiſcopi Regiſtrarius ad hoc juratus, poſtquam teſtes

testes judicialiter producti & jurati fuerint in præsentia partis adversæ, solet in aliquo loco secreto semotis omnibus præsertim cæteris testibus & partibus litigantibus, testes hujusmodi sigillatim in vim eorum juramenti, super his suder quibus fuerant producti interrogare & examinare; & cujuslibet eorum dicta & depositiones in scriptis redigere eademque distincte legere testi cuilibet sigillatim eumque interrogare & examinare, an aliquid sit scriptum contra vel præter mentem suam; & si in aliquo testis petierit correctionem, emandationem, additionem aut substractionem; hoc illico fiet. Deinde Registrarius curare solet ut testes hujusmodi depositionibus chirographum vel signum suum ejus manu propria apponat, nè Registrarius aut quivis alius postea corrumpere possit in aliquo hujusmodi depositionem. Qua examinatione sic per Registrarium capta, producitur testis ad ipsum Judicem, coram quo (ipso teste præsente) idem Registrarius verbatim legere solet depositionem hujusmodi testis; quâ lectâ Judex etiam interrogare solet eundem testem utrum omnia quæ scripta & per Registrarium lecta fuerint sint secundum mentem & veram intentionem ipsius testis; & an contineant ea omnia, quæ idem testis possit deponere; & utrum voluerit aliquid aliud hujusmodi suæ depositioni addi, vel quidpiam substrahi; nam tempore hujusmodi repititionis coram Judice, testis poterit omnia prius per eum deposita, & per Registrarium scripta, vel quamcunque partem earundem corrigere, seu delere petere. Sed si testis omnia quæ per Registrarium modo præmisso scripta & lecta fuerint, ratificaverit & approbaverit; hæc examinatio dicitur perfecta & completa. Nam examinatio alias capta per Registrarium observatis etiam omnibus solemnizationibus prædictis, si eadem de positio non fuerit modo præmisso coram Judice recognita & repetita non valet.

Et

Et notandum est quod non solum Registrarius tempore Scripturæ depositionis testium, sed etiam ipse Iudex tempore repetitionis, sæpe admonet testes de periculo perjurij tam corporis quam animæ, si in aliquo deponerent contra veritatem. Caveat Procurator quod articuli sive positiones super quibus producuntur testes, non sint dubiæ vel prolixæ multa & diversa capita continentes. Nam tunc plerumque Registrarij facile omittere possunt aliquas particulares positiones seu clausulas articulorum necessarias, & ad causam institutam spectantes, hujusmodi tempore examinationis testium: Quod si fecerint facile decipiuntur testes in non plene deponendo singulis contentis in positione, & pars eas producens per omissas has depositiones quoad hujusmodi positiones succumbit in causa.

Et quia positiones & articuli quicunque scribi solent in lingua latina, quos communiter testes (præsertim rustici) non intelligunt, expedit ut Registrarius seu examinator testium hujusmodi diligentem curam habeant in exponendo & declarando testibus distinctè ac plane omnia & singula capita & contenta in articulis seu positionibus hujusmodi.

TITVL. XL.

De compulsorio contra testes requisitos ad perhibendum testimonium.

ACtor ante lapsum termini probatorij debet rogare testes quos credit esse necessarios ad probandum libellum, vel aliam quamcunq; materiam ex parte sua præpositam, ad comparendum tali die juridico contingente infra terminum probatorium & eis offerre vel se daturum

daturum promittere expenſas ſeu viatica ut ſupra in tertio præcedenti titulo. Et ſi non comparuerint in dicto die, dicet, Domine Judex, allego tales teſtes parti meæ neceſſarios ad porbandum contenta in libello alias per me dato, rogatos ac requiſitos fuiſſe ad comparendum iſtis die & loco ad perhibendum teſtimonium in hac cauſa & quod oblatis eis viaticis & expenſis recuſarunt venire vel plus juſto differunt venire vel (ſi ita ſit) promiſerunt venire & non veniunt, quare peto ipſos compellendos fore decerni ad comparendum tali die ad perhibendum teſtimonium in hac cauſa, tunc Procurator qui hæc allegat & petit, jurabit de veritate hujuſmodi allegationis juxta informationem ſibi traditam, quam credit eſſe veram (niſi pars principalis vel aliquis alius, qui eos requiſivit, ſit præſens in judicio, nam ille jurabit de veritate & non credulitate,) id eſt, quod eſt informatus de requiſitione teſtium & de oblatione expenſarum & quod credit informationem eſſe veram. Iudex: decernimus eos eſſe compellendos ad talem diem & effectum petitum: Reus: diſſentio & proteſtor de nullitate hujuſmodi decreti: hic autem proſpicere debet Procurator actoris nè labatur terminus probatorius ante hujuſmodi compulſorium ſit certificandum, de quo ſi veretur, petenda & concedenda eſt prorogatio termini probatorij quoad hujuſmodi teſtes uſque in illum diem erga quem credit ſe poſſe citare dictos teſtes & illam citationem certificare. Et ſi in eodem die prorogato Procurator actoris (oſtendendo diligentiam ſuam) exhibuerit dictum decretum compulſoriale & fidem fecerit, ſive per certificatorium authenticum ſive per juramentum mandatorij quod adhibuit omnem quam potuit diligentiam, ad effectum citandi dictos teſtes, & quod ita latitarunt vel abfuerunt ab eorum edibus ſeu habitationibus ſolitis, quo minus potuit eos perſonaliter citare, non ſolum concedendum

dendum est compulsorium vijs & modis, quoad latitantes; verum etiam denuo prorogandus est terminus probatorius in aliquem diem competentem.

TITVL. XLI.

De petitione Procuratoris si aliqui testes comparuerint & alij latitaverint.

ACtor: exhibeo mandatum originale cum certificatorio in dorso super executione ejusdem mandati & accuso contumaciam, *M N.* & *O.* testium citatorum ad comparendum istis die & loco, testimonium in hac causa perhibendum; & peto eos reputari contumaces & in pœnam contumaciarum suarum hujusmodi excommunicari, tunc facienda est per præconem Curiæ publica præconizatio pro testibus hujusmodi & si comparuerint producendi, admittendi, & jurandi sunt; & Procurator adversæ partis poterit dissentire & protestari in omnibus & per omnia; * Et quoad testes latitantes dicet Procurator allego tales testes, in mandato jam per me introducto nominatos, fuisse diligenter quæsitos prout in præcedenti titulo, quare peto eos vocandos fore decerni ad comparendum tali die personaliter, si ita apprehendi possunt alioquin vijs & modis omnibus, quibus melius de verisimili notitia hujusmodi citationis ad eorum aures pervenire possit; Iudex: decernimus ut petitur; Tunc petat Procurator prorogationem termini probatorij ad hos testes citandos vijs & modis, quam Iudex debet decernere constituendo diem suo arbitrio, erga quem credit partem posse eos citare si adhibuerit diligentiam.

* ut in Titulo 37.

TITVL. XLII.

De allocatione ſive taxatione expenſarum, ſive viaticorum teſtium.

SI pars producens teſtes & ijdem teſtes invicem non compoſuerint pro eorum ſumptibus & viaticis ante eorum productionem, tunc teſtes poſſunt aut per ſe aut per aliquem ſuum procuratorem eorum nomine, ante præſtitum per eos juramentum, petere à Iudice ut decernat eis hujuſmodi ſumptus; Tunc Iudex: (habita ratione ad diſtantiam loci habitationis teſtium à loco judicij nec non utrum ſint pedeſtres vel equeſtres, habita etiam ratione perſonarum teſtium ac mora eorundem circa eorum examinationem) taxabit & allocabit hujuſmodi ſumptus, & decernet eos non eſſe examinandos niſi prius ſolutis hujuſmodi expenſis, vel poteſt decernere (ſi teſtes hoc petierint) monitionem ad ſolvendum has expenſas contra producentem (ſi non ſit præſens in judicio) nam ſi ſit præſens, tunc eſt monendus ad ſolvendum eaſdem infra certam diem & in hujuſmodi taxatione expenſarum Iudex allocare ſolet teodum monitionis ad ſolvendum, & Procuratoris (ſi taxatio prædicta petita fuit per Procuratorem, & ſi pars producens dictos teſtes non curaverit eos ſolvere juxta monitionem, ita ut neceſſe habeant teſtes eum excommunicari & denunciari ac forſan Regiæ Majeſtati ſignificari ut moris eſt petere, Iudex taxabit hujuſmodi expenſas partemque producentem teſtes ad ſolutionem earundemque (priuſquam abſolvatur) compellere debet.

TITVL.

TITVLI XLIII.

De modo procedendi contra teſtes citatos & non comparentes.

DEcretum compulſoriale eſt exhibendum & authenticè certificandum, eorumque contumacia accuſanda, & ſi non compareuerint excommunicandi ſunt ut ſupra in titulo de exhibitione citationis coram judice, & in iſto caſu etiam prorogandus eſt terminus probatorius erga aliquem diem competentem, infra quem de verethimili excommunicatio hujuſmodi extrahi denunciarij & certificari poterit; denique ſi teſtes hujuſmodi ſteterint excommunicati per quadraginta dies poſt denunciationem, actor ſi vult, poteſt procurare proceſſum fieri contra eos ut in præcedentibus titulis de petitione literarum ſignificatoriarum & de literis ſignificatorijs & de brevi Regio, &c. & ſi pars actrix non utitur omni diligentia in præmiſſis, (*viz.*) procurando teſtes denunciari & de excommunicatis literas ſignificatorias & breve Regium concedi & teſtes vigore ejuſdem incarcerari, proceſſus non erit ſiſtendus in præjudicium partis Reæ, ſed Reus poterit petere ut concludatur in cauſa.

Et nota quod omnia quæ dicta ſunt in hoc § locum habent & in actore contra Reum ſi fuerit in eodem caſu, etiam nota quod quamvis pars actrix uſa ſit omni diligentia prædicta; tamen nè lites prędictæ fuerint infinitæ, & nè pars cogens ſi prorogetur terminus probatorius intuitu teſtium excommunicatorum & forſan in carceratorum pro duceret alios teſtes, & quia aliquando præ-

miſſa geſta ſunt per actorem quando malam cauſam fovet animo protrahendi litem, infinitis expenſis gravandi & fatigandi partem adverſam forſan pauperem, Iudex poteſt (petente parte) procedere ad concluſionem in cauſa & ferre ſententiam abſolutoriam pro reo; admittendi tamen ſunt prędicti teſtes ſi comparuerint, quandocunque ante pronuncitationem ſententiæ, & quamvis fuerit concluſum in cauſa, & reus poteſt excipere contra hos teſtes perinde, ac ſi fuiſſent producti infra terminum probatorium vel ante concluſionem in cauſa, nam per hanc teſtium productionem cauſæ concluſio reſcinditur.

Titvl. XLV.

De petitione & conceſſione commiſſionis ad partes ad examinandum teſtes, & proteſtatione Procuratoris partis adverſæ.

ANte lapſum termini probatorij ut in præcedenti titulo dictum eſt, Procurator actoris licet alios produxerit teſtes in judicio, vel quamvis nullos omninò produxerat, ſi intendit uti beneficio commiſſionis poterit eandem petere in hunc modum, Domine Iudex, allego Dominum meum habere nonnullos teſtes parti meæ neceſſarios ad probandum contenta in libello ex parte mea in hoc judicio dato, ſenes & valetudinarios quos propter loci diſtantiam, viæ diſcrimen, præſertim hoc hiemali tempore ſine magnis expenſis Domini mei & periculo, ſive incommodo dictorum teſtium, ad hoc tribunal non commodè poſſunt producere; quare

quare peto commiſſionem ad partes decerni & vices veſtras committi aliquibus probis viris in dignitate Eccleſia conſtitutis conjunctim & diviſim ad ſedendum in tali loco, (*viz.*) in aliqua Eccleſia ſive conſiſtorio talibus diebus cum poteſtate prorogandi, (ac ſi opus fuerit) dies & locum continuandi, aſſumpto Notario publico quocunq; partibus indifferenti, & peto terminum aſſignari eiſdem commiſſarijs ad tranſmittendum hujuſmodi commiſſionem & eorum proceſſum in ea parte expeditum. Nec non terminum probatorium prorogari uſque in diem tranſmiſſionis dictæ commiſſionis & procuratorem partis adverſæ moneri ad tunc & ibidem intereſſendum. Judex: concedimus hujuſmodi commiſſionem, ac vices noſtra committimus talibus, (*viz.*) quibuſdam in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutis conjunctim & diviſim ad ſedendum talibus diebus & loco. Aſſumpto quocunque Notario publico indifferenti, & aſſignamus talem diem ad tranſmittendum hujuſmodi proceſſum, & prorogamus terminum probatorium in eundem diem, ac monemus Procuratorem partis adverſæ ad tunc intereſſendum. Reus, diſſentio omnibus & ſingulis geſtis tam per Dom. Judicem; quam per partem adverſam, & proteſtor de nullitate eorundem & ex nunc prout ex tunc & ex tunc prout ex nunc de dicendo contra hos teſtes. & eorum dicta & perſonas ſi & quatenus depoſuerint contra intentionem Domini mei, & peto eoſdem teſtes examinari ſuper interrogatorijs quibuſcunque per me vel per Dominum meum annectendis commiſſioni, vel diebus aſſignatis ad expediendam dictam commiſſionem coram Commiſſarijs in partibus miniſtrandis, quòd reddant veras cauſas & concludentes ſcientiarum ſuarum in ſingulis eorum dictis reddendis alioquin proteſtor de nullitate eorum examinationis. Judex, decernimus, his diebus ſolent Procuratores hinc inde nominare commiſſarios ex quibus

bus Iudex eligere ſolet quatuor, duos (*viz.*) per unam partem & duos per alteram partem nominatos, Iudex tamen & non partes ab antiquo ſolebat nominare omnes commiſſarios & tunc plerunque fuerunt partibus indifferentes. Secus autem nunc; nam partes ſolent nominare commiſſarios ſibi amiciſſimos & ita communiter non dicuntur commiſſarij Iudicis ſed partium & gerunt ſe ut partes in teſtibus examinandis & eorum dicta ſæpe ſignificant partibus, priuſquam publicatio fuerit facta, etiam aliquando, ante productionem omnium teſtium.

Et nota quòd ſi Procurator contra quem conceſſa erit dicta commiſſio non intendit intereſſe expeditioni dictæ commiſſionis, nec miniſtrare interrogatoria tempore expeditionis commiſſionis, poteſt quæcunque interrogatoria dare Regiſtrario Iudicis concedentis commiſſionem, & ipſe tenetur eadem annectere commiſſioni, & commiſſionem una cum dictis interrogatorijs ita ſigillo aliquo authentico communire, ut dicta interrogatoria nec per partem adverſam nec per aliquem alium inſpici aut legi valeant antequam commiſſio prædicta prædictis commiſſarijs fuerit præſentata & per eos aperta.

Et nota quod licet pars rea modo præmiſſo annecti curaverit interrogatoria quæcunque dictæ commiſſioni, tamen poteſt ſi vult (præſertim) ſi interfuerit tempore prodictionis teſtium, aut dicta interrogatoria annexa ſubtrahere, aut eadem & alia quæcunque miniſtrare coram commiſſarijs in partibus.

Et ultimo nota quod dicta proteſtatio Procuratoris partis reæ tempore conceſsionis commiſsionis eſt admodum neceſſaria; nam ſi nec idem Procurator nec pars ſua intereſſe curaverit tempore expeditionis dictæ commiſsionis & productionis teſtium in partibus ita ut producantur in ejus abſentia, ac in pœnam contumaciæ;

Aviris doctiſſimis audivi ac ita adjudicari novi quod eadem pars non poterit excipere contra hujuſmodi teſtes ſic receptos in pœnam contumaciæ & ideo dicta proteſtatio tempore conceſſionis commiſsionis, *(viz.)* diſſentio omnibus & ſingulis geſtis tam per Dominum Judicem quam partem adverſam, & proteſtor de nullitate eorundem & proteſtor ex nunc prout ex tunc, & ex tunc prout ex nunc de dicendo contra hos teſtes & eorum dicta & perſonas, eſt admodum neceſſaria & habet eandem vim & eundem effectum atque proteſtatio facta tempore productionis teſtium.

TITVL. XLVI.

De forma præſentandi commiſſionum pro teſtibus examinandis coram commiſſarijs & acceptandi oneris executionis ejuſdem.

PArs quæ intendit producere teſtes poſtquam obtinuit commiſsionem ſub Sigillo Judicis qui eandem conceſsit, adibit per ſe vel alium ejus nomine commiſſarios conſtitutos curabitque ut accedant ad locum conſtitutum aliquo die aſsignato in commiſsione erga quem diem rogandi ſunt teſtes quos intendit producere ad tunc intereſſendum & coram ejſdem commiſſariis ſedentibus una cum Notario (etiam ad hoc requiſito & prato) in loco aſsignato in commiſsione hoc eſt in choro ſeu cancello eccleſiæ Cathedralis & quandoque Parochialis, Procurator obtinens commiſsionem ſeu pars principalis vel ſubſtitutus legitimus dicti Procuratoris originalis dicet ut ſequitur. Ex parte venerabilis

& egregij viri Domini officialis almæ Curiæ *Cantuar.* de Archubus. (Si commiſſio fuerit conceſſa per officialem dictæ Curiæ) vel ſi commiſsio impetrata fuerit à Curijs audientiæ & Prærogativæ ex parte reverendiſsimi in Chriſto patris & Domini Dom. *Cant.* Archiepiſcopi, præſento vobis has literas commiſsionales una cum libello, materia, allegatione vel exceptionibus annexis & peto quatenus dignemini acceptare in vos onus executionis commiſsionis hujuſmodi & decernere procedendum fore juxta vim, formam, tenorem, & effectum eorundum, tunc dicti commiſſarij accipient hujuſmodi commiſſionem in eorum manus, & eam publicè legendam tradent notario antedicto, quâ per eum verbatim & publicè prælecta commiſſarij dicent; Nos ob honorem ſi, (ut præfertur) reverendiſſimus ſit committens vel ſi nomine Judicis de Arcubus commiſſio fuerit conceſſa & concepta, Nos ob reverentiam committentis onus executionis hujuſmodi commiſſionis in nos acceptamus ac decernimus procedendum fore juxta vim formam, tenorem, & effectum eorundem & hunc Notarium publicum in actorum noſtrorum in hac parte ſcribam, aſſumimus. Hic rogandi & admonendi ſunt cõmſſarij ut curam habeant quem Notarium in hac parte aſſumunt [niſi fuerit Regiſtrarius Curiæ vel aliquis per eum Deputatus] nam aliquando obtinens cõmiſſionem producit Notarium, ſibi amiciſſimum, & partis adverſæ inimicum, & eum aſſumi petit, & ideo in omni commiſsione datur poteſtas commiſſarijs aſſumendi Notarium publicum quemcunque partibus indifferentem.

TITVL.

TITVL. XLVII.

De modo procedendi poſt acceptationem oneris commiſſionis ſi pars adverſa non comparuerit.

SI Procurator originalis partis obtinentis commiſsionem fuerit præſens, omnia ſequenria ſunt ſuo nomine agenda & expedienda, quemadmodum geri & expidiri debuiſſent ſi idem Procurator præſens fuiſſet coram ipſo Judice. Sed ſi ſequentia expedienda ſunt, per ſubſtitutum dicti Procuratoris originalis, quod plerumque agitur, tunc idem ſubſtitutus tenetur primo & ante omnia exhibere ſpecialem & authenticam ſubſtitutionem ſibi à dicto originali Procuratore conceſſam & ſe partem pro eodem facere; Si verò infra ſcripta facienda ſunt per ipſam partem principalem tunc omnia facienda ſub proteſtatione de non revocando procuratorem originalem alias conſtitutum, vel mandatum Procuratorium eidem conceſſum vel citra revocationem procuratoris alias conſtituti, nam ſi pars principalis, quicquam ſuo nomine geſſerit, vel petitiones à Judice obtinuerit, ſi facta non fuerint citra revocationem procuratoris alias per eum conſtituti eo ipſo revocatur mandatum & poteſtas vel ſi eius Procuratore datur, omnibus, modo præmiſſo, obſervatis in hunc modum poſt acceptationem commiſsionis eſt procedendum [ſed quære quia in omni Procuratorio datur poteſtas per conſtituentem quoties adeſſe vel abeſſe contigerit alium ſubſtituere]

Ego accuſo contumaciam *M*, Procuratoris partis ex adverſo principalis in dictis literis commiſsionalibus nominati alias judicialiter moniti ad interreſſendum iſtis die & loco ſi ſuum putaverit intereſſe, teſtes quoſcunque ex parte *N*. Domini mei ſuper libello commiſſioni annexo produci & jurari viſuri & non curantis intereſſe quare peto eum reputari contumacem & in pœnam ſuæ ejuſmodi contumaciæ, *M*, *N*, & *O* ſuper libello in teſtes produco, quos recipi admitti & juramento onerari peto. Tunc commiſſarij facient Procuratorem Rei, publicè trina vice prœconizari, & ſi nec ipſe nec ejus cliens nec ſubſtitutus à Procuratore comparuerit commiſſarij dicent nos ad petitionem *N*. pronunciamus *M*. Procuratorem partis adverſæ contumacem & in pœnam ſuæ hujuſmodi contumaciæ *M*, *N*, & *O*, admittimus in teſtes, & tunc deferendum eſt ijs juramentum, more ſolito, ut in titulo de productione teſtium &c. & poſtea ſecrete & ſigillatim eos examinabit Notarius publicus in præſentia commiſſariorum ſeu alicujus eorum; tunc Procurator ſi habuerit plures teſtes producendos quos rogavit ad tunc intereſſendum, ſi non veniunt, dicet Allego *P*, *Q*, & *R*. eſſe teſtes parti meæ neceſſarios ad probandum contenta in libello vel materia commiſsioni annexa, & fuiſſe requiſitos ad comparendum iſtis die & loco, ad perhibendum teſtimonium in hac cauſa, & quod oblatis ijs viaticis & expenſis recuſarunt venire, quare accuſo contumaciam *M*, Procuratoris prædictæ partis adverſæ moniti ut prius, & non curantis intereſſe, & peto eum reputari contumacem, & in pœnam ſuæ hujuſmodi contumaciæ decerni ipſos teſtes eſſe compellendos erga talem diem ad perhibendum teſtimonium. Tunc fide facta per hujuſmodi Procuratorem petentem compulſorium ſeu per alium nuncium ſpecialem deſtinatum ad faciendum fidem de requiſitione teſtium & veritate hujuſmodi allegationis

con-

commiſſarij præconizari facient trina vice Procuratorem antedictum quo præconizato & non comparente dicent pronunciamus *M* Procuratorem dictæ partis adverſæ contumacem & in pœnam contumaciæ ſuæ hujuſmodi decernimus dictos teſtes commpellendos fore erga talem diem Deindè Procurator actoris nè dies in commiſsione aſsignati labantur ante executionem & certificationem hujuſmodi compulſorij, dicet inſuper, accuſo contumaciam *M.* Procuratoris partis adverſæ moniti ut prius, & non curantis intereſſe, quare peto eum reputari contumacem, & in pœnam ſuæ contumaciæ, diem & locum pro ulteriori expeditione hujuſmodi commiſsionis continuari & prorogari in talem diem & locum. Tunc commiſſarij in pœnam contumaciæ dicti Procuratoris (facta prius pro eo publica præconizatione trina vice) dicent pronunciamus *M* contumacem & in pœnam contumaciæ hujuſmodi prorogamus ulteriorem expeditionem hujuſmodi commiſsionis uſque in talem diem & tales horas ejuſdem diei & ad talem locum, erga quos pars petens prorogationem credit ſe poſſe facilè curare ut teſtes ejus interſint. Nam ſi hæc proragatio non fieret idque in pœnam contumaciæ Procuratoris partis adverſæ, idem Procurator lapſis diebus aſsignatis in commiſsione non eſſet contumax die & loco prorogatis, ſed ex prorogatione, ſi non comparuerit efficitur contumax, perindè & erit ac ſi omnia expedita fuiſſent in ipſis diebus & loco limitatis in commiſsione.

Generaliter nota nihil eſſe petendum per Procuratorem ad cujus inſtantiam conceſſa erat commiſsio nec quicquam decernendum per commiſſarios niſi id fiat in pœnam contumaciæ Procuratoris partis adverſæ, modo præmiſſo, accuſati, publicè præconizati, & pro contumacę pronunciati.

Titvl. XLVIII.

De petitione Procuratoris obtinentis commiſſionem ſi Procurator partis adverſæ ſeu ejus ſubſtitutus fuerit præſens tempore expeditionis commiſſionis.

SI Procurator partis adverſæ vel ejus ſubſtitutus præſens fuerit tempore expeditionis, Procurator actoris præſentabit commiſsionem, & commiſſarij acceptabunt onus executionis ejuſdem, & cætera facient prout in præcedenti titulo continetur, & ſi Procurator adverſarij vel ejus legitimus ſubſtitutus exhibendo ejus ſubſtitutionem literatoriè ſub aliquo authentico ſigillo vel ſub inſtrumento publico, vel apud acta judicis concedentis commiſſionem factam, comparuerit, producendi ſunt teſtes, decernenda eſt prorogatio ſeu continuatio cauſæ & commiſſionis, ſi id à parte obtinentis commiſſionem, ex juſtis cauſis petatur, omniáque, & ſingula præmiſſa expedienda ſunt in ejus præſentia & monendus eſt ad intereſſendum die & loco prorogatis, ut ſi non comparuerit, procedi poſſit in pœnam contumaciæ, & ſi hæc geſta ſunt in præſentia Procuratoris adverſarij vel ejus ſubſtituti, idem Procurator vel ſubſtitutus proteſtari tenetur & diſſentire prout in ſequenti titulo continetur.

TITVL. XLIX.

De petitione partis principalis ſi præmiſſa geſta ſunt in ejus præſentia.

I nec Procurator partis adverſæ nec ejus ſubſtitutus interſit tempore expeditionis commiſſionis prædictæ, ſed ipſa pars principalis cui forſan ejus Procurator miſit interrogatoria contra teſtes ſui adverſarij miniſtranda Tunc dicet, pars ipſa, ego ſub proteſtatione de non revocando Procuratorem alias per me in hac cauſa conſtitutum diſſentio ut ſupra in titulo de productione teſtium *&c.* Et tunc miniſtrabit interrogatoria ſi quæ parata habuerit vel quæ commiſſioni annexa ſunt, alioquin petat Terminum ſibi aſſignari ad ea miniſtranda, hunc terminum, commiſſarij aſſignabunt juxta eorum arbitrium, habita ratione ad numerum teſtium & cauſæ gravitatem, & caveat pars iſta nè fiat aliqua mentio in actis de ejus petitione niſi ea fiat citra revocationem Procuratoris ſui antedicti, etiam nè diſſentiat alicui petitioni adverſarij niſi ſub illa proteſtatione, nè (ut ſupra dictum) videatur revocaſſe Procuratorem alias per eum conſtitutum.

TITVL.

Titvl. L.

De tenore ſubſtitutionis Procuratoris ſi non poterit perſonaliter intereſſe tempore expeditionis commiſſionis.

IN titulo quid ſit Procuratorium ad lites, dicitur quod in omni Procuratorio ſeu mandato dato per clientem, conceditur poteſtas Procuratori quoties eum abeſſe contigerit alium loco ſuo ſubſtituendi, ideó Procuratores tam actoris quam rei ſi non fuerint conducti per eorum Clientes ad intereſſendum expeditioni commiſſionis, ſolent ſubſtituere eorum loco unum vel plures Notarios ſeu literatos commorantes in illis partibus in quibus expedienda ſit commiſſio, ad agendum pro eodem Procuratore omnia & ſingula circa expeditionem dictæ commiſſionis neceſſaria, & de jure requiſita, & quæ ipſe Procurator faceret, aut facere potuiſſet ſi præſens perſonaliter interfuiſſet, & in hac ſubſtitutione tenetur addere ſe gratum & ratum habiturum totum & quicquid dictus ejus ſubſtitutus fecerit in præmiſſis, & hæc ſubſtitutio debet ſigillari ſigillo aliquo authentico & parti tradi ſeu deſtinari una cum inſtructionibus & interrogatoriis in his caſibus requiſitis. Et hic notandum eſt quod ſi nec Procurator Originalis partis adverſæ nec ipſa pars adverſa interfuerit tempore expeditionis commiſſionis ſui adverſarij ſed alius prætendens ſe ſubſtitutum dicti Procuratoris rei & exhibuerit aliquam ſubſtitutionem nomine Procuratoris ejuſdem Rei (quod maxime expedit

Pro[illegible]atori

Procuratori actoris diligentem habere curam ut ſubſtitutio prædicta ſit ſufficiens & authentica, nam alias omnia geſta in preſentia ſuſtituti ſuppoſitij ſeu non legitimi de jure ſunt nulla & non obſunt adverſario nec proſunt actori.

TITVL. LI.

De certificatorio ſuper expeditione dictæ commiſſionis.

NOtarius adhibitus & aſſumptus ad exhibendum & expediendum commiſſionem prædictam, concipere debet quoddam certificatorium ſeu inſtrumentum publicum nomine commiſſariorum, illudque diriget judici concedenti commiſsionem, & in hujuſmodi certificatorio non ſolum dicta teſtium ac omnia acta expedita vigore dictę commiſsionis ſunt inſcribenda, verum etiam dictę literæ commiſsionales, interrogatoria per partem adverſam miniſtrata, & ſubſtitutiones, ſi quæ exhibitę fuerunt, ſunt dicto certificatorio annectanda & deindè hoc certificatorium debet ita ſigillari aliquo ſigillo authentico ut nec inſpici nec legi nec in aliquo corrumpi poſsit: Notarius autem tenetur hujuſmodi certificatorium ejus manu & ſigno Notariatus ſubſcribere & ſignare, & neceſſarium eſt ut Notarius curet cuilibet folio depoſitionum teſtium ſubſcribi, non ſolum per teſtes ſed etiam per commiſſarios, nam vidi objectum, Notarium corruptè tranſcripſiſſe dicta teſtium, & etiam aliquando ipſi teſtes dicent ſe non depoſuiſſe (ut in dicto proceſſu tranſmiſsio contingetur) quod ſi dixerint facile convinci poſſunt ſi depoſitionibus ſubſcripſerunt modò præmiſſo.

Titvl. LII.

De exhibitione hujuimodi commiſſionis coram Judice concedente eandem.

IN proximo præcedente titulo declaratur forma certificandi cõmiſsionem & quæ inſcribenda & annectanda ſunt cõmiſsioni. Et quia ut etiam in eodem titulo dicitur neceſſarium eſt ut Notarius curet quodlibet folium ſubſcribi, & prout in eodem titulo continetur æque neceſſarium eſt ex cauſis in eodem titulo mentionatis ut Notarius tranſmittat ipſas originales depoſitiones, Nam alias quamvis omnia geſta fuerint prout in dicto præcedenti titulo continetur, tamen in tranſumpto, corrupte ſaltem minus vere, ſcribi & tranſmitti depoſitiones teſtium hujuſmodi ſolent. Si verò Notarius non tranſmiſerit originalia ſed exemplaria, curet diligenter ut originalia penes ſe cuſtodiat, ut ſi quæſtio de veritate aut falſitate proceſſus tranſmiſsi oriatur, ea facile decidi poſsit per exhibitionem originalium, & ex cauſis præmiſsis, & preſertim ad evitandam fraudem, ſaltem ſuſpitionem fraudis neceſſarium eſt ut in commiſsionibus pro teſtibus examinandis expreſſa fieret monitio commiſſarijs ad tranſmittendum originalia acta & depoſitiones, quibus præmiſsis & in forma publici inſtrumenti ut ſupra dicitur tranſmiſsis, Procurator qui obtinuit commiſsionem (ſi ipſe Notarius aſſumptus non interfuerit) curabit alium Notarium exhibere hujuſmodi proceſſum ſuper examinatione teſtium, ex parte commiſsariorum in

partibus

partibus & eorum actorum ſcribæ, *&c.* Et tunc Procuratores hinc inde dicent, *Nos exhibemus hujuſmodi proceſſum quatenus facit pro noſtra parte; proteſtetur tamen Procurator partis adverſæ (immediatè poſt acceptationem prædictam) de nullitate omnium geſtorum & de excipiendo contra eundem proceſſum, ſi & quatenus facit contra partem ſuam.*

Procurator verò cujus commiſsio erat, poteſt eodem die petere publicationem teſtium examinatorum, vel deferre publicationem teſtium donec eam petere cogetur, per adverſarium petentem concluſionem in cauſa vel actus præparatorios ad concluſionem, (*viz.*) ad proponendum omnia in plenarijs & ad audiendum ſententiam in ſummarijs.

TITVL. LIII.

De cauſis allegandis pro revocatione commiſsionis.

ALiquando commiſsarij requiſiti ad acceptantum onus commiſsionis non poterint vacare expeditioni ejuſdem, aliquando verò acceptarunt in ſe onus hujuſmodi commiſsionis, tamen ex cauſis legitimis dictos commiſsarios vel partem principalem concernentibus eandem infra dies aſſignatos in commiſsione finire non valet ut, vel proceſſus ſuper executione hujuſmodi commiſsionis non poteſt transmitti in die aſſignato ad tranſeundum, ſi iſtæ cauſæ allegentur per obtinentem commiſsionem & in fidem earundem dicti commiſsarij per eorum literas ſeu alias, hæc impedimenta judici ſignificaverint, renovanda eſt commiſsio & terminus probatorius eſt prorogandus ut

ſupra niſi adverſarius eas cauſas non fuiſſe veras allegaverit, & probare contrarium obtulerit. Sed ſi defecerit in probatione hujuſmodi allegationis, eſt non ſolum in expenſis condemnandus verum, etiam per adverſa obtinebitur reſtitutio & è contra ſi probaverit objecta obtinebit expenſas & renovatio commiſſionis eſt deneganda.

Et nota quod infinitæ ſunt cauſæ allegandæ ad petendam renovationem commiſſionis & prorogationem termini probatorij, ut peſtis, bellum, mandatum principis, compromiſſum, incarceratio partis & paupertas & ſimilia quæ relinquuntur arbitrio boni Judicis, exceptis in his in quibus expreſſè cavetur, in jure, dandam eſſe reſtitutionem.

Titvl. LIIII.

De modo allegandi contemptum contra commiſſarios in non tranſmittendo proceſſum ſuper examinatione teſtium.

Licet in omni commiſsione ad partes pro teſtibus examinandis aſsignatur commiſſarijs dies certus ad transmittendum eorum proceſſum (*ut in Titulo de petitione & conceſſione commiſſionis*) tamen ſi commiſſarij non curaverint transmittere proceſſum hujuſmodi in die aſsignato ad tranſmittendum, non poſſunt vel potiùs non ſolent excommunicari; ideo in iſto caſu non transmiſsionis proceſſus in die aſsignato ad tranſmittendum, Procurator obtinens commiſsionem ne forte labatur

ejus

ejus terminus probatorius ante processum transmissum, poterit allegare ut sequitur. *Allego Dominum meum debito loco & tempore extraxisse commissionem ad partes ad examinandum testes &c. ac quod debite præsentata fuit commissarijs in eadem nominatis & per eos acceptata & juxta tenorem expedita, & quod ijdem commissarij saltem* N. *Notarius per eos in ea parte assumptus non curarunt nec curat transmittere eorum processus & quod ad id fuerint debite requisiti, & super præmissis, offero me promptum & probatum ad faciendam fidem, unde eos peto vocandos fore decerni ad respondendum in causa contemptus, vel articulis contemptum concernentibus, nec non terminum probatorium prorogari usque in aliquem diem competentem*; Hanc petitionem si Procurator de veritate ejusdem fidem facit, Judex solet concedere, statuendo terminum competentem tam comparitioni commissariorum quam pro prorogatione termini probatorij, nisi adversarius inficiatus fuerit dicta allegata & allegaverit & assumpserit in se onus probandi contrarium allegationi prædictæ, & si in probatione ejusdem defecerit non solum prius petita per ejus adversarium sunt concedenda, verum etiam est condemnandus in expensis retardati processus. Et nota quod in his incidentibus non requiritur plena & exacta probatio sed solent judices decernere petita ex sola fide juratoria Procuratoris dummodo apparebit per relationem Regiſtrarij quod commissio fuit debite extracta, & hoc juramentum præstandum est non de veritate sed de credulitate juxta informationem quam credit esse veram, (*viz.*) quod commissio non fuit Judicibus præsentata.

Caveant igitur commissarij ad evitandum hanc molestiam quod significent Judici concedenti commissionem per literas missivas causas ob quas non poterant hujusmodi commissionem transmittere in die assignato ad transmittendum.

Titvl. LV.

De productione partis principalis & juramento ſuo.

I pars principalis fuerit præſens in judicio poſt reſponſum Procuratoris ſui factum poſitionibus libelli, *ut in titulo de conteſtatione litis, eſt* producenda in hunc modum, *Actor, Domine Judex ſuper poſitionibus libelli per me in hac parte datis produco hanc partem principalem & peto eam juramento onerari de fideliter reſpondendo poſitionibus ejuſdem. Tunc Judex dicat Reo; manum libero appone, tu jurabis quod omni affectione, quam propriæ tuæ cauſæ geris poſt poſita, fideliter & vere reſpondebis poſitionibus libelli contra te per talem in tali cauſa in hoc judicio dati, de ſcientia tua in his quæ proprium tuum factum concernunt & de credulitate tua in facto alieno, ita Deus te adjuvet & ſacra Dei Evangelia.*

Et pars prædicta in teſtimonio unum quod ſubijt, juramentum modo & forma quibus ſit delatum, oſculari tenetur librum Sacro Sancta Dei Evangelia continentem, quo juramento præſtito dicet actor, placebit monere eum ad ſubeundum examen ſuper poſitionibus dicti libelli citra proximum juridicum vel ad comparendum in proximo ſeipſum, propter ejus contumaciam in non ſubeundo examen excommunicari viſurum Judex monemus, & ſi reus non ſubierit examinationem ante diem prædictum nec comparuerit eodem die nec allegaverit cauſas rationabiles ad purgandam ejus contumaciam

contumaciam in non ſubeundo ejus examen accuſanda eſt ejus contumacia & in pœnam ejuſdem eſt excommunicandus ut ſupra. Et ſi ſteterit excommunicatus poſt denunciationem quadragin a dies hujuſmodi denuntiatio eſt certificanda & eſt per judicem de ejus perſeverentia in ſententia excommunicationis poſt denunciationem ejuſdem Regiæ Majeſtati ſignificandum & decretum Regium eſt pro ejus corporis captione obtinendum, nec non in carceribus donec ſubiuerit examinationem, ac ſatisfecerit Eccleſiæ pro contumacia ſeu contemptu, & ſolverit expenſas contumaciæ, detinendus eſt. Sed ſi pars vel ejus Procurator in die dato pro comparitione pactis ad videndum ſe excommunicari (caſu quo non ſubiverit examen ante diem aſſignatum) allegaverit cauſas ſufficientes ob quas non fuerit examinatus, utpote quia ſæpe adivit Regiſtrarium ad effectum ſubeundi examinationem, & quod Regiſtrarius non potuit vacare ejus examinationi, vel quamcunque aliam legitimam cauſam: tunc reſervanda eſt pœna ejus contumaciæ in proximum: vel potius quia in iſto caſu verè dic non poteſt eum fuiſſe contumacem, de novo monendus eſt ad ſubeundum examen ut ſupra, ſi ſit præſens in judicio, & ſi non ſit, tunc continuanda eſt cauſa in ſtatu quo tunc fuit in proximum diem juridicum, ut ſi reus ante illum diem non curaverit ſubire examinationem poſsit excommunicari in die prorogato, ſeu continuato, ſeu in dicto die erga quem reus ad ſubeundum examen de novo monitus fuit.

TITVL

Titvl. LVI.

De decreto perſonali contra partem principalem ad reſpondendum poſitionibus libelli.

Ctor cavere debet ut poſt litis conteſtationem procuret quam citò poſsit reſponſa partis principalis adverſæ, poſitionibus, libelli ut ſi ejus intentio fuerit ex adverſarij confeſsione fundata, procedere poſſit ad concluſionẽ & ſententiam in cauſa ſine teſtibus, vel ſi ex hujusmodi reſponſis in aliquo articulo, fuerit relevatus, poterit juper cæteris articulis producere teſtes, & ita exonerare clientem ſuum ab onere probandi articulos confeſſatos; decretum hujuſmodi ex parte principali curare debet actor concipi, & ſub ſigillo Judicis communiri & exequi contra partem ream eoque executo concipere certificatorium in dorſo ejuſdem & illud die comparitionis exhibere. Et ſi reus comparuerit eum producere ut ſupra in titulo. *De productione partis principalis*, &c. Et ſi non comparuerit accuſare ejus contumaciam & petere eum excommunicari ut ſupra in titulo, *De exhibitione citationis coram Judice*, &c,

Titvl.

TITVL. LVII.

De commiſſione ad partes pro examinatione partis principalis.

AD parcendas vel minuendas expenſas partium litigantium ſolet Judex concedere commiſſionem ad partes ad jurandum, & examinandum partem principalem, præſertim habitantem in longinquis partibus, nullis diebus ſtatutis, nulloque certo loco conſtituto ſed quibuſcunque diebus & ante talem diem conſtituendum per Judicem, juxta loci diſtantiam habitationis rei à loco Judicij, & dies etiam ad transmittendum hujuſmodi reſponſa eſt aſſignandus, erga quem diem, ſeu potius ſubſequentem (nam in nulla parte dici ad tranſmittendum pare dicitur contumax, quoniam totus dies debetur,) Actor curabit certificatorium dicti decreti continuari, ut ſi pars non curaverit ſubire examen, & reſponſa tranſmittere, poſſit excommunicari.

Titvl. LVIII.

De neceſſaria proteſtatione partis reæ tempore productionis ſuæ.

Liquando producuntur partes principales ſuper petitionibus criminoſis & captioſis, quibus de jure non tenetur reſpondere ut in cauſis diffamationum, correctionum, perjurij, neceſſarium, eſt in his & ſimilibus caſibus ut producti proteſtentur ut ſequitur, in præſentia *N.* proteſtantis quod non intendit reſpondere alicui poſitioni criminoſæ aut captioſæ, aut ſi contigerit ſe alicui hujuſmodi poſitioni reſpondere petentis ut eadem reſponſa habeantur pro nullis & non factis, ſi hæc proteſtatio in his caſibus omiſſa fuerit recedit reſpondens à beneficio juris ſibi in hac parte competente.

Titvl. LIX.

Cujus ſumptibus commiſſio pro parte principali ſit concedenda.

I perſona privilegiata ſit provocata ad judicium, fiat commiſſio communibus expenſis *(viz.)* actoris & Rei ſed ſi perſona privilegiata provocet & litiget, tunc fiat commiſſio expenſis privilegiatæ, ſed his diebus ut ſumptibus parcatur; ſolet Judex nullâ allegatâ cauſâ concedere

concedere commiſſionem ad examinandum partem principalem nullo modo privilegiatam, ſi hoc ab eo petatur, in quo caſu petens commiſſionem integras expenſas præſtare tenetur, in cauſis tamen matrimonialibus, Judex non ſolet decernere commiſſionem pro examinatione partium principalium; ſed cogentur partes Reæ perſonaliter & judicialiter comparere & Judicis examen ſubire ut poſſint in caſibus de jure præmiſſis, in locum aliquem ſequeſtrari (ut titulo, *De hujuſmodi ſequeſtratione* ſpecialiter ſcripto appareat) donec fuerint examinatæ ſuper libello.

TITVL. LX.

De modo petendi decretum in negotio contemptus & primo in cauſa matrimoniali.

PRocurator qui cupit decretum & citationem decerni in cauſa contemptus, concipere debet ſchedulam ſummariè continentem cauſas contemptus, quam ſchedulam advocatus in cauſa ſolet publice legere in Judicio ſub hac verborum forma conceptam: Reverende Judex; ab hac inclita curia emanarunt literæ quædam citatoriæ & inhibitoriæ ad inſtantiam cujuſdam *N.* contra *M* ad reſpondendum dicto *N.* in cauſa matrimoniali atque ad inhibendum eidem *M.* mulieri, nè (lite pendente) contrahat aliunde matrimonium; ac quod ſi forſan alias contraxerit quod illud in faciæ Eccleſiæ ſolemnizari non non procuret ſub pœna contemptus vel juris, & quod hujuſmodi literæ inhibitoriæ fuerunt in eandem *M.*

debitè executæ juxta vim, formam, & effectum earundem, quodque veſtris literis inhibitorijs & executione earundem non obſtantibus, ipſa poſt executionem earuendm in contemptum juris & jurisdictionis veræ non ferendum matrimonium quoddam prætenſum de facto contraxerit, cum quodam *O* & illud in facie Eccleſiæ ſolemnizari, ſeu potius profanari curavit: unde peto ipſam vocandam fore decerni ad comparendum quocunque die competente, per dominationem veram aſſignando, ad reſpondendum perſonaliter certis articulis contemptum veſtrum (Domine Iudex) & juriſdictionis hujus curiæ concernentibus, tunc Iudex: decernimus eam vocandam fore perſonaliter prout petitur erga talem diem.

Titvl. LXI.

De allegatione contemptus in alijs cauſis.

Concipienda eſt ſchedula & legenda per advocatum ut ſupra ſub his verbis: Reverende Iudex; emanarunt ab hac inclita curia literæ citatoriæ ad inſtantiam cujuſdam *N.* contra *M.* ad reſpondendum dicto *N.* in cauſa defamationis vel tali cauſa quodque hujuſmodi literæ citatoriæ fuerunt communitæ ſigillo veſtræ curiæ & pro debita executione earundem fuerunt traditæ *L* mandatario veſtro in hac parte legitimè conſtituto, & quod idem veſter mandatarius hujusmodi mandatum in indictum *M.* fuit Executum, & quod idem *M* hujuſmodi mandatum è manibus dicti veſtri mandatarij violenter in contemptum veſtrum, curiæ, & jurisdi&ionis

onis veſtræ, non ferendum, eripuit & illud laceravit, & etiam contra eundem mandatarium (ratione & tempore executionis hujuſmodi mandati, non ſolum verba convitioſa protulit, verum etiam eum verberavit, ac baculo percuſſit, (vel aliquid aliud juxta rem geſtam perpetravit ita tamen ut ſemper addatur) quod hoc factum fuit ratione executionis mandati Iudicis & in contemptum juris Eccleſiaſtici & juriſdictionis ejuſdem. (nè forte dicatur hoc negotium ſpectare ad forum ſæculare) unde peto (ut ſupra in præcedenti titulo) Iudex etiam decernet ut in eodem.

Nota quod iſte contemptus non eſt puniendus coram Iudice Eccleſiaſtico quia præmiſſa fecit contra pacem Dominæ Reginæ ſed quia fecit in contemptum Iudicis & juriſdictionis Eccleſiaſticæ, nam poterit etiam puniri propter pacem violatam per Iudices ſeculares, & per Iudicem Eccleſiaſticum pro contemptu Iudicis, & juriſdictionis Eccleſiaſticæ, quia unum & idem crimen puniri poterit diverſis modis ſeu reſpectibus, in utroque foro, ut in caſu injectionis manuum violentarum in Clericum & in diverſis alijs caſibus.

TITVL. LXII.

De modo protendendi in cauſa contemptus.

ERga diem relationis citationis Procurator hoc negotium contemptus promovens, curabit cauſas contemptus ſcribi in articulis concipiendis nomine Iudicis per viam objectionum utpote.

In Dei nomine Amen, Nos N. *officialis* &c. (recitando Iudicis ſtilum miniſtrantis interrogatoria) *tibi* M. *articulos*

ticulos capitula ſive interrogatoria omnia & ſingula contemptum noſtrum & juriſdictionis Eccleſiæ concernentia, ex officio noſtro mero (vel ad promotionem O. Si Judex noluerit procedere ex ſuo mero officio,) objicimus & articulamur te plenum planum & fidele dare reſponſum mediante tuo juramento.

TITVL. LXIII.

De datione ſive exhibitione articulorum in cauſa contemptus.

SI Iudex intendit procedere ex officio mero, tunc aſſignabit aliquem procuratorem ſuæ Curiæ in promotorem neceſſarium officij ſui; qui dicet, *accepto in me onus promotoris officij Domini judicantis, & do articulos & peto procedendum fore ſummariè ac de plano*; *Tunc Iudex*; *decernimus.* Et tunc producenda eſt pars principalis ſuper hujuſmodi articulis ſi fuerit præſens in judicio. Sed ſi Iudicis officium fuerit promotum per voluntarium promotorem, vel ejus Procurator, (exhibendo primo ejus Procuratorium pro dicto voluntario promotore) dicet, *do articulos, & ſuper hujuſmodi articulis produco partem principalem præſentem in Iudicio, quam* Iudex juramento onerabit de fideliter reſpondendo dictis articulis citra proximam Curiam & monebit eandem partem ad comparendum in proximo ad recognoſcendum ejus reſponſa, hæc recognitio ſolet fieri in præſentia Procuratoris partis promoventis officium.

Et

Et nota quod, in iſtis negotijs coneemptus ſive ex officio mero ſive promoto, non licet alicui Procuratori comparere pro contemptore nec alicui Advocato advocare per eodem niſi prius factis reſponſis partis Reæ: Nec tunc, niſi primò petitâ & obtentâ licentiâ Iudicis; nec habebit Reus copiam articulorum prædictorum antequam fuerit examinatus ſuper eiſdem.

Hic tamen notandum eſt, quòd licet ſupradicitur quod ſi Promotor voluntarius non ſit præſens in Iudicio ad dandum articulos, quod ejus Procurator exhibendo primum ejus Procuratorium pro hujuſmodi Procuratore dabit eoldem; tamen dubito utrum in iſto caſu voluntariè promoto, aut cauſâ correctionis promotâ originaliter ad alicujus inſtantiam, promotor voluntarius poſſit conſtituere Procuratorem ante litis conteſtationem, quia promotor voluntarius, licet habet intereſſe ſufficiens, ad promovendum & in hoc caſu implorandum Iudicis officium, ut peccatum puniatur, quod quidem publicè intereſt. Tamen quære utrum hujuſmodi promotor voluntarius poſſit Procuratorem ad lites conſtituere ante litis conteſtationem, & utrum acta & geſta per talem Procuratorem valent. Sane credo quod non valent, & ad hoc inductus ſum; quia circiter ab hinc quinquenniũ ad inſtantiam partis, Ego communi errore ductus nomine Procuratorio dicti promotoris dedi articulos, & lis fuit per averſum Procuratorem ad meam petitionem conteſtata; Quibus ſic geſtis dubitavi utrum hæc per me nomine Procuratorio dicti promotoris geſta valerent. De hac igitur queſtione conſului duos Advocatos in dicta cauſa ſalariatos, quorum unus (mea ſententia fuit nemini ſecundus) qui primo de hac queſtione dubitantes per diem unum aut alterum deliberarunt. Deinde mihi retulerunt omnia geſta per me nomine Procuratorio ante

litis

litis conteſtationem fuiſſe nulla. Unde ego eorum conſilio & mandato omnia per me nomine Procuratorio dicti promotoris geſta judicialiter ſubduxi & pro ſubductis haberi petij (& obtuli me promptum ad ſolvendum quaſcunque expenſas ratione nullitatis hujuſmodi & injuſtæ vexationis debitas & per Iudicem taxandas) quam ſubductionem Procurator adverſarij acceptans obtinuit partem meam condemnari in expenſis, & Iudex eaſdem ad quadraginta ſolidos taxavit quas ſtatim numeravi, & illico promotor voluntarius perſonaliter præſens in judicio dedit articulos alias per me datos in præſentia Procuratoris Rei, & petijt reſponſum dari eiſdem. Et tunc facta litis conteſtatione dictus promotor voluntarius conſtituit me in ejus Procuratorem: & poſtea obtinui in eadem cauſa ſententiam cum expenſis & publicam pœnitentiam parti Reæ injungi. Igitur de hac queſtione conſule peritos Advocatos.

Titvl. LXIV.

De modo procedendi in cauſis contemptus factis reſponſis Rei.

SI Reus fateatur contemptum objectum tunc Procurator promotoris officij facta recognitione reſponſionum partis principalis primò acceptabit hujuſmodi reſponſa quatenus faciunt per parte ſua, & officij Domini Iudicis, & dicet, Allego intentionem Domini Iudicis & mei promotoris officij ſui deductam in articulis contemptus eſſe ſufficienter fundatam ex reſponſis

ſis partis Reæ, referendo me ad articulos reſponſa & jura: Quare peto eum pronunciari pro contemptore, & pœnitentiam ſibi injungi, & in expenſis hujus litis condemnari, ac jus & juſtitiam fieri & miniſtrari: Huic petitioni diſſentiat Reus & inficietur allegata promotoris. Tunc Judex aſſignabit ad audiendam voluntatem ſuam ſuper hujuſmodi petitione ad audiendum ejus finale decretum in proximum vel Judex poterit, ſi vult in ipſo die in quo Reus recognovit ejus reſponſa, ſi ex eiſdem intentio officij fuerit fundata (facta petitione prædicta promotorem officij pronunciare eum pro contemptore & injungere ei pœnitentiam, & condemnare eum in expenſis. Nam nota ut ſupra, quod hujuſmodi cauſæ ex ſtilo Curiæ & Statutis antiquis ejuſdem ſunt ſummariæ cauſæ (ſaltem procedi ſolent in eiſdem ſummarie) ac raro aut nunquam admittitur deſenſio contraria confeſſioni ſeu probationibus factis pro officio Judicis, quamvis confitens voluerit illam confeſſionem qualificare vel extenuare, vel contra teſtes examinatos ex parte officij excipere ut mitius ſecum agatur quoad pœnitentiam.

TITVL. LXV.

De modo procedendi in cauſa contemptus ſi Reus negaverit articulos.

SI Reus negaverit articulos contemptus, petat Procurator promotoris Officij ſive voluntarij ſive neceſſarij terminum ſibi aſſignari *ad convincendum Reum*, qui eſt loco termini probatorij. Et facta probatione procedendum eſt in omnibus ut in cauſa ſummaria, & nota ut ſupra quod

iſtæ cauſæ dicuntur cauſæ favorabiles, & non requiritur tam directa aut plena Probatio ut in cæteris cauſis. Nam aliquando ſtatur ſolo teſtimonio jurato ipſius mandatorij, ſaltem ſi ſit publicus mandatarius ac probus & honeſtus, præſertim adjectis quibuſdam alijs adminiculis ſeu præſumptionibus, & ſi contemptus probetur, promovens petet terminum aſſignari ad audiendum diſcuſſiones in cauſa, ſeu finale decretum: Tunc Judex facta concluſione in cauſa, ut in cæteris cauſis ſummarijs feret ſententiam contra contemptorem ad effectum in proximo procedenti titulo ſpecificatum, vel poterit Iudex per decretum interlocutorium pronuntiare ut ſupra.

TITVL. LXVI.

De juramento partis computantis de minoribus ſummis non excedentibus quadraginta ſolidos.

SI quis Executor vel Adminiſtrator vocatus fuerit, ad reddendum computum ad alicujus inſtantiam intereſſe in ea parte habentis: vel ſi agitur in cauſa legati, & Reus in eo caſu allegaverit inſufficientiam bonorum. Si Executor vel Adminiſtrator hujuſmodi expoſuit diverſas ſummas non excedentes ſummam quadraginta ſolidorum, hujuſmodi ſummæ ſunt ſibi allocandæ ſolo juramento computantis in hunc modum, *Comparuit perſonaliter N. ac citra revocationem Procuratoris ſui fecit fidem ſe expoſuiſſe omnes & ſingulas ſummas minores in computo mentionatas non excedentes ſummam quadraginta ſolidorum,*

quare

quare petijt, hujuſmodi ſummas ſibi allocari ac jus & juſtitiam ſibi fieri & miniſtrari. Tunc Iudex delato juramento dicto computanti de veritate hujuſmodi allegationis (*viz.*) quod expoſuit hujuſmodi minores ſummas, & eo præſtito per computantem, dicet, *Nos allocamus dicto* N. *computanti omnes minores ſummas in dicto computo mentionatas, non excedentes ſummam quadraginta ſolidorum, dummodo de dolo & fraudulenta diviſione convinci non poſſit* (nam aliquando computantes ſcientes quod omnes iſtæ minores ſummę ſolent allocari ſolo juramento, dividunt groſſas ſeu majores ſummas in minores & particulares ſummas) & juramentum prædictum præſtitum & admiſſum etiam intervenientе Iudicis decreto facit plenam probationem, quoad has minores ſummas ad evitandas expenſas faciendas in probatione hujuſmodi minorum ſummarum: & quia præſumitur nemin m velle præſtare falſum juramentum ad obtinendum allocationem tam vilium ſummarum.

TITVL. LXVII.

De generali juramento computantis ſuper omnibus contentis in computo.

SI in his caſibus de computis reddendis aliquis habens intereſſe ad vocandum Executorem vel bonorum adminiſtratorem ad reddeudum computum (utpote filius defuncti, legatarius, creditor & cæteri, ut in alijs titulis de hac queſtione ſpecialiter tractantibus apparet) vocaverit Executorem vel adminiſtratorem ad exhibendum verum, plenum & integrum inventarium bonorum defuncti quæ ad ejus manus pervene-

runt, & ad reddendum computum de & ſuper ſua administratione in bonis hujuſmodi, tenetur illud inventarium exhibere, ac dictum computum perſonaliter reddere, & (ſi id ab eo ex adverſa parte petatur) juramentum corporale præſtare de veritate eorundem non obſtante quod alias forſan inventarium fuerit exhibitum ex officio mero Iudicis, & in abſentia partis, & computum redditur virtute juramenti partis vel Procuratoris, & nota quod hoc inventarium non eſt exhibendum ſub proteſtatione de addendo eidem (prout fieri ſolet in inventarijs exhibendis per Procuratores in communi forma & non ad partis inſtantiam) ſed ſimpliciter & directe pro inventario pleno verò & integro omnium & ſingulorum bonorum defuncti quæ ad manus hujuſmodi computantis pervenerunt, à morte defuncti, caveant igitur exhibentes & computantes hujuſmodi nè falſa, & minus integra exhibeant inventaria & reddant computum virtute eorum juramenti, nam ſi ſecus fecerint manifeſtum committunt perjurium, & poſſit procedi contra eos per Iudicem Eccleſiaſticum cauſa perjurij, & Iudex poterit eos canonicè punire ſi convinci poſſunt de omiſſione bonorum vel de non expoſitione ſummarum petitarum in computo.

Et quamvis in ſequenti titulo, & titulo de objectione contra computum, dicitur licere parti adverſæ reprobare vel objicere contra hujuſmodi inventarium & computum, tamen quæri poteſt utrum pars adverſa hujuſmodi petens exhibitionem inventarij & computi, & juramentum partis, computantis præſtari de veritate earundem poſſit poſteà (*viz.*) cum computans ad ejus petitionem præſtitit juramentum de veritate) admitti ad objiciendum contra hujuſmodi inventarium & computum, quia mihi videtur hanc objectionem proponi debuiſſe ante præſtitum juramentum

mentum prædictum, per computantem, nam quære utrum hoc juramentum ſit litis deciſſorium vel neceſſarium, ut in cæteris cauſis ordinarijs cum actor producit Reum ſuper poſitionibus libelli.

TITVL. LXVIII.

In quo caſu vocatus ad reddendum computum vel exhibendum inventarium, non tenetur perſonaliter comparere, ſed poterit comparere per Procuratorem ad objiciendum quod non habet actor inter eſſe.

QUamvis in præcedenti titulo dicitur Executorem vel adminiſtratorem citatum ad reddendum computum vel exhibendum inventarium, ſive ex officio mero, ſive promoto teneri perſonaliter comparere, & præmiſſa ſpecificata in præcedenti titulo facere, tamen ſi ex tenore mandati originalis citatorij non poterit citato conſtare de intereſſe partis inſtituentis hanc cauſam, licitum eſt reo comparere per ejus Procuratorem ad effectum infra ſcriptum ac ſub forma ſequenti; cum Procurator actoris (exhibito mandato prædicto citatorio) accuſaverit contumaciam rei citati ad comparendum perſonaliter, ad reddendum computum, vel ad exhibendum inventarium, compareat rei procurator dicendo ut ſequitur, exhibeo procuratorium meum literatorie prædicto reo, ac facio me partem pro eodem ac allego Dominum meum non teneri nec de jure cogendum eſſe ad reddendum computum, nec ad exhibendum inventarium, nec ad ſatisfaciendum contentis in mandato prædicto introducto ad inſtantiam *N.* partis actricis ex eo quod non habet in

hac cauſa intereſſe, ſaltem quod non conſtat illum habere intereſſe in hac cauſa, ſi actor intereſſe ſuum de jure approbatum in his caſibus allegaverit & ſive per confeſſionem procuratoris ſive partis adverſæ ſive per teſtes probaverit, reus non ſolum tenetur ſatisfacere contentis in dicto relato mandato verum etiam eſt condemnandus actori in expenſis circa hanc probationem intereſſe factis, è contra ſi actor defecerit in probatione, reus eſt demittendus cum ſuis expenſis. Limita tamen quod ſi intereſſe actoris fuerit tale de quo reus non habet ſcientiam ſaltem probabilem (utpote quia actor prætendebat ſe fuiſſe creditorem) antequam illud fuerit probatum vel ſi Reus quamprimũ hoc intereſſe fecerit probatum, nullam propoſuerit materiam contrariam aut exceptivam contra hujuſmodi teſtes vel ad elidendam intentionem actoris quoad intereſſe hujuſmodi, tunc reus quoniam juſtam habuit cauſam (de hac quæſtione litigandi) excuſatur ab expenſis, ſecus ſi propoſuerit & defecerit, admonendi tamen ſunt procuratores actoris in his caſibus de exhibendis inventarijs & reddendis computis, quod ſi modo prædicto intereſſe clientum ſuorum negatum fuerit ex quo ipſi actores ad illud probandum cogentur quod de die in diem (ſcilicet ſingulis diebus juridicis) procurent certificatorium mandati prædicti (ad reddendum computum & exhibendum inventarium) introducti continuari uſque in probationem intereſſe ut e probato, poſſint obtinere reum excommunicari, ſi non ſatisfecerit contentis in dicto mandato, nam ut in quarto ſequenti titulo dicitur, executor vel adminiſtrator vocatus ad exhibendum inventarium & reddendum computum tenetur illa perſonaliter in vim juramenti ſui corporalis reddere, ideo ſi dictum certificatorium prædicti mandati fuerit circumductum & (ut vocant) diſcontinuatum pars rea non poterit excommunicari non ſatis faciendo contentis indicto mandato.

TITVL.

Titvl. LXIX.

Quæ perſonæ dicuntur habere intereſſe ad vocandum Executores vel Adminiſtratores ad exhibendum Inventaria & reddendum computum.

SI legatarius rogaverit Executorem ad ſolvendum ſibi legatum relictum in Teſtamento & Executor prætendendo ſe non habere in manibus ſuis bona ſufficientia teſtatoris ad præſtationem hujuſmodi legati illud ſolvere recuſaverit, legatarius iſte poterit vocare Executorem ad exhibendum inventarium & ad reddendum computum ut ex inſpectione eorundem eidem legatario poſſit conſtare de ſufficientia & inſufficientia bonorum defuncti ad ſolvendum legatum; poteſt etiam legatarius hujuſmodi compellere Executorem ad probandum & juſtificandum per teſtes hujuſmodi computum.

Et nota quod in iſto caſu petens exhibitionem computi non eſt condemnandus computanti in expenſis ſi exhibito & inſpecto computo hujuſmodi renuntiaverit liti vel ulterius non ſteterit in lite nec coegerit computantem ad probandum ſeu juſtificandum computum per teſtes ſed ſi petens computum coegerit computantem juſtificare computum per teſtes, & facta publicatione teſtium ſuper computo productorum idem petens computum dederit objectiones contra hujuſmodi computum & defecerit in probatione eorundem eſt condemnandus in expenſis computanti. Item legatarius cui reſiduum bonorum relictum eſt vel aliqua pars reſidui

ſidui ut poſſit conſtare ei quæ & qualis portio ſibi debeatur habet præcipuum intereſſe advocandum Executorem ad reddendum computum.

Item conſimile intereſſe habet ille cui defunctus fuit indebitatus ut ſciat utrum defunctus habuerit bona ſufficientia ad ſolvendum hujuſmodi debitum & ſi reus in hoc caſu negaverit inter eſſe actoris & allegaverit ſe non teneri ſatisfacere contentis in citatione donec conſtiterit de intereſſe hujuſmodi prout ſuperius in præcedenti titulo, actor tenetur allegare & probare intereſſe hujuſmodi priuſquam reus cogendus ſit ad ſatisfaciendum contentis dicti mandati.

Titvl. LXX.

De modo probandi inteeaeſſe creditoris ſi intereſſe negatum fuerit.

SI intereſſe creditoris negatum fuerit per partem vocatam ad reddendum computum vel ad exhibendum inventarium, allegandum & proponendum eſt hujuſmodi intereſſe ſub forma ſequenti *N.* ſcilicet actor vel ejus Procurator allegaverit ad omnem juris effecum defunctum fuiſſe prænominato *N.* tempore vitę & mortis ſuæ indebitatum in tali ſumma, ſi allegatio hujuſmodi pro reum inficiata fuerit, tunc ponenda eſt conjunctim & diviſim & petendum eſt jus & juſtitia, & admiſſio hujuſmodi allegationis; qua admiſſa in ſubſidium probationis contentorum in hujuſmodi allegatione exhibendæ ſunt literæ obligatoriæ captæ pro debito allegato, adjectis his verbis quod contenta

contenta in eiſdem ſint vera ac habita & geſta prout in eiſdem continetur, admittenda eſt iſta allegatio, & ſi (hujuſmodi literis exhibitis) pars rea eas veras eſſe inficiata fuerit, producenda ſunt teſtes ad probandum ſigillationem & traditionem earundem, vel ſi debita allegata debeantur ex libro mercatorum tunc exhibendus eſt hujuſmodi liber, & allegare & probare tenetur exhibens, eundem librum fuiſſe librum defuncti in quo quum mercator ſeu cujus fuerat ſcribere ſolebat nomina perſonarum quæ ſibi indebitatæ fuerunt, & hæc probatio ſufficit ad probandum intereſſe allegatum.

Sed dato hujuſmodi intereſſe actoris non poſſe probari nec per literas obligatorias nec per librum mercatoris admittendus tamen eſt ad probandum debitum allegatum per teſtes, & notandum eſt quod in hoc caſu probationis intereſſe actoris ad petendum computum reddi & inventarium exhiberi non requiritur tam exacta aut plena probatio prout in cæteris cauſis in quibus principaliter agitur ad obtinendam cauſam inſtituendam (*viz.*) decimas aut legatum, nam in his caſibus ad probandum intereſſe actoris non agitur principaliter pro debito allegato, ſed præmiſſa allegantur incidenter tantum ad probandum quod agens habet intereſſe ut computus reddatur & non ad recuperandum debitum. Parvi etiam præjudicij eſt (imò potius commodi) Executoribus reddere computum & exhibere Inventarium, ut latius apparet in alijs titulis, & de hujuſmodi computis reddendis & Inventarijs exhibendis ſcriptis. Sed ſine omni dubio eſt quod perſonæ quibus defunctus fuit indebitatus in hoc caſu maximè relevantur quia ſi per inſpectionem computi ac probationes ſuper eodem evidenter eis conſtare poſſit Executorem vel Adminiſtratorem plenè adminiſtraſſe bona defuncti fruſtra inſtituerit actionis pro debitis hujuſmodi recuperandis ſic quæ ſæpe plerunque legatarijs ab actoribus

bus in cauſis ſubſtractionum legatorum ſe abſtinent cum per inſpectionem computus appareat Executores in perſolvendis debitis totas defuncti facultates erogaſſe.

TITVL. LXXI.

De aliis perſonis intereſſe habentibus advocandum Executores vel Adminiſtratores ad reddendum computum & exhibendum Inventarium.

PRædictis perſonis mentionatis in penultimo titulo addendæ ſunt ſequentes. Perſonæ item ſi aliquod legatum fuerit relictum minori tunc pater ſeu proximus conſanguineus minoris, nomine curatorio (ſi ita fuerit per Iudicem aſſignatus) ad uſum ejuſdem poteſt compellere Executorem ad exhibendum inventarium & ad reddendum computum.

Similiter proximi conſanguinei (ſaltem ſi pauperes ſint) poterunt vocare Adminiſtratorem defuncti decedentis ab inteſtato ad exhibendum Inventarium & ad reddendum computum, ut quam primum conſtare poſſit Iudici de reſiduo bonorum (ſolutis perſolvendis) fiat diſtributio alicujus partis ejuſdem inter hujuſmodi proximos conſanguineos juxta Iudicis arbitrium, item ſi defunctus in teſtamento reſiduum bonorum ſuorum non legaverit, nec de eodem quovis modo diſpoluerit (quamvis ejuſdem ſui teſtamenti conſtituerit Executores ejidemq; Executoribus ratione & intuitu executionis ejuſdem, aliquod particulare legatum dederit) nam in hoc dicuntur nudi Executores & quaſi ſupervisores: Iudex tunc ex officio ſuo quam ad inſtantiam pauperum

perum conſanguineorum poterit vocare Executorem hujuſmodi ad reddendum computum & compellere eum ad diſtributionem hujuſmodi reſidui in pios uſus vel inter proximos defuncti conſanguineos hoc ab antiquis ita practicari ſolebat.

TITVL. LXXII.

Quod vocatus ad reddendum computum ſive ex officio Judicis ſive ad partis inſtantiam tenetur perſonaliter comparere.

IN omni citatione ad reddendum computum, vel ad exhibendum inventarium, ſolet Executor vel Adminiſtrator vocari ad reddendum & exhibendum perſonaliter vel ad comparendum perſonaliter ad exhibendum, etiam licet vocatus fuerit ad inſtantiam partis; tenetur igitur perſonaliter comparere, ſaltem ita obſervatum & practicatum fuit in Curia Prærogativa per tempus immemoratum; poterit tamen Procurator comparere pro parte citata ad allegandum cauſas abſentiæ citatæ partis, & cauſas ob quas non tenetur reddere computum, ut ſupra in titulo, *In quo caſu vocatus ad reddendum computum*, &c. vel quod ſit valetudinarius vel ſeptuagenarius vel conſimiles cauſas poteſt allegare, & quod ideo non tenetur perſonaliter comparere. Sed ut ſupra dictum eſt, ſi hujuſmodi cauſæ allegatæ & probatæ non fuerint, tenentur vocati in caſu prædicto perſonaliter comparere. Ratio eſt quia in his caſibus vel cauſis de computis reddendis requiritur juramentum perſonæ computantis de veritate ejuſdem.

Titvl LXXIII.

Quod Executores ſive Adminiſtratores poſſunt vocare proximos conſanguineos defuncti, ad videndum computum reddi, & literas acquietantiales ſuper præmiſſa adminiſtratione concedi.

QUamvis Executores & Adminiſtratores in debitis ſolvendis ac in funeralibus & alijs expenſis & oneribus neceſſarijs exhauſerint totas vires ſeu facultates defuncti ita ut nulla bona inadminiſtrata penes eos remanent, tamen omnes conſanguinei defuncti, nec non legatarij & perſonæ quæcunque quibus defunctus obnoxius fuit poſſunt ſeperatim & diſjunctim, ſeu in ſeparatis cauſis compellere hujuſmodi Executores & Adminiſtratores ad reddendum computum; & his rationibus eoſdem infinitis expenſis gravare. Poſſunt, igitur Executores & Adminiſtratores hujusmodi, ad evitandas has expenſas & vexationes quamprimum vocati fuerint per quamcunque perſonarum prædictarum ad reddendum computum vocare unum aut alterum ex primis conſanguineis defuncti in ſpecie & omnes alios quoſcunque in genere jus aut intereſſe in bonis juribus ſive creditis dicti defuncti habentes aut habere prætendentes ad comparendum talibus die & loco, ſi ſua putaverint intereſſe, ad videndum verum & integrum inventarium bonorum defuncti exhiberi, ac computum de & ſuper adminiſtratione ſua plena in bonis dicti defuncti reddi, & etiam exhiberi ac per teſtes

teſtes ſuper eodem recipi, admitti & in debita juris forma jurari eorumque dicta publicari, ac ulterius in eodem negotio procedi juxta juris exigentiam & cauſæ naturam, uſque ad ſententiæ definitivæ prolationem inclusive ferendam cum intimatione (ut ſupra) in titulo *De intimatione neceſſaria inferenda in citatione*, & eſt procedendum in hoc caſu in præſentia comparentium ſi aliqui comparuerint, & in pœnam contumaciæ non comparentium, & omnia ſunt agenda ut in titulo prædicto & in titulo de modo inchoandi, proſequendi & finiendi litem.

Et nota quod admodum neceſſarius eſt iſte modus procedendi Executoribus & Adminiſtratoribus, non ſolum ut ſupra dicitur, ad amputandas diverſas ſeu multiplices actiones ad reddendum computum; verum etiam nè mortuis teſtibus qui potuerunt deponere de ſolutione debitorum & expoſitorum, tunc Executores vel Adminiſtratores hujuſmodi vocarentur ad reddendum & juſtificandum computum, quod vidi ſæpe practicatum, adde etiam ſi Executor vel Adminiſtrator hujuſmodi computum probaverit & ſententiam Judicis obtinuerit, quod integre & plene adminiſtravit bona defuncti, & quod nulla bona in adminiſtrata penes eum remanerint, liberabuntur etiam illius Executores & Adminiſtratores à reddit ione computi de bonis primi defuncti, nam notandum eſt quod hujuſmodi ſecundi Executores vel Adminiſtratores compelli poſſunt ad reddendum computum de bonis primi defuncti ſi ejus Executores vel primi Adminiſtratores alias non reddiderunt computum nec eundem juſtificaverint, in quo caſu iſti ſecundi Executores vel Adminiſtratores carebunt beneficio juramenti de minoribus ſummis de quo ſuperius tractatur in titulo de juramento partis computantis de minoribus ſummis, *&c.* Nam juramentum ſuper minoribus ſummis non eſt deferendum

niſi parti quæ eas expoſuit & ideo dictum juramentum concedendum eſt dictis primis Executoribus vel Adminiſtratoribus, adde etiam quod probationes factæ ſuper computo reddito ad inſtantiam habentis intereſſe, non faciunt plenam fidem contra alium aut tertium etiam habentem intereſſe, ſaltem ſi non fuerit vocatus ut ſupra, in ſpecie vel in genere quia acta inter tales perſonas non nocent aliis abſentibus. Quamvis ſupra dicitur Executores vel Adminiſtratores poſſe vocare tam in ſpecie quam in genere omnes & ſingulos, *&c.* ad videndum computum reddi, *&c.* & quod hujuſmodi Executores vel Adminiſtratores liberantur ab ulteriori redditione computi ad inſtantias partium aliarum, ſalit tamen quoad minores intereſſe habentes, quia eis liberum erit cum ad legitimam ætatem pervenirint, hujuſmodi Executores vel Adminiſtratores vocare ad reddendum computum, non obſtantibus præmiſſis, quia geſta contra minorem nullo modo præjudicabunt.

Titvl. LXXIV.

De modo juſtificandi ſeu probandi computum per teſtes.

Si computans petierit in computo debita ſibi allocari, oportet eum duo probare, primùm veritatem debiti, hoc eſt, defunctum tempore vitæ & mortis ſuæ indebitatum fuiſſe perſonis mentionatis in computo. Secundò quod idem computans hujuſmodi debitum integrè & fideliter perſolvit. Similiter,

si in dicto computo petatur allocatio quarumcunque expensarum litium in foro sæculari expositarum pro debitis testatoris recuperandis, aut in actionibus contra computantem pro debitis suppositis defuncti institutis, vel pro expensis expositis in foro Ecclesiastico, in probando testamentum in communi forma, vel forsan in Judicio contradictorio per testes, vel in actionibus pro legatis cum bona sufficientia non remanent penes Executorem, vel in causa temeraria Administrationis contra temerè administrantes bona defuncti & impedientes Executorem, quo minus eadem administrare possit. Computans in omnibus istis casibus tenetur allegare & probare tales actiones institutas fuisse, & deindè specificare particulariter & probare per testes vel per juramentum suum, (si summæ petitæ fuerint minores, id est, non excedentes quadraginta solidos) quas in ijsdem exposuit expensas.

Et licet hic objici potest, quod si Executor sovebat justas causas in foro Ecclesiastico sive sæculari, quod tunc obtinens victoriam obtinebit etiam expensas litis & ideò easdem non esse ei allocandas in computo. Ad hoc replicari potest quod plerumque in his casibus litigantes quamvis obtinuerunt victoriam in causa, tamen non allocantur ijs integrè nec vix medietas expensarum expositarum. Ideò in his casibus probus & honestus computans tenetur integras expensas litium hujusmodi in computo specificare, & deinde fateri quantam summam pro eisdem sibi in dictis actionibus allocari obtinuit; & tunc petere allocationem tantum pro residuo earundem expensarum. Sed notandum est quod in quibusdam casibus superius in præsenti libro specificatis, utpore si Executor vocatus fuerit ad probandum testamentum per testes vel ad reddendum computum, ac agens in his casibus, productis

testibus

teſtibus ſuper teſtamento & exhibito computo renunciaverit liti, vel ulterius non litigaverit. Executor non obtinebit expenſas integras: igitur expenſæ in his caſibus ſunt computanti allocandæ.

Et quamvis ſupradicitur computantem teneri probare non ſolum veritatem debiti ſed etiam ſolutionem ejuſdem, tenent quamplurimi ex modernis advocatis quòd ad probandum veritatem debiti ſufficit exhibitio literarum obligatoriarum, & depoſitio unius teſtis de ſigillatione & traditione earundem, & quod ad probandum ſolutionem ſufficit depoſitio ſeu teſtimonium juratum unius fide digni teſtis de proprio facto (*viz*) quod tale debitum in computo mentionatum ſit verum & quod ipſe teſtis recipit illud, & juramentum partis principalis ſuppletorium ſeu in ſubſidium probationis, quoad ſolutionem verò legatarium in computo mentionatorum probare debet computans talia legata (quæ ſibi petit allocari,) fuiſſe in teſtamento defuncti relicta. Deinde ſolutionem per duos teſtes ſeu ad minus per unum teſtem nempe ipſum legatarium & per juramentum partis principalis ſuppletorium ad probandum verè talia legata fuiſſe relicta. Si computans exhibuerit teſtamentum cum approbatione ejuſdem, ſigillo Judicis (qui illud inſinuavit) communitum, & ſi Procurator Actoris vel ipſe Actor fuſus fuerit illud teſtamentum fuiſſe per Judicem in dicta approbatione teſtamenti nominatum, probatum, vel ſigillum, eidem teſtamento & approbationi ejuſdem appoſitum, fuiſſe ſigillum dicti Judicis approbantis, habetur & admittitur pro plena & ſufficienti probatione & non tenetur computans in hoc caſu probare per teſtes dicta legata fuiſſe relicta.

TITVL;

TITVL. LXXV.

De forma concipiendi computum ſive ex officio Judicis, ſive ad inſtantiam partis in judicio contradictorio.

IN computo Executor vel Adminiſtrator tenetur primum onerare ſe eum vero valore bonorum defuncti, in Inventario ſpecificatorum (nam in Inventarijs ſolent & tenentur Executores omnia bona jura credita & catalla defuncti inſcribere) deindè allocationes ſive deductiones in hunc modum allegandæ & petendæ ſunt, (*viz.*) Primò, inſcribenda ſunt debita, in quibus defunctus obnoxius fuit, vel quæ per eum debita fuerunt & ſi ea ſunt ſoluta ita allegandum eſt. Si verò omnia debita non ſunt ſoluta, ea tantum ſunt ſcribenda quæ ſolvuntur deindè onera tam funeralia, quam alia ordinaria quæcunque & expenſæ quas computans neceſſario expoſuit, ſeu exponere coactus fuit in probando teſtamentum defuncti, ſive in communi forma ſive in judicio contradictorio, ſive in actionibus quibuſcunque pro vel contra Executorem ratione executionis hujuſmodi teſtamenti, utpote pro debitis ſeu bonis teſtatoris recuperandis inſcribenda ſunt. In fine verò hujuſmodi computi ſumma totalis expoſitorum & allocandorum ſcribenda eſt, ut ex ea apparere poſſit, quæ & qualis ſumma (allocatis de jure allocandis, & deductis deducendis) remanet in manibus computantis inadminiſtrata.

Titvl. LXXVI.

De modo & forma allegandi inſufficientiam bonorum in judicio contradictorio.

Si bona ſufficientia ad ſolutionem legatorum libellatorum non remaneant penes Executorem tum ante concluſionem in cauſa, Executor vel Adminiſtrator allegabit ut ſequitur. *N.* (ſcilicet pars ipſa computans vel ejus Procurator) ad omnem juris effectum allegat quod ante litem in hac cauſa inſtitutam Dominus ſuus plenè adminiſtravit omnia & ſingula bona defuncti, & quod nulla bona defuncti in præſenti remaneant aut remanebant tempore inſtitutionis prætenſæ litis in manibus Domini ſui, ſufficientia ad ſolutionem legati libellati & petiti. Ponenda eſt hujuſmodi allegatio conjunctim & diviſim ac jus & juſtitia petendum eſt, admiſſâque hujuſmodi allegatione dandus eſt terminus probatorius, quia tamen hujuſmodi allegatio eſt nimis vaga, incerta, & generalis, ut examinator non poſſit teſtes ſuper eadem examinare, ſaltem ut concludenter probent intentionem proponentis, proponens tenetur eandem allegationem ſpecificare & declarare infra terminum datum ad probandum dictam generalem allegationem in hunc modum, *N.* ſpecificando allegationem plenæ adminiſtrationis alias per eum datam & eandem declarando ad omnem juris effectum exhibuit verum integrum & perfectum computum, de & ſuper adminiſtratione ſua in bonis defuncti & ad omnem juris effectum, allegavit omnia

&

& ſingula contenta in hujuſmodi computo fuiſſe & eſſe vera habita, geſta expoſita, & erogata modo & forma in computo hujuſmodi ſpecificatis; ponenda eſt etiam hujuſmodi allegatio conjunctim & diviſim ac admittenda ut ſupra. Quâ admiſſâ allegatione facilè & ſine magnis expenſis ſaltem in & circa examinationem teſtium, allegans poteſt teſtes ſuos producere non ſuper computo toto, ſed ſuper illa particulari ſumma, ſeu debito de quo teſtes deponere poſſunt.

TITVL. LXXVII.

Quod computans ad probandum vires & facultates defuncti tenetur in judicio contradictorio exhibere Inventarium bonorum defuncti.

IN titulo (de forma concipiendi computum) dicitur computantem teneri in computo onerare ſe cum verò valore bonorum defuncti, inventario alias per eum coram Judice (qui teſtamentum ex quo legatum libellatum petitur approbavit) exhibito mentionatorum. Tamen licet in contradictorio judicio Reus ad ſui exonerationem, (id eſt,) ad probandum quod plenè adminiſtravit bona defuncti, exhibuerit computum modo & forma in dicto titulo ſpecificatis conceptum, computans tamen tenetur ad juſtificationem ſeu ad probandum onus in eodem computo mentionatum (*viz.*) Talia bona & non plura ad ejus manus perveniſſe, poteſt itaque exhibere veram copiam inventarij bonorum dicti defuncti alias per eum coram Judice approbante dictum teſtamentum, exhibiti allegando ut ſequitur, *N.* in ſubſidium probationis per eum in hac cauſa datæ

exhibuit veram copiam inventarij bonorum *M.* defuncti & allegavit hujuſmodi copiam fuiſſe, & eſſe ſubſcriptum manu propria, *N.* Regiſtrarij dicti Judicis: eundemque Regiſtrarium fuiſſe & eſſe Notarium publicum probum & legalem, & Regiſtrarium ac Regiſtri cuſtodem dicti Judicis ac pro tali communiter dictum, nominatum & reputatum, hujuſmodique copiam fuiſſe & eſſe fideliter extractam ex Regiſtro prædicto ac concordari cum originali inventario in Regiſtro hujuſmodi remanente, illudque originale inventarium fuiſſe debito tempore exhibitum coram Iudice prædicto, ponenda eſt iſta allegatio conjunctim & divi:im & admittenda ut ſupra:

Et quia Procurator partis adverſæ eſt melius inſtructus quid & qualiter reſponderet ad hujuſmodi allegationem, quam ejus Dominus; juret Procurator prædicta allegans & exhibens quod fidelitèr poſuit eadem allegata, & petat reſponſa Procuratoris adverſæ partis dari hujuſmodi allegationi & inventario in ſcriptis, virtute ſui juramenti; quod juramentum idem Procurator præſtare tenetur. Si Procurator hujuſmodi ſcilicet partis adverſæ faſſus fuerit vel crediderit exhibita hujuſmodi fuiſſe ſubſcripta manu Regiſtrarij & eundem Regiſtrarium eſſe Notarium publicum probum & legalem, quamvis forſan negaverit, vel non crediderit cætera contenta in dicta allegatione ſufficienter tamen fundata eſt intentio proponentis allegationem prædictam. Nam cætera contenta hujuſmodi præſumuntur eſſe vera propter fidem Notarij publici. Sed ſi dictus Procurator juratus de fidelitèr reſpondendo allegationi & inventario antedicto inficiatus fuerit, vel in vim juramenti ſui reſpondeat ſe non credere dictam copiam exhibitam eſſe ſubſcriptam per Regiſtrarium allegatum, tunc ſubſcriptio hujuſmodi & veritas allegationis prædictæ probandæ ſunt, aut per ſcrutinium

nium in Archivis Regiſtri prædicti, (ut in titulo de forma petendi ſcrutinium) vel per teſtes præſentes tempore ſubſcriptionis dictæ copiæ Inventarij ac actus ſuper exhibitione ejuſdem & collatione eorundem per Regiſtrarium cum originalibus in Regiſtro remanentibus.

Nam notandum eſt quod ſi computans non probaverit per exhibitionem Inventarij antedicti, quæ & qualia bona defuncti pervenerunt ad manus ſuas (ratione executionis teſtamenti antedicti) tenetur probare per teſtes quæ & qualia quot & quanta bona teſtatoris pervenerunt ad manus ſuas, cujus probatio eſt admodum difficilis & in eo quod adivit hæreditatem defuncti probando teſtamentum, & adminiſtrando ejus bona, præſumitur bona ſufficientia teſtatoris perveniſſe ad manus Executoris vel per eum conſtitiſſe quo minus pervenerunt (quæ præſumptio tollitur ſi Inventarium fuerit exhibitum, ut ſupra, Et ſi ex inſpectione Inventarij conſtiterit bona non ſufficere ad ſolvendum omnia legata allocatis allocandis, & deductis deducendis) incumbit onus probandi Actori plura vel alia bona perveniſſe ad manus Executoris ut in titulo ſequenti latius apparebit,

Titvl. LXXVIII.

De objectione contra computum.

Quamvis computans liberatur à probatione oneris, id eſt, quantitatis ac valoris bonorum defuncti per ſolam exhibitionem Inventarij modo præmiſſo, tamen licitum erit adverſario in cauſa legati ſeu in quacunque alia cauſa (in qua beneficium plenæ adminiſtrationis allegatur) objicere contra hujumodi Inventarium & computum (*viz.*) quod diverſa bona ſunt omiſſa ex Iuventario & quod quædam alia bona non ſunt ſecundum juſtum valorem & pretium eorundem æſtimata & appretiata, & in hujuſmodi objectionibus ſpecificanda ſunt bona omiſſa & verus valor non ſolum eorundem bonorum omiſſorum ſed etiam aliorum quorumcunque ad juſtum valorem non æſtimatorum.

Titvl. LXXIX.

De beneficio confectionis & judicialis exhibitionis Inventarij.

Licet Inventaria non ſunt confecta neq; appreciata ſecundum jura Eccleſiaſtica, nec ſecundum formam ſtatuti, hujus Regni, tamen ex longo uſu per tempus immemoratum & ex ſtilo Curiarum obſervatur, ſi bona defuncti fuerint per aliquas perſonas honeſtas (vicinos tamen defuncti)

defuncti) appreciata, & in inventarium redacta, ac poſtea dictum Inventarium debito tempore coram Iudice probante teſtamentum vel committente adminiſtrationem ſub juramento partis principalis, ſeu ejus Procuratoris in ejus animam (obſervendum eſt quod hujuſmodi juramentum reprobatur per conſtitutiones Eccleſiaſticas in *Hibernia*) in debitâ juris forma fuerit exhibitum quod tunc facit plenam fidem in omnibus cauſis & Curijs, at exhibens liberatur ab onere probandi veritatem inventarij (ſcilicet quod defunctus non habuit plura bona) & retorquet probationem de bonis omiſſis in legatarium ſeu quemcunque alium prætendentem intereſſe in bonis defuncti ut in præcedenti titulo continetur.

TITVL. LXXXX.

In quo caſu pars ſeu Procurator partis poteſt declinare Judicem Curiæ Prærogativæ & excipere quod non ſit Index competens.

SI Executor vocatus fuerit, ſive ex officio Iudicis ſive ad inſtantiam partis, ad probandum aliquod teſtamentum alias coram Iudice in partibus probatum in communi forma per teſtes, vel ad acceptandum vel refutandum onus executionis teſtamenti, quod Executor differt probare in communi forma, vel ſi proximus conſanguineus defuncti, vel defuncti relicta (ad quos Adminiſtratio bonorum ab inteſtato ſit committenda,) vocati fuerint ad acceptandam vel refutandam adminiſtrationem bonorum defuncti, vel ad dicendum cauſam quare adminiſtratio bonorum eiuſdem

dem defuncti non deberet tali ſcilicet alicui remotiori gradu conſanguinitatis etiam aliquando creditori) committi, vel ſi aliquod teſtamentum fuerit probatum coram Iudice in partibus, in caſu ubi defunctus (ut ab Actore prætenditur) habuerit bona ſufficientia extra Dioceſim in qua mortem obijt ad fundandum juriſdictionem Curiæ Prærogativæ *Cantuarienſis*, & Executor fuerit vocatus ad dicendum cauſam quare probatio hujuſmodi teſtamenti tanquam, per non Iudicem facta, pro nulla & invalida declaratari, & caſſari non deberet.

Similiter ſi adminiſtratio ab inteſtato, cujus commiſſio ſpectat ad Curiam Prærogativæ (ſaltem ut per actorem prætenditur) fuerit coram incompetente Iudice in partibus commiſſa, & Adminiſtrator hujuſmodi vocatus fuerit ad dicendum cauſam, quare eadem adminiſtratio non deberet revocari, & tanquam per non Iudicem competentem commiſſa retractari, vel ſi ille, qui obtinuit à Iudice Curiæ Prærogativæ literas adminiſtrationis bonorum cujuſdam defuncti, vocaverit alium etiam habentem adminiſtrationem bonorum ejuſdem defuncti ſibi per Iudicem inferiorem commiſſam, ad reſpondendum certis articulis temerariam adminiſtrationem bonorum dicti defuncti concernentibus, & in ſimilibus cauſis ſpectantibus ad cognitionem Iudicis Curiæ Prærogativæ: in his omnibus cauſis ſi defunctus tamen non habuerit bona ſufficientia ad fundandam juriſdictionem Curiæ Prærogativæ ut in titulo *De cauſis tractandis in Curia Prærogative* Cantuar. Procurator pro parte citata poterit comparere ſub proteſtatione de non conſentiendo in Iudicem tanquam in Iudicem parti ſuæ in hac cauſa competentem, & allegare ut ſequitur, (*viz.*) quod *N.* citatus non tenetur comparere nec ſatisfacere contentis in proviſo mandato introducto, ex eo quod cognitio

hujus

hujus cauſæ non ſpectat ad hanc Curiam, pro eo, (*viz.*) & eò quod defunctus in dicto mandato introducto nominatus, mortem obijt in tali parochia Dioceſis *N.* & quod non habuit tempore vitæ & mortis ſuæ bona ſufficientia, vel nulla omninò bona ad fundandam juriſdictionem hujus Curiæ extra dictam Dioceſim in qua moriebatur. Et tunc Actor tenetur allegare & probare, ut in titulo proximo ſubſequenti continetur. Nam non præſumitur defunctum habuiſſe bona extra Dioceſim in qua mortem obijt, ac omne teſtamentum eſt probandum omniſque adminiſtratio committenda eſt de jure communi coram ordinario loci, & ideo Reus in hoc caſu habet pro ſe præſumptionem juris ideoque incumbit onus probandi juriſdictionem Curiæ Prærogativæ in hoc caſu Actori.

Et nota quod licet ſupra dictum eſt Reum debere allegare quod defunctus non habuit tempore mortis ſuæ bona ſufficientia extra Dioceſim in qua moriebatur ad fundandam juriſdictionem Curiæ Prærogativæ prout in dicto in his omnibus *&c.* Tamen nè dubitari poſſit, partem, dictam allegationem proponentem teneri ad eam probandam, Credo tutiſſimum eſſe ad evitandas de ea re juris queſtiones, ut Reus comparens in aliquo caſuum prædictorum ſub proteſtationibus hoc ſolum dicat, ſe non teneri ſatisfacere contentis in dicto mandato introducto niſi primo conſtiterit de jurisdictione hujus Curiæ & Domini Iudicis.

O

TITVL

TITVL. LXXXI.

De modo allegandi & probandi jurisdictionem Curiæ Prærogativæ.

I in aliquo caſuum prædictorum juriſdictio Curiæ Prærogativæ fuerit negata, & declinata, tunc Procurator actoris ſeu pars ipſa tenetur allegare quod defunctus mortem obiit in tali Diœceſi ſeu peculiari jurisdictione, & quod tempore mortis ſuæ habuit extra eandem Diœceſim, vel peculiarem juriſdictionem, talia vel talia bona, nomina, ſeu catella extendentia ad talem ſummam, ut in titulo *De cauſis tractandis in Curiâ Prærogativâ*, in tali Parochia, & quod ea dem Parochia, fuit & eſt infra tale Diœceſim, (*viz.*) in alia Diœceſi ſeu juriſdictione, extra quam defunctus mortem obiit, vel peculiarem juriſdictionem, & ſi hoc fuerit per adverſarium negatum, & per allegantem probatum, Reus non ſolum in expenſis factis, & faciendis in probatione juriſdictionis eſt condemnandus, verum etiam in præſentia ejus Procuratoris adverſarius poteſt petere & Judex decernere juxta contenta in dicto mandato introducto, id eſt, reum teneri ſatisfacere id quod eſſet faciendum ſi objectio contra jurisdictionem Curiæ propoſita non fuiſſet.

Notandum tamen eſt, quod expedit Procuratori neganti juriſdictionem Curiæ Prærogativæ, ut illud agat bona & optima fide, nam alias (mea ſententia) Procurator ut ſupra declinans juriſdictionem Curiæ Prærogativæ committit perjurium quia tempore ſuæ admiſſionis

admiſſionis in Procuratorem de Arcubus præſtitit juramentum quod nunquam faciet aut fieri procurabit aliquid contra privilegia & juriſdictiones Eccleſiæ Chriſti *Cantuarienſis*.

TITVL LXXXII.

De dilatione juramenti computanti ſuper minoribus ſummis virtute commiſſionis in partibus.

SI valetudinarius, aut ſeptuagenarius, vel alia perſona de jure privilegiata vocetur ad reddendum computum, quamvis perſonaliter Procurator ejus legitimus in die ad quē citatur ad reddendum computum animo excuſandi Dominum ſuum à quacunq; contumacia allegabit cauſam aliquam cauſarū prædictarum ob quam non poſſit vel non tenetur perſonaliter comparere aut reddere computum, & ſi ea non inficiata ſit per adverſarium, concedenda eſt commiſſio ad partes pro juramenti præſtatione computantis non ſolum ſuper toto computo, ſed etiam de veritate quarumcunque minorum ſummarum non excedentium quadraginta ſolidos, & ſtatuendus eſt dies & locus certus pro expeditione hujuſmodi commiſſionis, ac omnia facienda & expedienda ſunt in præſentia adverſarij ſeu ejus Procuratoris, ſeu in pœnam contumaciæ, ut ſupra in titulo *De expeditione commiſſionis ad partes pro teſtibus examinandis*. Sed ſi ex parte adverſa, cauſa per reum citatum allegata ad excuſandum eum à perſonali comparitione fuerit inficiata, tunc ea eſt alleganda ac probanda ac probatâ, perſona inficiens eſt condemnanda in expenſis, & concedenda eſt commiſſio ad

effectus prædictos, & è contra ſi pars eandem cauſam allegans defecerit in probatione ejuſdem tunc pars ſua non ſolum in expenſis condemnanda, ſed etiam in non comparendo & ſatisfaciendo contentis in mandato introducto excommunicanda eſt.

Caveat igitur Procurator Actoris, in iſto caſu, ut continuetur certificatorium mandati prædicti (ut ſupra) introducti uſque in proximum juridicum, poſt diem datum ad probandum cauſas ob quas Dominus ſuus non tenebatur perſonaliter comparere. Et nota quod in actu, tempore conceſſionis cõmiſſionis dictæ monendus eſt Procurator adverſarij ſi interſit ut ſuum putaverit intereſſe tempore expeditionis dictæ commiſſionis, ut ſi nec ipſe nec ejus Dominus interfuerit omnia geſta in pœnam contumaciarum valeant. Hic demum notandum quod tranſmiſſo proceſſu ſuper receptione computas prædicti, & juramento partis computantis de vsritate ejuſdem tam in genere quam in ſpecie quoad particularer illas minores ſummas, ſi Judici hanc commiſſionem concedenti conſtiterit omnia debito ordine expedita fuiſſe atque ſummas prædictas minores non fuiſſe fraudulentèr aut dolosè in minores ſummas diviſas, tunc præcedente petitione Procuratoris computantis omnes hujaſmodi ſummæ minores ſunt computanti allocandæ, quamvis hoc non eſt hiſce diebus practicatum, (id eſt) tranſmiſſâ commiſſione prædictâ petitio allocationis minorum ſummarum, Nam commiſſarij in partibus non habent poteſtatem has minores ſummas parti allocandi, ſed tantum ad deferendum juramentum computanti ſuper ijſdem, ſed utrum expedit ita practicari ſit judicium eruditorum advocatorum, ſcilicet utrum tranſmiſſo proceſſu ſuper dilatione juramenti computantis Procurator debeat petere allocationem minorum ſummarum vel quod eo ipſo allocentur per preſtationem prædicti juramenti ſine Judicis decreto.

TITVL. LXXXIII.

Quando dicitur eſſe concluſum in cauſa ſuper aliquo articulo emergente ante finalem ſententiam in cauſa principali.

MUltotiès contingit quod allegatio non concernens negotium principale datur, ſed aliam emergentem cauſam, exempli gratia. Objicio contra certificatorium cujuſdam mandati citatorij cujus vigore fui excommunicatus quod eſt fictum falſum fabricatum, ut in titulo, *De objectione contra certificatorium, & de abſolutione ab injuſtâ excommunicatione*, vel allegavi compoſitionem in cauſa, ac produxi teſtes ſuper hujuſmodi allegatione, ac facta publicatione eorundem teſtium, allegavi intentionem meam in hujuſmodi allegatione fuiſſe ſufficienter probatam, referendo me ad acta & probata, ac petij Dominum meum ſimplicitèr abſolvi, ac partem adverſam condemnari in expenſis factis in probatione dictæ allegationis, & Judex in præſentia Procuratoris partis adverſæ inficiantis allegata (hoc eſt quod probavi intentionem meam) per me eſſe vera aſſignavit ad audiendum voluntatem in proximo. Si verò in illo die Judex ad meam petitionem allegantem & petentem, ut prius, aſſignavit in præſentia Procuratoris partis adverſæ ad idem in proximo, (id eſt) ad audiendum ejus voluntatem ſuper mea petitione; Tunc hæ binę aſſignationes ſeu hæc aſſignatio ſecunda inducunt concluſionem in cauſa, quoad hujuſmodi articulum emergentem & non licet parti adverſæ contra dictos teſtes excipere nec quicquid contrarium allegationi & petitioni antedictæ proponere.

TITVL.

TITVL. LXXXIV.

De duplici querela in cauſa beneficiali.

SI Clericus fuit præſentatus ad Eccleſiam, & præſentationem hujuſmodi exhibuerit coram Epiſcopo Diocæſano, ſeu ejus Vicario in ſpiritualibus generali habente poteſtatem inſtituendi, & ab eo petierit ſe inſtitui, ſi Epiſcopus illum inſtituere & admittere recuſaverit poteſt iſte de eo querelari apud officialem de Arcubus, vel Judicem Curiæ audientiæ, qui Judices ſolent reſcribere in juris forma, Epiſcopo ad effectus ſubſcriptos, quod reſcriptum dicitur duplex querela.

TITVL. LXXXV.

Quid ſit duplex querela & de contentis in eadem.

DUplex querela eſt concipienda nomine Judicis eandem concedentis, & dirigenda eſt ut citatio ordinaria dirigitur, & hæc duplex querela primò ſummatiè continebit præmiſſa notata in proximo præcedenti titulo (viz.) talem præſentatum ad tale beneficium vacans petiſſe inſtitutionem & Epiſcopum recuſaſſe admittere, deinde continere debet non ſolum monitionem, ſed etiam citatio-

nem

nem & inhibitionem, ut ſequitur, *(viz.)* primo monebit Epiſcopum, vel ejus Vicarium in ſpiritualibus generalem habentem poteſtatem inſtituendi, quod infra quoddam tempus, utpote infra novem dies vel aliquando quindecem dies, *N.* præſentatum ad talem Eccleſiam admittat, & inſtituat, ac ſibi juſtitiam miniſtret; quorum dierum, tres (ſi novem dies conſtituti fuerint,) vel quinque (ſi quindecem dies fuerint aſſignati; pro primo; tres, vel quinque pro ſecundo, & tres vel quinque pro tertio vel peremptorio termino, ac monitionem Canonicam Iudici a quo querelatur aſſignabit, alioquin lapſis illis diebus & dicto *N.* non inſtituto, nec juſtitia miniſtrata, citabit Epiſcopum quod compareat per ſe vel ejus Procuratorem legitimum ſufficienter inſtructum decimo, vel decimo quinto die poſt executionem hujuſmodi duplicis querelæ, (ſi Iuridicus fuerit) alioquin proximo die juridico ut in citatione ordinaria, cauſam rationabilem & legitimam ſi quam pro ſe habeat aut dicere ſciat, quare ob ejus negligentiam, & non adminiſtrationem juſtitiæ, jus inſtituendi & induci mandandi dictum præſentatum, non deberet devolvi ad Iudicem concedentem duplicem querelam, & dictum præſentatum per eum inſtitui & induci mandari, dicturus & allegaturus. Inhibendum eſt etiam Epiſcopo & ejus Vicario nè (pendente hujuſmodi duplicis querelæ negotio indiſcuſſo) quicquam faciat in præjudicium partis querelantis ſub pœna juris. Admodum verò neceſſarium eſt ut hæc inhibitio fiat, nam aliquando Epiſcopus vel Iudex inferior, poſt executionem duplicis querelę, & ante relationem ejuſdem (ſaltem diem compartionis) admittit alium Clericum in maximum præjudicium querelantis, ac contemptum præſuperioris.

Quod

Quod ſi fecerit, majorem contemptum commiſiſſe dicitur, quam ſi id feciſſet nulla factâ inhibitione: hæc admiſſio facta poſt executionem dictæ duplicis querelæ, ac poſt inhibitionem antedictam per Iudicem concedentem dictam duplicem querelam, primo & ante omnia per viam attemptatorum revocanda, caſſanda, & pro nulla, & invalida, declaranda eſt poteſt etiam Archiepiſcopus cujus jurisdictio & authoritas in hoc caſu contemnitur, etiam & officialis de Arcubus, (ut ex ſtatutis Curiæ conſtat) contra Epiſcopum ſic attemptantem procedere in cauſa contemptus & cum ſuo arbitrio Canonice corrigere, (etiam ſi prædictus præſentatus & obtinens duplicem querelam facta examinatione vitæ, morum, & religionis, ac doctrinæ, inidoneus reperietur,) punitio tamen & correctio Epiſcopi in hoc caſu delinquentis referri ſolet ad ipſum Archiepiſcopum.

TITVL. LXXXVI.

De forma executionis duplicis querelæ & de faciendis per præſentatum.

PRimo curabit præſentatus aliquem literatum mandatarium monere Epiſcopum ad inſtituendum perſonam, præſentatum, ad miniſtrandum juſtitiam infra tempus in duplici querela mentionatum, & etiam eidem in hibere juxta tenorem inhibitionis in eadem duplici querela mentionata (qua executione facta infra triduum,) adibit præſentatus Epiſcopum

&

& debitâ cum reverentia petet ſe inſtitui, & juſtitiam ſibi miniſtrari, & offerat ſe promptum & paratum ad ſubſcribendum articulis religionis per Clericos ad quæcunque beneficia Eccleſiaſtica admittendos ſubſcribendis, & de præſtando juramentum, de agnoſcendo ſupremam regiam authoritatem juxta ſtatuta hujus regni, in ea parte edita, & de canonica obedientia Epiſcopo ac aliud quodcunque juramentum licitum & honeſtum & in hoc caſu requiſitum. Hoc etiam faciet præſentatus binis alijs vicibus infra dies præſcriptos (*viz.*) quolibet tertio die (ſi novem dies fuerunt conſtituti vel die quinto ſi quindecem dies fuerint aſſignati ad inſtituendum ſi ſaltem poterit habere præſentiam Epiſcopi, ſi non poſſit, de eo debet proteſtari & teſtes ad perhibendum teſtimonium rogare, & ſi Epiſcopus infra tempus aſſignatum non curaverit inſtituere præſentatum tunc lapſis diebus deliberatorijs, præſentatus curabit Epiſcopum citari juxta tenoretu dictæ duplicis quærelæ.

TITVL. LXXXVII.

De Citatione vijs & modis ſi Epiſcopus non poſſit citari.

SI Epiſcopus præſentiam ſuam ſubſtraxerit à mandatario, vel potius ità alijs urgentibus negotijs impeditus fuerit, quo minus mandatarius poſſit eum citare, ſignificet mandatarius debita cum reverentia famulis dicti Epiſcopi quod habet citationem (*viz.*) duplicem quærelam ad inſtantiam *N.* præſentati ad tale beneficium, exequendum, & petat ut poſſit habere præſentiam Epiſcopi, &

ſi hoc non poſſit obtinere, expectet præſentatus diem in quo comparuiſſet Epiſcopus, caſu quo fuiſſet citatus, & præcenizetur, & ſi per Procuratorem non comparuerit nec ſatisfecerit contentis in duplici querela, decernende eſt citatio vijs & modis, ut in ceteris cauſis, ſed ante executionem ejuſdem, facienda eſt petitio per mandatarium. ut poſſit conventre Epiſcopum ad effectum exequendi dictum mandatum perſonaliter, & ſi non poſſit, tunc citatio affigenda eſt foribus exterioribus pallatij Epiſcopi, vel illarum ædium in quibus reſidet Epiſcopus vel Eccleſiæ Cathedralis Epiſcopatus.

TITVL. LXXXVIII.

In quo caſu præſentatus non tenetur expectare tempus deliberatorium datum Epiſcopo ad inſtituendum.

SI Epiſcopus fuerit monitus per mandatarium, vel rogatus ad adminiſtrandum juſtitiam, & admittendum præſentatum, ut ſupra, & poſt executionem mandati per præſentatum, dixerit ſe nolle inſtituere hujuſmodi præſentatum, vel admittere expreſſe recuſaverit. Tunc mandatarius prædictus poterit ſtatim citare Epiſcopum ad comparendum, ut ſupra; & præſentatus non tenetur expectare dilationem datam in duplici querela, hoc eſt adire Epiſcopum, nec citare Epiſcopum poſt lapſum dierum aſſignatorum ad inſtituendum, ratio eſt quia tempus erat datum Epiſcopo ad deliberandum, & ille expreſſe denegando inſtituere, recuſat deliberatorium tempus ſibi datum.

TITVL.

TITVL. LXXXIX.

De certificatorio dictæ duplicis querelæ.

Andatarius debet certificare parti quærelanti, vel ejus Procuratori per literas, aut per ſubſcriptionem in dorſo duplicis quærelæ, non ſolum de die executionis monitionis ad inſtituendum, ſed de diebus quibus præſentatus petijt ſe inſtitui, quo die citavit Epiſcopum ad comparendum, & quo die inhibuit Epiſcopo, & ſi Epiſcopus recuſaverit admittere præſentatum, mandatarius tenetur etiam illud certificare.

TITVL. LXXXX.

De petitione Procuratoris pro decreto Judicij, cum duplex querela ſit relata & Epiſcopus non comparuerit.

IN die comparitionis Epiſcopi, Procurator actoris dicet, exhibeo Procuratorium meum pro *N.* Clerico præſentato ad tale beneficium, ac facio me partem pro eodem & exhibeo mandatum originale cum certificatorio indorſo ejuſdem, & accuſo contumaciam Reverendi patris *M. Wigo*: Epiſcopi moniti ad inſtituendum Dominum meum ad Eccleſiam de *R.* infra tempus in

hujuſmodi mandato ſpecificatum, & adminiſtrandum ſibi juſtitiam, alioquin citari ad comparendum iſtis die & loco ad dicendum cauſam quare ob ejus negligentiam jus inſtituendi eundem, *N.* non deberet devolui ad hanc curiam, & Dominum Judicem ejuſdem; & non curantis nec inſtituere, nec juſtitiam miniſtrare, nec comparere, nec aliquam cauſam allegare; quare peto eum reputari contumacem & in pœnam hujuſmodi contumaciæ pronunciari & decerni prout in dicto mandato introducto continetur, (id eſt, pro juriſdictione Curiæ ac jus inſtituendi &c. eſſe devolutum ob negligentiam Epiſcopi. Tunc Judex facit dictum Epiſcopum publicè, trina vice præconizari, & ſi non comparuerit nec per ſe nec per ejus Procuratorem, dicat Judex nos pronunciamus eum contumacem, & in pœnam hujuſmodi ſuæ contumaciæ pronunciamus jus inſtituendi *N.* ad dictam Rectoriam eſſe ob negligentiam Domini Epiſcopi nobis devolutum, atque dictum *N.* ad & in dictam Eccleſiam inſtituendum, & loci ordinario (*viz.*) Archidiacono vel ejus officiali pro ejus inductione ſcribendum fore decernimus.

In his caſibus (factâ præconizatione prædictâ) ſolent Judices remittere præſentatum ad examen Archiepiſcopi, ut ſi idoneus reperiatur illi reſcribat Judici pro admiſſione præſentati, tunc edita cautione per inſtituendum de conſervando inſtituentem indemnem, ratione hujuſmodi inſtitutionis juxta uſum Regiſtri. in his cauſis & conſimilibus à tempore immemorato, uſitatum eſt quod literæ inſtitutionis ſint ſigillo Judicis communiendæ & parti tradendæ, & decernendum eſt mandatum Archidiacono loci pro ejus inductione: Qui Archidiaconus ſolet & tenetur aut perſonaliter aut per ejus officialem realiter & actualiter dictum inſtitutum ad hujuſmodi beneficium inducere & realem poſſeſſionem tradere.

TITVL. LXXXXI.

De juramento per inſtituendum præſtando.

PRæſentatus ante ejus inſtitutionem (de qua in præcedenti titulo fit mentio) primo ſubit juramentum mentionatum in Actu Parliamenti de agnoſcendo ſupremam authoritatem Regiam, deinde tenetur ſubſcribere articulis religionis mentionatis in dicto ſtatuto, tunc jurabit canonicam obedientiam tum Archiepiſcopo *Cantuarienſi* & ejus Succeſſoribus, ac (ſi ſit Vicaria) de perſonali reſidentia in eadem.

TITVL. LXXXXII.

De modo procedendi in negotio duplicis querelæ ſi Epiſcopus comparuerit.

SI Epiſcopus comparuerit, & allegaverit cauſas ſufficientes, ab quas non admiſit præſentatum, veluti quod eccleſia ſit plena, de perſona alterius incumbentis, vel quod præſentatus ſit infamis, criminoſus, ſimoniacus, vel indoctus, ita quod non poteſt reddere rationem fidei in latino ſermone, vel quod habeat aliud beneficium incompatibile cum beneficio controverſo, tunc procedendum eſt in eo negotio prout in alijs cauſis ſummarijs, & utrique parti liceat replicare, dupli-

care, & excipere contra teſtes ut in cæteris cauſis ſummarijs, ſi tandem cauſæ allegatæ per Epiſcopum probatę non fuerunt, pronuntiandum eſt ut ſupra per ſententiam definitivam vel per decretum interlocutorium pro jurisdictione Judicis, & præſentatus eſt inſtituendus (obſervatis prędmiſſis in præcedenti titulo ſpecificatis) & Eiſcopus in expenſis condemnandus eſt; Sed ſi Epiſcopus objecta præmiſſa, vel eorum aliqua ſufficienter probaverit (ad elidendum actoris intentionem) ob quę non tenebatur inſtituere prędſentatum, & in non inſtituendo (quamvis ut ſupra, monitus) non fuerit contumax, tunc ferenda eſt ſententia eo & præſentatus eſt in expenſis factis ex parte Epiſcopi condemnandus. Sed ſi Epiſcopus noluerit litigare nec litem prædictam defendere, ille Clericus qui beneficium controverſum poſſidet, vel forſan eſt etiam ad idem præſentatus ſolet hanc litem in ſe ſuſcipere, ac comparere & allegare Eccleſiam eſſe plenam de ejus perſona, ſed in iſto caſu, (id eſt, ſi hęc allegata data fuerunt ex parte præſentati & non Epiſcopi) ſolet Iudex quęrelæ pronuntiare primo pro ſua in hac parte jurisdictione ut ſupra, ac jus inſtituendi præſentatum (ſi nulla prędmiſſorum obviant) ſibi eſſe devolutum, & ad curiam ſuam, quoniam Epiſcopus nullam allegavit cauſam ob quam ita non pronunciaretur, faciendata men ſunt hæc in pœnam contumaciæ dicti Epiſcopi.

Et quamvis ſupradicitur quod ille qui etiam eſt prędſentatus ad beneficium ſolet hanc litem in ſe ſuſcipere, tamen ſi Epiſcopus placuerit ac mandatum ſufficiens ad hoc dederit; Clericus qui etiam eſt ad beneficium controverſum prędſentatus, & qui intendit obſtare admiſsioni quærelantis, poteſt nomine Epiſcopi ſalariare Procuratorem ad allegandum illas cauſas contra admiſtionem quærelantis, & in hoc caſu, quia hæc allegantur nomine Epiſcopi, non eſt pronunciandum

pro

pro juriſdictione Iudicis, niſi in eventu probationis aut non probationis hujuſm odi allegatorum.

Sed notandum eſt, quod ſi cauſa ob quam Epiſcopus recuſavit prædictum Clericum (qui obtinuit duplicem querelam) admittere, ſit, quia etiam alius Clericus fuerit ad idem beneficium preſentatus, hęc cauſa non eſt ſufficiens & concludens ad excuſandum Epiſcopum à negligentia. Nam ſi duo Clerici ad unum & idem beneficium fuerint præſentati, Epiſcopus ad purgandum ejus negligentiam, tenetur procedere ad inquiſitionem de jure patronatus, dicitur omnino negligens, ſi vacante Eccleſia duo præſentati fuerint & Epiſcopus non proceſſerit ad inquiſitionem.

Si tamen Iudici (ad quem pro juſtitia ut ſupra querelatur) conſtiterit, dictum primum Clericum querelantem propter incapacitatem, vel defectus alios non eſſe admittendum, ille ſecundus Clericus ſi exhibuerit literas preſentationis de perſona ſua factas, ad Eccleſiam controverſam & ſe admitti ad eandem petierit, idoneus reperiatur, admittendus eſt per dictum Judicem ſuperiorem, & non eſt committendus ad Epiſcopum, quia pro hac vice ſeu vacatione ob negligentiam Epiſcopi devolvit jus inſtituendi ad dictum Iudicem ſuperiorem. Sed dato cauſam nullam objeci poſſe contra primum Clericum, quoad habilitatem ejus perſonæ, & quod ob negligentiam Epiſcopi, ut ſupra, nullam cauſam allegantis *&c.* pronunciatum fuerit pro juriſdictione dicti Iudicis ſuperioris, & dato, quod unus Clericorum ſteterit pro ejus admiſſione ad dictum beneficium, Iudex in illo caſu non debet ullum ex dictis Clericis admittere quamvis nihil eis obviat, quia ſunt per diverſos Patronos præſentati, ſed procedere tenetur in negotio inquiſitionis de jure patronatus & tunc facta inquiſitione hujuſmodi tenetur illum Clericum admittere pro quo veredictum

ctum ſit latum, denique caveant Clerici reſpectivè prædicti quod exhibeant literas præſentationis de perſonis ſuis ad beneficium litigioſum infra ſex menſes à vacatione ejuſdem, nè forte lapſis dictis ſex menſibus interveniat Epiſcopus ad quem (ratione lapſus temporis) collatio dicti beneficij ſpectat, vel alius tertius Clericus cui Epiſcopus hujuſmodi beneficium per lapſum temporis contulit. Nam in iſto caſu ſufficiunt ſex menſes à die vacationis beneficij (ut fiat lapſus) non obſtante litis pendentia antedicta, ſi patroni vel patronus non præſentataverint vel præſentaverit infra hujuſmodi ſex menſes. Nam non ſufficit ſecundo aut tertio forſan Clerico intervenienti pro intereſſe ſuo, in negotio duplicis querelę agitato, contra Epiſcopum, vel primum Clericum præſentatum allegare ſe fuiſſe præſentatum ſed exhibere tenetur literas præſentationis & petere ejus admiſsionem & inſtitutionem & tunc non currit tempus.

Titus. *LXXXXIII.*

De querela duplici in aliis cauſis.

Similiter etiam poteſt Officialis de Arcubus vel auditor cauſarum audientię reſcribere per viam duplicis Querelæ in quacunque alia cauſa ob denegatam ſeu non adminiſtratam vel dilatam juſtitiam, utpote ſi inferior Iudex recuſaverit, ſeu plus juſto diſtulerit probare teſtamentum per Executorem exhibitum, vel Adminiſtrationem committere proximo conſanguineo eandem committi petenti, vel commiſſam

commiſſam contra *juris* exigentiam & formam Statuti revocare, ſi hæc petitio facta fuerit tribus ſeparatis juridicis idque inſtanter, inſtantius, & inſtantiſſime, Iudex ſuperior antedictus poteſt reſcribere Iudici inferiori per viam duplicis querelæ modo & forma ut in ſequenti caſu, ſi Iudex in partibus ſive Epiſcopus Dioceſanus vel ejus officialis, vel alius Iudex Eccleſiaſticus aſſignaverit ad audiendam ſententiam in cauſa quacunque Eccleſiaſtica per quatuor aut plures dies, ac fuerit informatus per partem petentem ſententiam, tam in facto quam in jure, & tamen Iudex inferior noluerit ſeu plus juſto diſtulerit ferre ſententiam, nec pro parte actrice nec pro parte rea quamvis ad ferendam ſententiam & adminiſtrandam juſtitiam ſæpius & iteratis vicibus (*viz.*) tribus diſjunctis diebus juridicis) etiam inſtanter, inſtantius, & inſtantiſſimè requiſitus, & interpellatus fuerit, uterque Iudicum prædictorum nempe de Arcubus & Audientiæ poterit ad petitionem partis gravatæ reſcribere per viam duplicis querelæ, & monere Iudicem inferiorem ad ferendam ſententiam, & juſtitiam miniſtrandam infra aliquod tempus competens (*viz.*) infra vel quindecem dies ut ſupra, alioquin citare eundem Iudicem ad comparendum quinto, ſexto, vel decimo die poſt executionem *&c.* juxta loci diſtantiam hujuſmodi Iudicis à quo querelatur, à loco judiciali Iudicis ad quem querelatur (*viz.*) ſuperioris ad dicendam cauſam quare ob ejus negligentiam & non adminiſtrationem juſtitiæ *jus* procedendi in dicta cauſa juxta formam retroactorum, id eſt, in eodem ſtatu quo cauſa ſteterit tempore executionis dictæ querelæ & ferendi ſententiam in eadem, non deberet devolvi ad dictam Curiam & Iudicem ejuſdem, & eſt in omnibus procedendum ut ſupra, hoc eſt ſi Iudex inferior ſit citatus & monitus non comparuerit

nec cauſam aliquam concludentem ob quam præmiſſa contenta in duplicici quærela non fecerit, allegaverit, pronunciandus eſt contumax, & in pœnam ejuſdem pronunciandum eſt pro jurisdictione dicti ſuperioris Iudicis, & procedendum eſt in cauſa juxta formam retroactorum & in caſibus prædictis ad probationem teſtamenti & còmiſſionem vel conceſſionem commiſſionis adminiſtrationis, & deinde decernenda eſt monitio, cum quærelatur propter non prolatam ſententiam tam pro proceſſu ac contra partem quærela, tam id eſt, partem adverſam ad comparendum aliquo die ad videndum ulteriorem proceſſum fieri in ejus præſentia juxta formam retroactorum & præſertim ad videndum & audiendum terminum aſſignari ad audiendam ſententiam & ad videndum ſententiam ferri. Si citatus comparuerit & proceſſus tranſmiſſus fuerit, eſt procedendum ut in cæteris cauſis juxta formam retroactorum coram Iudice ad quem quærelatum eſt, ſed ſi pars adverſa non comparuerit eſt pro ejus contumaciâ excommunicanda, ſervatis de jure in ea parte ſervandis.

Similiter ſi Iudex & Regiſtrarius non curaverint proceſſum tranſmitti juxta monitionem, ſunt excommunicandi ut in cauſa appellationis. Tamen nota quod ſi quærelans cupit expeditionem cauſæ ac juſte timet adverſarium animo protrahendi litem, nolle comparere, ſed potius ſuſtinere ſententiam excommunicationis & in eadem perſiſtere per quadraginta dies, poterit obtinere in dicta citatione ſupra mentionata ad citandam partem adverſam ad videndum proceſſum fieri juxta formam retroactorum, clauſulam intimationis, quod ſi citatus non comparuerit tunc Iudex intendit procedere in cauſa juxta formam retroactorum etiam ad probationem ſententiæ definitivæ incluſivè, in iſto caſu citationis & intimationis, Iudex poteſt in

pœnam

pœnam contumaciæ partis citatæ procedere & ferre ſententiam, ac valet proceſſus.

Similiter Iudex ſuperior poterit ad inſtantiam partis gravatæ reſcribere per viam duplicis querelæ, ſi materia vel allegatio concludens fuerit data ex parte actoris, vel ex parte Rei, & Iudex in partibus terrogatus inſtanter inſtantius, & inſtantiſſime, idque tribus ſeparatis diebus juridicis, & interpellatus ad eandem admittendam non admiſerit ſeu admittere plus juſto diſtulerit de die in diem aſſignando ad audiendam ejus voluntatem ſuper admiſſione ejuſdem, & ita protrahendo litem plus juſto, poteſt etiam gravatus in iſto caſu à dilatione hujuſmodi appellare, ut ſuo loco de hac quæſtione tractatur, ſed plerumque partes gravatæ in hoc caſu ad expenſas parcendas, potius cupiunt obtinere duplicem querelam quam inhibitionem, credentes & ſperantes Iudicem in partibus, velle potius admittere materiam & miniſtrare juſtitiam ac ferre ſententiam quam ut cauſa per hanc duplicem querelam tractaretur coram Judice ſuperiore, ex quo idem inferior Judex amitteret fœda ſibi debita & incidentia, proſecutione & diſcuſſione hujuſmodi cauſæ. nam in caſu duplicis querelæ, ſi Iudex monitus ad miniſtrandum juſtitiam eandem miniſtraverit, proceſſus non eſt tranſmittitendus, ſecus in cauſa appellationis.

TITVL. LXXXXIV.

Quod Procurator mortuo Domino poſt litem conteſtatam non deſinit eſſe Procurator.

SI lis fuerit conteſtata cum Procuratoribus, & tunc pars principalis fatis ceſſerit, Procurator mortui ſive actoris, ſive rei, quoniam per litis conteſtationem factus eſt Dominus litis, poteſt litem hujuſmodi proſequi, & defendere, ac omnia facere, quæ facienda eſſent, ſi pars principalis non fuiſſet mortua, etiam obtinere ſententiam diffinitivam.

Similiter, ſi quis appellaverit à gravaminibus (ut prætenditur) illatis ante ſententiam diffinitivam & Iudex appellationis pronunciaverit male appellatum ac cauſam Iudici à quo remiſerit, & appellatus coram eodem Iudice à quo literas remiſſorias hujuſmodi exhibuerit progrediqué juxta formam retroactorum (*vide*) in eodem ſtatu quo cauſa fuit tempore interpoſitæ appellationis) petierit, Procurator hujuſmodi appellati poteſt in præſentia Procuratoris partis appellantis omnia facere agere & expedire proinde ac ſi non fuiſſet appellatum omnino Nam Procurator appellans à gravaminibus, non deſinit eſſe Procurator per appellationem à gravaminibus, ante latam ſententiam. Nam mandatum Procuratorium durat uſque in prolationem ſententiæ diffinitivæ. Et ideo in hoc caſu remiſſionis appellatus non tenetur vocare partem principalem appellantem ad videndum ulteriorem proceſſum ut ſupra, Nota tamen quod præmiſſa locum habent in cauſis realibus & non perſonalibus, quia actio perſonalis moritur cum perſona.

TITVL.

TITVL. LXXXXV.

In quibus caſibus Procurator definit eſſe Procurator & functus eſt officio.

MOrtuo cliente tuo ante litis conteſtationem non es ulterius cogendus litigare, nec cauſam defendere, licet alias exhibuiſti procuratorium pro eodem & feciſti te etiam partem pro eodem ac forſan in tua præſentia datus erat libellus cum his non fuerit conteſtata; ſed adverſarius tenetur vocare Executores vel Adminiſtratores defuncti allegando ut in tertio ſequenti titulo, *De petitione Procuratoris contra Executorem*, &c. continetur. Si Procurator obtinuerit ſententiam pro Domino ſuo & fuerit per adverſam partem ob eadem appellatum uterque Procuratorum functus eſt officio, & nihil poteſt peti per unum contra alium Procuratorem, aut in ejus præſentia, niſi ipſe Procurator contra quem hoc petitum fuerit, de novo, poſt latam ſententiam exhibuerit Procuratorium ſuum pro Domino ſuo, quod ſæpiſſime contingit cum Procurator appellans comparuerit coram Iudice à quo ad allegandum fuiſſe appellatum, vel quando appellans qui obtinuit in cauſa comparuerit ad obtinedum decretum ad dicendum cauſam quare ſententia non deberet executioni mandari, ac licet appellatus obtinuerit ſententiam remiſſionis, ac literas remiſſionis Iudici à quo præſentaverit, tamen nihil faciendum eſt in præſentia Procuratoris adverſarij, ſed vocanda eſt pars principalis (ut ſupra) nam poſt ſententiam & appellationem ob eadem, Procurator definit eſſe Procurator & functus eſt officio.

TITVL. LXXXXVI.

De forma concipiendi ſententiam ſi reus fuerit mortuus poſt litem contestatam.

SI adverſarius tuus fuerit mortuus poſt litem conteſtatam, & ante latam ſententiam, cave nè condemnes perſonam defunctam, (licet ſententia poſſit fieri in præſentia ejus Procuratoris) in aliquo quoniam tunc ſententia erit nulla, ſed concipiatur ſententia in hunc modum, partem dicti *N.* in tali legato vel in expenſis condemnandam eandemque partem ad ſolvendum *&c.* monendum fore decernimus, & in iſto caſu poſt lapſum terminum ad appellandum de jure indultum, (id eſt, de jure infra decem & de Statutis infra quindecem dies) à die latæ ſententiæ vocandi ſunt Executores, vel Adminiſtratores ad videndum executionem ſententiæ ut in ſequenti titulo.

TITVL. LXXXXVII.

De Petitione Procuratoris contra Executores ſeu Adminiſtratores defuncti ad dicendum cauſam quare ſententia non deberet Executioni demandari.

PRocurator qui obtinuit ſententiam allegabit quod poſt litem conteſtatam vel forſan pendente cauſa appellationis *N.* id eſt, pars contra quam lata erat ſententia mortem obijt, atque condidit teſtamentum atque tales conſtituit executores, & quod illi teſtamentum hujuſmodi coram Iudice competente probarunt, vel quod *N.* deceſſit ab inteſtato & quod adminiſtratio bonorum ejuſdem defuncti fuit & eſt commiſſa *M.* & per eum acceptata, & ideo peto M vocandum fore decerni erga talem diem ad dicendum cauſam, quare ſententia alias in tali cauſa & inter tales perſonas lecta executioni demandari & expenſæ taxari non debeant. Et tunc exequenda eſt hęc ſententia, & procedendum eſt in omnibus ut ſi pars ipſa non fuiſſet mortua, ut in titulo, *De forma demandandi ſententiam executioni quando appellans*, &c. & deforma demandandi ſententiam ſi pars contra quam lata erat ſententia comparuerit.

TITVL.

TITVL. XCVIII.

Quod beneficium plena adminiſtrationis poſſit allegari poſt latam ſententiam.

SI in toto proceſſu ante concleſionem in cauſa reus contra quem petitur legatum non allegavit plenam adminiſtrationem bonorum defuncti (*viz.* bona ſufficientia ad ſolvendum legatum petitum non remanere penes ſe, nec per eum ſtetiſſe aut ſtare quo minus remaneant, poteſt hoc allegare poſt latam ſententiam ad impediendam executionem ejuſdem, tamen ſi hoc petatur ab adverſario condemnandus eſt allegans inſufficientiam bonorum, in expenſis prioris inſtantiæ propter ejus negligentiam in hoc non prius allegando, & cogendus eſt ad ſolvendum eaſdem antequam audiatur, ſed fallit tamen, ſi poſt latam ſententiam & ante executionem ejuſdem, Executor in foro ſeculari condemnatus fuerit in debito computanti ineognito ante prolationem ſententiæ definitivæ, ita ut tunc ratione hujuſmodi condemnationis non remanebant penes eum bona ſufficientia ad ſolvendum legatum adjudicatum, condemnatus poteſt hoc allegare poſt latam ſententiam, quamvis allegaverit ante latam ſententiam plenam adminiſtrationem, & in iſto caſu computans ſi hujuſmodi allegata probaverit, non eſt condemnandus in expenſis prioris litis nec cogendus ad ſolutionem earundem antequam audiatur vel moneatur, niſi ex parte adverſarij probari poſſit computantem ante latam ſententiam prædictam

ſtam habuiſſe notitiam hujuſmodi debiti. Nam tum fuit in mala fide hæc non allegando ante concluſionem in cauſa, & ideo expedit dicto computanti in allegatione hujuſmodi allegare, quod citra concluſionem in cauſa primo habuit notitiam dicti debiti & per hoc evitabit ſolutionem expenſarum uſque in finem & eventum probationis aut non probationis dictæ allegationis. Nam ſi probaverit juramento ſuo non eſt condemnandus in illis expenſis, Si vero defecerit condemnabitur in expenſis tam prioris quam iſtius inſtantiæ.

TITVL. XCVIII.

Modus procedendi in negotio quod dicitur de jure patronatus.

SI duo Patroni præſentaverint ordinario reſpectivè Clericos & Clerici hujuſmodi inſtiterint pro eorum admiſſionibus, & Epiſcopus admittendo unum rejicit alterum, rejectus ſeu ſaltem ejus Patronus habet actionem contra Epiſcopum (non in foro Eccleſiaſtico) ſed in foro ſeculari de quare impedit vel conſimilem actionem Ideo in his caſibus Epiſcopus ſolet decernere procedendum in negotio quod dicunt de jure patronatus, hoc eſt ſtatuendus eſt ab Epiſcopo dies certus ad ſedendum in Eccleſia vacua, & decernenda eſt monitio contra Patronos præſentantes, & Clericos præſentatos, ad tunc intereſſendum, ad videndum proceſſum fieri in dicto negotio juxta juris exigentiam, erga diem hujuſmodi Epiſcopus curabit per citationem ad effectum in præſenti, mentionatum, ſex Clericos

& ſex laicos ex proximis vicinis dictæ Eccleſiæ, intereſſe die & loco aſſignatis ad ſubeundum juramentum de fideliter inquirendo de & ſuper quibuſdam articulis eis tunc & ibidem miniſtrandis inquiſitionem juris præſentandi ad dictum beneficium concernentibus, eſt etiam decernendum edictum publicum contra omnes jus aut intereſſe in negotio dicto habentes vel habere prætendenses ad intereſſendum die & loco prædictis ad proponendum eorum intereſſe in ea parte ſi quod habeant & erga diem comparitionis perſonarum prædictarum citatarum tam in ſpecie quam in genere, articuli etiam ſunt concipiendi de quibus per jurandos inquiri debet, dictum vero edictum publicum eſt affigendum foribus exterioribus Eccleſiæ controverſæ divinorum tempore,

TITVL. XCIX.

Tenor ſeu effectus articulorum miniſtrandorum in negotio, Quod dicunt de jure Patronatus.

INprimis quis vel qui præſentavit aut præſentabat ultimo ad Eccleſiam de *N.* ultima vacatione ejuſdem, nec non pro duabus vel tribus ultimis ſeu poſterioribus vacationibus dicti beneficij.

Item utrum perſona ſit perſona quæ ultimò ſeu dictis duabus vel trinis vicibus, vel vacationibus præſentavit, vel præſentarunt, ad dictum beneficium ſi præſentarunt vel præſentavit proprius titulis eorum,

Item, utrum aliquis ex Clericis præſentatis ſit notatus

tatus aut ſuſpectus de aliquo notario vel famoſo crimine vel hęreticæ aut ſymoniacæ pravitatis, perjurij adulterij, vel ebrietatis.

Item, utrum aliquis ex Clericis præſentatis aliquid dederit aut promiſit per ſe, aut per aliquam interpoſitam perſonam ſuo nomine, aut de ejus conſenſu vel notitia, aliquam pecuniam aut munus aliquod directe vel indirecte ad effectum obtinendi præſentationem de perſona ſua ad dictum beneficium, patrono ejuſdem vel alij qui Clericum præſentavit aut præſentari procuravit & obtinuit.

Titvl. C.

De modo procedendi in dicto negotio inquiſitionis tempore relati mandati prædicti citatorij.

Mandata prædicta tam contra Clericos & laicos quam contra perſonas prædictas tam in ſpecie quam in genere ſunt debitè & authenticè, (*viz.*) aut per juramentum perſonale mandatorij vel per certificatorium authenticum & authenticè ſigillatum & ſcriptum in dorſis mandatorum prædictorum, certificanda, & facta publica proconizatione pro citatis hujuſmodi in ſpecie & in genere eiſque comparentibus procedendum eſt in dicto negotio in eorum præſentijs & in pœnam contumaciæ non comparentium; facta prius pronunciatione quod ſint contumaces juxta tenorem mandatorum prędictorum & tunc laici & Clerici juramento onerandi ſunt de fidelitèr inquirendo.

Super articulis tum miniſtratis, ac publicè lectis, & eis traditis, ac de referendo eorum veredictum ſeu judicium eadem die, vel ſi cauſa ſit dubia infra biduum, vel triduum, & ſi juratores ſeu inquiſitores prædicti tulerint veredictum, ſeu judicium, talem patronum, ſeu præſentantem fuiſſe in poſſeſſione præſentandi tempore ultimæ vacationis dicti beneficij, Clericus Patroni hujuſmodi ſi nulla præmiſſa obviant, (id eſt.) quæ in tertio vel quarto articulis prædictis inquiſitoribus datis continentur, eſt admittendus, & hic notandum eſt quod patroni prædicti ſolent curare ut interſint tempore inquiſitionis prædictæ Advocati, & juris periti, in lege municipali hujus Regni ad informandum conſcientias juratorum, & ad exhibendum, ſaltem oſtendendum hujuſmodi juratis inquiſitoribus inſtrumenta, & evidentias quaſcunque pro probatione eorum juris in præſentatione.

Titvl. CI.

De recuſatione Judicis.

SI quis fuerit conventus coram Judice ſibi ſuſpecto, ac minus indifferente primo & ante omnia facienda eſt recuſatio in ſcriptis continens ſpecificè cauſas hujuſmodi recuſationis utpote quia Judex eſt tibi inimicus (& ſpecificandæ ſunt hujuſmodi inimicitiæ) vel quia eſt conſanguineus partis adverſæ, vel quia lites & controverſiæ inter te & Judicem recuſatum pendent ſpecificando eaſdem & ſimilia, & concluſione hujuſmodi materiæ recuſationis,

recuſationis, tenetur recuſans referre cauſas recuſationis hujuſmodi ad arbitros & ad ſtatim nunciandi ſunt ex parte recuſantis arbitri duo vel tres probi viri & Judex in iſto caſu tenetur nominare tot arbitros pro parte ſua, & iſti, arbitri Judicis fient, & judicabunt de cauſis recuſationis hujuſmodi, & ſi judicabunt cauſas hujuſmodi recuſationis fuiſſe ſufficientes, dimittendus eſt recuſans ab obſervatione Iudicis recuſati ſuique Iudicij, ſi vero arbitri contrariam tulerunt ſententjam (*viz.*) cauſas recuſationis non eſſe ſufficientes, vel potius non eſſe ſufficienter probatas, tunc remittendus eſt recuſans ad Iudicem recuſatum, ſed hic quære in iſto caſu quis erit Iudex in ipſa cauſa inſtituta, dicunt aliqui arbitros recuſationis ſi ita ſit quære utrum ipſo jure facti ſunt Iudices vel utrum Iudex recuſatus vel ejus ſuperior dabit hujuſmodi arbitris authoritatem procedendi in cauſa & eandem terminandi.

Sed ſi Iudex ut ſupra recuſatus, non nominaverit etiam pro parte ſua arbitros quam primum (ſaltem antequam proceſſerit in cauſa) & reus dederit materiam recuſatoriam & nominaverit arbitros pro parte ſua, & proceſſerit in cauſa contra reum, omnia per hujuſmodi Iudicem recuſatum geſta, ſunt nulla ſaltem iniqua, & pars recuſans poteſt ab eiſdem geſtis appellare vel de nullitate eorundem apud Iudicem ſuperiorem quærelari & obtinebit in cauſa appellationis & quærelæ hujuſmodi, non obſtante quod geſta hujuſmodi, ſi non fuiſſent geſta poſt recuſationem, juſta, & ſecundum juris exigentiam facta fuiſſent.

Titvl. CII.

De provocationę.

Si quis habet Iudicem aliquem, nempè loci ordinarium, ſuſpectum ex cauſis in præcedenti titulo mentionatis, vel ex quibuscunque alijs cauſis ex quibus juſte timet eundem Iudicem intendere procedere contra eum in aliqua cauſa correctionis, ſeu quoad titulum ſui beneficij ſi fuerit Clericus, vel in quacunque alia cauſa ex officio judicis de veriſimili contra eum promovendo, poterit ab eodem Iudice ſuſpecto ad judicem ſuperiorem provocare, & ſe ſtatim, nomen famam, ac bona protectioni & tuitioni dicti judicis ſuperioris ſubmittere & ſubjicere; Iudex vero in hoc caſu ſuperior, ſi à quocunque Epiſcopo, ejus officiali, Vicario generali, vel commiſſario provocetur, dicetur & eſt Reverendiſſimus *Cantuarienſis* Archiepiſcopus, vel officialis de Arcubus, vel auditor cauſarum Curiæ Audientiæ *Cantuarienſ.* Si vero datur tibi iſta cauſa provocandi ab alio judice inferiore, utpote ab Archidiacono vel ejus officiali, tunc provocare poteris ad Epiſcopum Diocæſanum ſeu ejus officialem principalem.

Licet tamen tibi omiſſo medio (id eſt, Epiſcopo Diocæſano & ejus officiali principali) immediate provocare ut ſupra à quocunque Archidiacono vel ejus officiali ad *Cantuarienſem* Archiepiſcopum vel ejus Curias antedictas. Nam ſtatuta hujus Regni de modo & forma appellandi edita non habent locum in provocationibus, & ſi habeant reſervatur tamen prærogativa *Cantuarienſis* Archiepiſcopi ut in cauſis appellationum.

Titvl.

TITVL. CIII.

Quod in omni provocatione, cauſæ provocationis ſunt exprimendæ, & de intimatione ejuſdem Judici à quo provocatur.

QUemadmodum appellans à gravaminibus tenetur in appellatione gravamina ſpecificè declarare, ita etiam tenetur provocans in provocatione cauſas ejuſdem ſpecificare alias nihil valet hujuſmodi provocatio. Tenetur etiam provocans antequam fuerit citatus ad comparendum coram ordinario ſuo, ſive ex officio, ſive ad inſtantiam partis hujuſmodi provocationem intimare Judici à quo provocatur, alias nihil valet hujuſmodi provocatio, nec in hoc caſu provocatio locum habet, ſed tunc facienda & proponenda eſt recuſatio ut ſupra, & ſi poſt intimatam provocationem Iudex inferior à quo provocatur proceſſerit contra provocantem omnia ſunt nulla, ſeu ſaltem iniqua, ut in præcedente titulo de recuſatione Iudicis, & nota quod provocans poteſt ad majorem cautelam obtinere à Iudice ſuperiori ut reſcribat Iudici inferiori quod hujuſmodi provocationem admiſit & etiam ab eodem Iudice ad quem Provocatur petere ut decernat citationem & inhibitionem ut in cauſa appellationis; quamvis ut ſupra dicitur, liceat in caſu prædicto ab inferiori Iudice ad ſuperiorem provocare tamen quære utrum hæc provocatio valeat, ſi Iudex inferior ante interpoſitam hujuſmodi provocationem, decreverit provocantem citandum fore ad comparendum coram eo propter aliquam cauſarum prædictarum, vel citaverit eandem

partem

partem provocantem per edictum publicum, antequam illa provocatio fuerit admiſſa per ſuperiorem & intimata Iudici inferiori, quia in hoc caſu videtur recuſationem & non provocationem locum habere.

Ego in hoc caſu obtinui, quod ſi citatio Iudicis inferioris decreta fuerit in abſentia provocantis, & nihil fuerit in eum perſonale executum, priuſquam coram Iudice ſuperiori procuraverit, & Iudex provocationem hujuſmodi admiſerit, quod tenet & valet hujuſmodi provocatio proinde ac ſi nulla citatio decreta fuiſſet, & licet provocans citatus fuerit ad comparendum coram Iudice á quo antequam hujuſmodi provocationem eidem Iudici intimavit quod tamen valet hujuſmodi provocatio ac provocans poterit in die in quo comparere debuiſſet dictam provocationem intimare & tunc Iudex á quo provocatur tenetur ſuperſedere in cauſa.

TITVL. CIV.

Quid faciet Iudex à quo provocatum, & provocans probare cauſas provocationis.

Iudex à quo eſt provocatum, adire poteſt per ſe vel per Procuratorem Iudicem ad quem provocatur & obtinere decretum ad proſequendam hujuſmodi provocationem prout in cauſa appellationis, & ſi provocans legitime citatus ad proſequendam provocationem non comparuerit, & cauſam non proſequutus fuerit, cauſa Iudicia quo fuerit provocatum remittenda eſt, ut in cauſa appellationis in non proſequendo

ſequendo appellationem, & Iudex à quo poteſt procedere contra provocantem ſive ex officio mero, vel promoto, vel ad cujuſcunque partis inſtantiam, ſed ſi citatus ad proſequendam cauſam comparuerit & cauſam provocationis proſecutus fuerit, dandus eſt libellus, aſſignandus eſt terminus provocanti ad probandum, & ſi probaverit cauſas ſufficientes provocationis ſuæ, quamvis non omnes in provocatione ſpecificatas, pronunciandum eſt eum juſtè provocaſſe & pro voce provocationis hujuſmodi, & Iudicem à quo provocatum fuit non eſſe ſibi Iudicem competentem ſeu indifferentem potius, nec eum eſſe coram hujuſmodi Iudice in jus vocandum, & Iudex eſt parti provocanti in expenſis condemnandus, idque merito quia certior factus tam per provocantem tenore provocationis quam ex tenore libelli de cauſis hujuſmodi provocationis eundem Iudicem ſpecialiter tangentibus, & tamen in hac lite perſiſtens fuit in mala fide ulterius in ea parte litigando. Sed ſi provocans defecerit in probatione libelli, Iudex à quo eſt abſolvendus ac pars provocans eſt remittenda ad ejus judicium, & condemnanda in expenſis integris per Iudicem quovis modo ratione hujuſmodi injuſtæ vexationis factæ:

Titul. CV.

De præparatoriis ſive faciendis neceſſariis ante inſtitutionem actionis in cauſa temerariæ adminiſtrationis bonorum.

ANte inſtitutionem hujuſmodi cauſæ temerariæ adminiſtrationis, oſtendat Executor parti conveniendæ, id eſt, parti temere bona defuncti adminiſtrauti, teſtamentum defuncti ſub ſigillo Iudicis illud approbantis, ſimiliter oſtendat Adminiſtrator adminiſtrationem ſigillo Iudicis committentis communitam, ut poſſit dictę parti conveniendæ conſtare de eadem & etiam coram teſtibus interpellet dictam partem citandam, ad tradendum ſibi bona defuncti in manibus ſuis exiſtentia, ad finem ut appreciari & in Inventarium redigi poſſint, nec non ut legata & debita defuncti perſolvi, & eadem bona juxta tabulas teſtamentarias per Executorem vel Adminiſtratorem valeant adminiſtrari, & teſtamentum defuncti procedere, & debitum effectum ſortiri valeat, ſi quis in hunc modum interpellatus, bona hujuſmodi ſine authoritate legitima retinens, illa tradere recuſaverit ſeu plus juſto diſtulerit, tunc gravatus agere poteſt contra hujuſmodi temerarium Adminiſtratorem, in cauſa temerariæ adminiſtrationis bonorum dicti defuncti, vel potiùs citare partem temere bona prædicta adminiſtrantem, ad reſpondendum articulis animæ ſuæ ſalutem & præſertim impedimentum executionis teſtamenti, & temerariam Adminiſtrationem bonorum defuncti concernentibus, ad promotionem dicti Executoris vel Adminiſtratoris objiciendis.

Titul.

TITVL. CVI.

Tenor ſententiæ in cauſa temerariæ Adminiſtrationis bonorum.

Tenor ſententiæ in his caſibus temerariæ Adminiſtrationis bonorum talis eſſe debet, vel per eandem pronunciandum eſt ut ſequitur (*viz.*) quod talis eſt Executor vel Adminiſtrator bonorum *N.* defuncti & quod omnia bona defuncti cadere debent ſub ejus adminiſtratione, ad ſolvendum debita, & legata defuncti, & quod talis (ſcilicet Reus) tenet nonnulla bona ejuſdem defuncti, præſertim talia (ſpecificando ea bona quæ probantur ſive per teſtes ſive per confeſſionem partis adverſæ Reum adminiſtraſſe ſine legitima authoritate,) temere adminiſtrata, atque ex eo impedimento fuit & eſt quo minus Executor vel Adminiſtrator eadem bona adminiſtrare ac de eiſdem inventaria conficere ac debita & legata, (ſi Executor in hujuſmodi cauſa agat) dicti defuncti perſolvere, ac teſtamentum probare, ac debitum effectum ſortiri valeat, & dictus *N.* id eſt, Reus eſt pronunciandus incidiſſe in ſententiam excommunicationis contra hujuſmodi perſonas latam, atque eſſe perſonam ipſo facto excommunicatam, & pro tali publicè denunciandum, & Reus eſt in expenſis litis condemnandus.

Sed hic notandum eſt, quod lata ſententia prædicta, modò & forma prædictis, eaque executioni verbali mandata, Iudex non ſolet decernere monitionem in hujuſmodi temerarium adminiſtratorem pro ſolutione aut traditione dictorum bonorum temere Adminiſtratorum, ſed facta publicatione ſeu denuntiatione dictæ

ſententiæ excommunicationis de jure in caſu præmiſſo latæ in Eccleſia Parochiali temerarij Adminiſtratoris; ſi ille præſtiterit in hujuſmodi ſententia excommunicationis per quadraginta dies poſt denunciationem, ſignificandum eſt Regiæ Majeſtati pro brevi Regio de excommunicato capiendo, & eſt virtute ejuſdem brevis Regij in carceribus detinendus, & non eſt abſolvendus donec reſtituat bona temere adminiſtrata, & ſatisfecerit Eccleſiæ pro contemptu, ac pertinaci contumacia, procedere tamen poteſt Judex ad executionem ſententiæ, quoad expenſas partis eaſdem obtinentis, prout in cæteris cauſis Eccleſiaſticis.

TITVL. CVII.

Quod cauſæ tangentes matrimonium tractari ſolent in Curijs Eccleſiaſticis & de forma inſtituendi eaſdem.

SI quis matrimonium contraxerit, ſed non ſolemnizaverit in facie Eccleſiæ, & mulier negaverit hujuſmodi contractum, agendum eſt in cauſa matrimoniali ſeu ſponſalitia, ſeu potius ſponſaliorum, & ſi actor veretur quod mulier (litè pendente) intendit alibi matrimonium contrahere, poteſt curare ut in eadem citatione inſeratur inhibitio contra citandam partem, nè (pendente lite) cum alio contrahat, vel forſan prius contractum ſolemnizari procuret, ut in titulo ſpecialiter tractante *de Citatione in hoc caſu plenius apparet*. Si matrimonium fuerit in facie Eccleſiæ ſolemnizatum, & mulier receſſerit à viro, vel è contra ſi vir repudiaverit uxorem, tunc agendum eſt in cauſa reſtitutionis obſequiorum conjugalium.

Si

Si quis ſolemnizaverit matrimonium cum una, & poſtea convolaverit ad ſecundas nuptias, ſi legitima uxor cupit viro ſuo reſtitui, inſtituenda eſt lis in cauſa divortij à vinculo matrimonij & reſtitutionis obſequiorum conjugalium lis tamen inſtituenda eſt tam contra ſuperinducentem quam contra ſuperinductam alias ſententia divortij lata contra virum (non vocata ſuperinducta muliere) non valet quoad eam nec ej lis hujuſmodi præjudicabit quod alias faceret ſi vocata, & lis prædicta contra utroſque inſtituta fuiſſet, quæ dicta ſunt de muliere etiam locum habent de viro.

Similiter ſi mulier ſuperinducta intendit recedere à viro ſuperinducto, ac ut performatio promiſſi matrimonij inter eam & dictum virum, pro nullo & invalido pronunciaretur agere poteſt ut ſolet in cauſa divortij à vinculo matrimonij & ex cauſis in proximo præcedenti titulo ſpecificatis expedit ut ea actio inſtituatur contra legitimam uxorem dicti viri, præmiſſa etiam habent contra mulierem.

Si puella quæ infra duodecimum ætatis annum ſupra tamen ſeptimum annum matrimonium cum minore quatuordecem annis de facto ſolemnizaverit quam primum ad legitimam ætatem, id eſt, ad duodecem annum pervenerit coram teſtibus & Notario publico (ſi Notarius adhiberi poſſit) diſſentierit hujuſmodi matrimonio & proteſtata fuerit quod non intendit illud quoviſmodo ratificare aut in illud conſentire ſed ab eodem recedere & reſilire legitimè poteſt ad ſecundas nuptias convolare nam per diſſenſum hujuſmodi ſolemnizatio prioris matrimonij redditur nulla; quæ hic dicta ſunt de puella infra duodecimum ætatis annum ſolemnizante matrimonium locum habent in viro ſolemnizante matromonium poſt annum ſeptimum infra tamen decimum quartum annum.

Solent tamen perſonæ in hoc caſu ante has ſecundas nuptias agere contra perſonam illam cum qua de facto matrimonium fuit ſolemnizatum (ſi legitimæ fuerit ætatis) in cauſa nullitatis matrimonij & obtinere ſententiam Judicis pronullitate ejuſdem, ſed quamvis ſupra dicitur perſonas in caſu prędicto ſolere ante hujuſmodi ſecundas nuptias actionem nullitatis matrimonij inſtituere ac ſententiam pro nullitate ejuſdem obtinere, Tamen ſi ante inſtitutionem cauſæ hujuſmodi dicta mulier ſolemnizaverit aliunde matrimonium (nulla prędecente ſententia) hoc ſecundum matrimonium valet & legitimum cenſetur dummodo poſt legitimam ætatem nullus nec verbis nec actis anteceſſerit conſenſus in prius matrimonium prædictum, ſed dato mulierem perveniſſe ad legitimam ætatem cum vir fuerit adhuc in minore ætate, id eſt, infra decimum quartum annum ætatis, nam in hoc caſu requiritur diſſenſus expreſſus ut ſupra, vel inſtitutio actionis pro nullitate matrimonij, quoniam ut matrimonium ſupradictum ſit perfectum, requiritur mutuus partium conſenſus, qui adhiberi non poſſit ſi altera partium fuerit minor, Ideo ut ſupra dicitur licitè mulier poteſt ad ſecundas convolare nuptias, præmiſſa tamen intelligenda ſunt de juvene ſolemnizante matrimonium infra decimum quartum ætatis annum & non diſſentiente quam primum ad legitimam pervenerit ætatem puella tunc in juniore ætate exiſtente,

Si in caſu in præcedenti titulo ſpecificato, partes prædictæ matrimonium de facto ſolemnizarunt in minore ætate quamprimum pervenerint ad ultimam ætatem (i.e.) mulier ad duodecimum & vir ad decimũ quartum ætatis annum verbis invicem conjuges appellantes vel factis per literas miſſarias ſeu alia familiaritatis & amoris ſigna & donaria, dictum primum matrimonium quamvis ſolemnizatum infra annos prædictos ratificaverint,

verint, & approbaverint, præcipue carnaliter cognoſcendo vel in uno & eodem lecto decumbando, & tamen his in non obſtantibus ad ſecundas nuptias convolaverint, altera partium agere poteſt contra convolantem ad ſecundas nuptias in cauſa matrimonij nulli & divortij; & ſi actor in hac cauſa probaverit conſenſum in primum matrimonium, verbis vel factis ante ſecundas has nuptias, poſt legitimam ætatem, obtinebit ſententiam divortij à ſecundis nuptijs ac pro validitate prioris matrimonij.

Si quis contraxerit & ſolemnizavit matrimonium in gradu conſanguinitatis, vel affinitatis, de jure divino prohibito, & de legibus hujus Regni non permiſſo, quia hujuſmodi copulatio non eſt matrimonium ſed adulterium ſeu potius inceſtus, competit utrique partium cauſa divortij á vinculo matrimonij, ſeu potius quia ab initio non fuit matrimonium, cauſa nullitatis matrimonij.

Si juvenis cum fœmina tractaverit matrimonium contrahendo vel forſan contraxerit ſponſalia de futuro, ſed non contraxerit verum matrimonium per verba de præſenti, ſi fœmina jactaverit & affirmaverit dictum juvenem cum ea matrimonium per verba de præſenti contraxiſſe & eum ejus maritum ſequitur ipſius conjugem eſſe, quod quam ſæpiſſime contingit in maximum præjudicium juvenis aliunde proponentis matrimonium contrahere, juvenis iſte poteſt agere contra hanc mulierem in cauſa jactationis matrimonij.

Conſimilem etiam cauſam, mulier in caſu conſimili inſtituere poteſt contra virum, & quia matrimonium ordinatum fuit non ſolum ad evitandam fornicationem, ſed etiam ad proles procreandas ſi matrimonium tale quale fuerit inter virum & mulierem de facto ſolemnizatum qui omnino inhabiles ſunt (non propter ætatem) ſed propter aliquod naturale impedimentum

tum ad proles ſuſcitandas, utpote propter impotentiam, frigiditatem, maleficentiam & ſimilia quæ ipſo jure reddant hujuſmodi matrimonium nullum, hæc impedimenta naturalia aliquando contingant tam in muliere quam in viro.

Si maritus fuerit erga uxorem crudelis & ſitax ac mortem comminatus & machinatus fuerit, vel eam inhumaniter verbis & verberibus tractaverit & aliquando venenum loco potus paraverit, vel aliquod ſimile commiſerit propter quod mulier ſine periculo vitæ cum marito cohabitare aut obſequia conjugalia impendere non audeat, mulier agere poteſt contra talem virum in cauſa divortij, ſeu potius ſeparationis à thoro & menſa propter ſævitiam, conſimilis etiam cauſa competit viro contra mulierem.

Si mulier cupit divortiari ſeu potius ſeparari à viro vel è contra maritus ab uxore, propter adulterium, agendum eſt ut ſupra, in cauſa divortij ſeu ſeparationis à thoro & menſa.

Si parentes vel amici viri vel mulieris qui interfuerunt ſolemnizationi vel contractui inter liberos vel conſanguineos ſuos ſeu alias perſonas quaſcunque, vel ſi ſententia diffinitiva lata fuerit pro quocunque hujuſmodi matrimonio, de ſcientia vel credulitate parentum vel amicorum hujuſmodi à qua non appellatur vel interpoſita forſan appellatione, ea non ſit proſecuta ſed deſerta tamen parentes & amici dictæ feminæ ipſam aliquando invitam ita cuſtodiunt & detinent quamvis citata ad reſpondendum in cauſa matrimoniali, vel poſt latam ſententiam ad ſolemnizandum matrimonium adjudicatum vel conveniri poſſit vel verbis & communicationibus conantur perſuadere puellæ ut matrimonium alias in eorum præſentijs contractum vel ut ſupra, adjudicatum negaret ac mentem & amorem à viro hujuſmodi alienaret & aliquando ut ad alia vota

convolaret

convolaret ſolicita, tunc ille qui matrimonium cum dicta puella contraxerit, agere poteſt in cauſa impedimenti matrimonij contra parentes, vel amicos prædictos, & probatis præmiſſis, corrigendi & puniendi ſunt juxta juris exigentiam & Judicis arbitrium & condemnandi ſunt in expenſis, ſimiliter in omnibus de juvine, ſi fœmina fuerit actrix.

TITVL. CVIII.

De modo procedendi in cauſa jactitationis matrimonij, & de tenore ſententiæ in eadem cauſa ferendæ.

CAuſa jactitationis matrimonij eſt cauſa plenaria, ac ſapit naturam cauſæ diffamationis ſeu quaſi, & eſt in eadem cauſa procedendum ut in cauſa diffamationis, hoc excepto, quod in hac cauſa jactitationis Reus cogandus eſt ad reſpondendum poſitionibus libelli, quamvis nulli teſtes producti fuerint ſuper eodem, ſecus in cauſa diffamationis ut ſuo loco tractatur, ſi igitur actor probaverit ſive per confeſſionem Rei, ſive per teſtes Reum dixiſſe ſeu jactitaſſe ſe matrimonium cum actore contraxiſſe vel actorem ejus uxorem fuiſſe & Reus non allegaverit & probaverit ſe juſte ita dixiſſe & jactitaſſe, quia revera matrimonium non fuit inter eos per verba de præſenti contractum ferenda eſt ſententia pro actore, Reum temere & injuſte dixiſſe & jactitaſſe ſe matrimonium cum Actore contraxiſſe & ſilentium perpetuum in ea parte eſt Reo imponendum & etiam eſt in expenſis actoti condemnandus.

TITVLI CIX.

De forma allegandi & juſtificandi jactitationem ante litis conteſtationem & de tenore ſententiæ ſi Reus juſtificaverit jactitationem.

SI Reus vocatus, ut ſupra in cauſa jactitationis matrimonij intendit juſtificare jactitationem libellatam, id eſt, quod verè & juſtè dixit, & jactitavit ſe matrimonium cum actore contraxiſſe, proponere poteſt materiam ſive allegationem juſtificatoriam ſeu defenſivam, in die dato ſeu aſſignato Reo, ſeu ejus Procuratori ad reſpondendum libello ante conteſtationem litis ſeu loco conteſtationis litis ſub hac forma. Ego *N.* id eſt, Reus ſeu Rei Procurator reſpondendo libello alias in hac cauſa dato, do materiam ſive allegationem loco reſponſionum atque reſpondeo allego proteſtor & cætera facio prout in materia ſive allegatione hujuſmodi continetur ſub proteſtatione de nullitate ineptitudine nimia generalitate obſcuritate & indebita ſpecificatione dicti libelli conteſtor litem negative ad eandem. Quoniam juſtificatio jactitationis hujuſmodi propoſita & allegata fuit tempore & loco conteſtationis, litis ſi Reus probaverit ſe juſte jactitaſſe (id eſt,) ſe matrimonium per verba de præſenti cum Actore contraxiſſe, pronunciandum eſt in una & eadem ſententia non ſolum actorem defeciſſe in probatione libelli, ſaltem ad effectum in eodem petitum (ſcil.) ut pronunciaretur Reum Actorem delinquaſſe & injuſte jactitaſſe ſe matrimonium cum actore contraxiſſe,

contraxiſſe, & ſilentium eidem Reo imponendum eſſe, verum etiam pronunciandum eſt pro hujuſmodi matrimonio allegato prout pronunciari ſolet in cauſa matrimoniali originaliter inſtituta; Si vero Reus defecerit in probatione juſtificationis hujuſmodi tunc è contra pronunciandum eſt Actorem probaſſe libellum, ac Reum defeciſſe in probatione materiæ juſtificatoriæ jactitationis allegatæ, & ſilentium eſt Reo imponendum quoad contenta deducta & petita in materia juſtificatoria, dimittendus eſt etiam actor quoad petita hujuſmodi in materia data per Reum, & Reus eſt condemnandus in expenſis totius litis.

TITVL. CX.

Quod Reus in cauſa jactitationis matrimonij poſſit dare & proponere materiam juſtificatoriam jactitationis, poſt litis conteſtationem, & de tenore ſententiæ in eadem cauſa.

QUamvis ſupradictum ſit, proponi poſſe materiem juſtificatoriam jactitationis in die aſſignato ad reſpondendum libello ac loco litis conteſtationis, Reus tamen poteſt hujuſmodi materiam proponere poſt litem conteſtatam, ad elidendam intentionem Actoris, ita tamen ut proponatur ante publicationem teſtium Actoris ſuper libello, nam tunc obſtabit exceptio quod materia directè contraria non ſit proponenda poſt publicatas atteſtationes & percontatas per Reum ſed quære utrum non obſtante publicatione & percontatione in cauſa matrimoniali materia quamvis contraria proponi poſſit. Si Reus in hoc caſu juſtificaverit jactitationem

tationem, id eſt, plene probaverit contractum matrimonialem inter eum & Actorem obtinebit tantum ſententiam abſolutoriam (*viz.*) Actorem defeciſſe in probatione libelli & Reum eſſe dimittendum & abſolvendum ab impetitione Actoris, Tenebant tamen Advocati annis retroactis ac etiam ita communiter fuit practicatum quod in iſto caſu in hoc titulo mentionato, (*viz.*) Si Reus probaverit matrimonium quamvis per eum poſt litis conteſtationem allegatum, obtineret ſententiam in proximo præcedenti titulo. Quoniam juſtificatio mentionata quamvis ſupra dicitur materiam prædictam eſſe proponendam ante publicationem teſtium, nè objiciatur quod non ſit admittenda, quia publicatio teſtium ſuper libello obſtat, ſi tamen in libello nec dies nec locus certus in quo verba jactitationis proferri prætenditur ſit ſcriptus ſed generaliter talibus menſibus, numerando diverſos ac in tali vel tali loco ut in his caſibus ſolet fieri, materia directè contra prædicta proponi poteſt, quia per illam generalem allegationem Reus non potuit ſe defendere (quod alias facile poſſit poſt publicatas atteſtationes.) Nam tunc ſi teſtes depoſuerint quo tempore ac quo in loco Reus protulit verba libellata, poteſt probare negativum (*viz.*) abſentiam ſuam eodem tempore ab eodem loco & ejus continuam præſentiam in alio, Nec non per alios teſtes diligentèr attendentes quæ & qualia verba Reus protulit numero plures, tempore & loco per teſtes Actoris depoſitis præſentes Reum talia verba non protuliſſe, poteſt etiam Reus probare ſe ante tempus prolationis verborum libellatorum, matrimonium cum Actore contraxiſſe & ideo ſe juſte jactitaſſe, ut ſupra.

TITVL.

TITVL. CXI.

Quod Reus citatus in cauſa jactitationis matrimonij poteſt ſive in eodem judicio, ſive in alio, inſtituere actionem contra hujuſmodi actorem in cauſa matrimoniali.

Nonnulli ex modernis Advocatis tenent & ita etiam adjudicari novi, licere citato ad reſpondendum in cauſa jactitationis matrimonii aut in eodem judicio, aut coram alio Judice competente (etiam non obſtante quod citatio in cauſa jactationis primo emanavit & executa fuit) contra hunc Actorem inſtituere cauſam matrimonialem, retroactis tamen temporibus contrariam tenebant Advocati ſententiam *(viz.)* Reum non poſſe in hoc caſu nec in eodem Judicio nec in alieno Judicio litem in cauſa matrimoniali inſtituere, ſed teneri matrimonium (ſi quod cum actore contraxerit) allegare coram eodem Judice in ipſa & eadem cauſa jactitationis matrimonij, & non in alia aut nova cauſa, his etiam adducti rationibus, quod ſi duæ ſeparatæ cauſæ inſtituerentur, una jactitationis, alia matrimonialis, facilè fieri potuiſſet ut duæ contrariæ pronunciarentur ſententiæ, etiam per eundem Judicem *(viz.)* Si Reus non allegaverit & probaverit matrimonium in dicta cauſa jactitationis matrimonii, quod tunc pronunciandæ eſt ſententia, ut ſupra; Actorem probaſſe libellum & Reum injuſtè jactitaſſe, ſe matrimonium cum Actore contraxiſſe, atque ſilentium in ea parte eſt Reo

imponendum, & è contra ſi in alia cauſa, (*viz.*) matrimoniali, Actor probaverit matrimonium allegatum, ferenda eſt ſententia pro matrimonio allegato, inter Reum & Actorem, dicebaturque ab Advocatis hujuſmodi, hanc ſecundam cauſam dividere continentiam cauſæ, conſule igitur in hac quæſtione peritiſſimos Advocatos, ſed dato hanc ſecundam cauſam, ſcilicet matrimonialem poſſe inſtitui in alio ſeu eodem Judicio, quamvis cauſa jactitationis inſtituta fuit, Arguendus tamen eſt iſte ſecundus actor de malitia tali quali, quia videtur ſe hanc ſecundam inſtituiſſe cauſam animo malitioſo ac onerandi ejus adverſarium diverſis litibus & expenſis. Ut in præcedenti titulo; dicitur utraque cauſa hujuſmodi (*viz.*) jactitationis & matrimonij ſimul & ſemel ac unis & ejſdem expenſis tractari potuiſſet.

Titvl. CXII.

De modo probandi defectus inter Conjugatos ad diſſolvendum matrimonium.

AD probandum defectus, de quibus tractatur in titulo *quodcauſæ tangentes matrimonium* &c. Judex ad petitionem partis allegantis impedimenta (ſi talia ſint quæ ex corporis inſpectione judicari poſſunt) compellere poteſt virum ad exhibendum præſentiam ſuam, & ad oſtendendum in loco aliquo ſecreto, per Judicem aſſignato, pudenda ſua, ſeu illos corporis defectus quos mulier objicit (ſi ex inſpectione corporis apparere poſſunt;) Medicis & Chirurgis peritis, prius judicialiter

cialiter in præſentia partis adverſæ de diligenter inſpiciendo virum, & de referendo in ſcriptis eorum judicium, juratis, & ſi medicorum & Cuirurgorum judicium ſit, quod morbus vel defectus viri fuerit inſanabilis & incurabilis & quod in eorum ſcientia, doctrina, & experientia, morbus aut defectus hujuſmodi nulla re aut arte medica curari poſſit, tamen tenentur in relatione eorum judicij ipſum morbum ſeu defectum ſpecificare, nè circumveniatur Eccleſia, Reus obtinebit in cauſa, Hoc addito, & allegato ex parte mulieris, quod ipſa ſit juvenis & ad procreationem apta, & quod per tres annos in ſimul pernoctarunt, & quod quamvis cognoſci à marito cupiebat, ab eo tamen cognita non fuit nec cognoſci potuit, & ſi defectus dicti viri (ut profertur) objecti, non poſſunt directè per medicos & Chirurgos juratos judicari aut decerni, vel forſan dubia ſit eorum relatio quæ allegatur ex parte mulieris, non ſolum quæ ultimo recitata ſunt, Hoc addito, ſed etiam quod ſit virgo intacta nec à quoquam cognita, & hoc ad probandum judicialiter præcedente petitione ex parte mulieris, jurandę ſunt obſtetrices & mulieres vetulæ, & in his caſibus expertę & peritiſſimæ, ad inſpiciendam mulierem, an vera ſint hæc allegata. Hic nota quod ſi defectus objiciantur contra mulierem, probandi ſunt iſto modo per inſpectionem & relationem harum mulierum juratarum, & ſi judicio hujuſmodi obſtetricum, & mulierum reperta fuerit virgo, ſaltem fœmina intacta, nec à quoquam cognita, & ſi vir non poſſit aliquos defectus objicere contra uxorem ob quos cognoſci non poſſit hæc dictarum mulierum relatio cum judicio medicorum & Chirurgorum quamvis dubia, una cum cæteris prædictis indicijs (*viz.*) in eo quod mulier ſit juvenis & quod concubuit cum viro per triennium, ac quod ex aſpectu apta & idonea videatur ad

procreationem

procreationem) ſufficiunt ad divortium, ſeu potius ad pronunciandum nullum ab initio matrimonium fuiſſe inter hujuſmodi perſonas eaſque ab invicem & ab omni matrimonio & fœdere conjugali liberos fuiſſe & eſſe,

TITVL. CXIII.

De tenore ſententiæ in cauſa divortij ſeu potius ſeparationis à thoro & menſa propter Adulterium ſive ſævitiam.

QUamvis in titulo, *Quod cauſa tangentes matrimonium*, § ſi Maritus & § ſi mulier, dicitur in caſibus in eiſdem ſpecificatis agendum eſſe in cauſa divortij ſive ſeparationis à thoro & menſa, tamen de jure Canonico legibus hujus Regni in hac parte approbato non licet perſonis in his caſibus, (*viz.*) nec propter adulterium nec propter ſævitiam divortiatis aut ſeparatis, ad ſecundas convolare nuptias viventibus prioribus maritis vel conjugibus, quia vinculum matrimoniale matrimonij ſemel perfecti non poteſt ab homine diſſolvi niſi morte naturali, Ideo in omni ſententia in his caſibus lata inſeritur hæc clauſula dictor *N.* & *M.* (ſcilicet partes illas qui cupiunt divortium) ratione adulterij ſi cauſa fuit inſtituta propter adulterium vel ratione ſevitiæ allegatæ & probatę à thoro menſa ac mutua cohabitatione ac obſequiorum conjugalium impenſione donec & quouſque duxerint invicem reconciliandos & non aliter neque alio modo ſeparamus, & divortiamus (plerunque verò admittitur

hoc

hoc verbum divortiamus) ſolent etiam Judices moderni ad evitandas ſecundas has nuptias, viventibus prioribus conjugibus, quod eſt ad modum commune, expreſſe inhibere perſonis ſeparatis, nè convolent ad alia vota durante vita ſeparatorum, cum admonitione etiam quod innupti, niſi fuerint reconciliati, maneant, Et quoties de hujuſmodi nuptijs ſecundis coram ſummis Commiſſarijs Regijs in cauſis Eccleſiaſticis vel coram Judicibus Reverendiſſimi *Cantuarienſis* Archiepiſcopi quærelatur, delinquentes in his caſibus puniuntur & corriguntur atque ab hujuſmodi ſecundis nuptijs, ſeu potius connubijs adulterinis divortiantur & ſeparantur.

TITVL. CXIIII.

De cauſis per Judicem perpendendis in cauſis divortij propter Adulterium.

QUia noſtris diebus (ſuadente Diabolo) quam plurima petuntur divortia propter adulterium, ut eo colore ſic ſeparati, valeant ad ſecundas nuptias convolare, & ut eo facilius hujuſmodi divortium obtinere poſſint, Uxor ſolet fateri adulterium de quo colluſorie accuſatur quamvis revera nullum fuerit commiſſum aliquando etiam maritus, ut ipſe aliam poſſit uxorem ducere aut minis, verberibus blanditijs aut aliquo alio modo illicito inducit uxorem ad confitendum adulterium, quamvis nullum commiſerat, ad hunc igitur dolum & fraudem obviandum & evitandum ſolet in his caſibus circumſpectus Judex ſecreto ſemotis omnibus, præſertim marito, indagare amicam mulieris eamque ſedulo exami-

nare de veritate & cauſa hujuſmodi confeſſionis ac omnibus etiam vijs & modis licitis, veritatem percontari & ſi dolum & fraudem hujuſmodi reperire poſſit vel ſaltem de eo aliquam probabilem ſuſpitionem habuerit, ſolet abſtinere á pronunciatione ſententiæ divortij niſi petens ſententiam divortij, adulterium objectum probaverit per teſtes vel ſaltem, per vehementes præſumptiones & famam publicam, vel aliter, Judicis conſcientiam quod de veroſimili objectum, crimen ſit verum, informaverit, ex quo credat confeſſionem dictæ mulieris de adulterio commiſſo, non emanaſſe per dolum aut fraudem, caveant etiam Judices de his adulterijs voluntarijs confeſſionibus nè perſona ſuppoſiticia (quod meis diebus bis novi) coram eo ad adulterium libellatum confitendum producatur quamvis coram eo allegetur eam eſſe illius viri uxorem qui divortium petit, huic dolo & fraudi facilè obviabit Judex (ſi de eo ſuſpicatur) curando ut interſint coram eo ante prolationem ſententiæ perſonæ aliquæ fide dignę notitiam exploratam habentes dictæ confitentis mulieris.

TITVL. CXV.

De cauſis quæ impediunt ſeparationem etiam ſi conventus commiſerit adulterium.

COmpenſatio criminis, (id eſt,) ſi Reus probaverit actorem etiam adulterium commiſiſſe abſolvendus eſt Reus quoad petita actoris in libello. Similiter ſi actio divortij propter adulterium ſit inſtituta per mulierem contra virum vel è contra ad obtinendum divortium propter adulterium. Si Reus in hoc caſu allegaverit & probaverit

probaverit actorem ante hanc litem inſtitutam habuiſſe notitiam ſaltem probabilem criminis commiſſi & libellati & tamen poſtea carnale commercium cum Reo habuiſſe, Actor non obtinebit ſententiam divortij quia in hoc dicitur Actorem hanc injuriam, id eſt, crimen objectum remiſiſſe & condonaſſe, probabilis verò ſcientia in hoc caſu dicitur ſi maritus ſuſpectam habens uxorem de adulterio eam de eodem accuſaverit, & illa hujuſmodi crimen confeſſa fuerit, vel teſtes illi quos maritus in judicio contradictorio ad probandum adulterium objectum produxit, ſignificaverint marito, ante hujuſmodi litem inſtitutam ſe poſſe deponere ſeu teſtificare ex proprijs eorum viſu & ſcientia de hujuſmodi adulterio, vel ſi maritus uxorem ſuam in ipſo actu adulterino deprehenderit in; quibus caſibus, ſi maritus poſtea uxorem carnaliter cognoverit hanc injuriam remittit & ſeparandus non eſt ab ejus uxore; abſtineat igitur in hoc caſu maritus à thoro mulieris quam vis ſtatim eam ab ædibus ſuis non repudiaverit, ſi cupit ab ea divortiari.

TITVL. CXVI.

De cauſis quæ impediunt reſtitutionem in cauſa matrimoniali.

PRobatio quod poſt contractum vel citra ſolemnizatam matrimonium ac receſſum mulieris à viro, vel è contra vir vel uxor commiſerit adulterium ſufficit ad impediendum reſtitutionem in cauſa matrimoniali, in hoc tamen caſu ſi pars Actrix replicaverit & probaverit compenſationem vel ſcientiam con-

donationem vel remiſſionem criminis, ut ſuperius notatur in proximo præcedente titulo: obtinebit actor reſtitutionem petitam. Proponi etiam poſſunt ad hanc reſtitutionem impediendam omnes cauſæ ſuperius mentionatæ in titulo: *Quod cauſa tangentes matrimonium*, &c. quæ reddunt matrimonium alias contractum ipſo jure nullum.

Titvl. CXVII.

De modo inchoandi proſequendi & finiendi litem, ſi Reus non poſſit citari vel Citatus per Edictum publicum, nec per ſe nec per Procuratorem comparuerit.

SI vir contraxerit matrimonium cum muliere vel è contra, ac cupiat agere in cauſa matrimoniali attamen non poſſit citare adverſarium quoniam aut latitat in Regno aut extra regnum tranſmigravit, & teſtes quos actor ad probandum hujuſmodi matrimonium habet, fatis cederent antequam examinentur hoc modo procedendum eſt.

Primo Actor impetrabit citationem contra abſentem ad reſpondendum in cauſa matrimoniali & curabit ut mandatarius citandum perquirat in locis ubi ultimo reſidebat, aut moram fecit ac diligentem faciat inquiſitionem apud notos vicinos, parentes ac conſanguineos partis citandæ, & ſi pars ita latitaverit quo minus citari poſſit, certificetur hujuſmodi mandatum citatorium, ut in titulo. *De certificatorio citationis*, &c & petendum & obtinendum eſt decretum vijs & modis ad effectum primariæ citationis, illudque eſt exequendum & certificandum ut in titulo prædicto. Si

Si verò, ſic citata non comparuerit excommunicetur, & pro excommunicata publicè, in Eccleſia parochiali ubi ut præfertur ultimo reſidebat, & in una vel altera Eccleſia parentum ſuorum denuncietur, quibus ſic geſtis poſt unam aut alteram hepdomadam ſequentem denunciationem hujuſmodi, compareat actor ſeu ejus Procurator, & alleget quod adhibuit omnem quam potuit diligentiam, ad citandam partem adverſam ad reſpondendum ſibi in cauſa matrimoniali, & quod ipſa ita latitavit & latitat quò minus poſſit perſonaliter citari, & quod ideo curavit eam citari per edictum publicum, & quod illud etiam debite certificari & contumaciam dictę Rez accuſari fecit, & in prænam ejuſdem contumaciæ eandem excommunicari obtinuit prout ex actis hujus Curiæ ad quæ ſe refert apparet, & etiam quod curavit eandem ream pro excommunicata palam & publicè in Eccleſia Parochiali ubi moram facereſolebat denunciari, prout ex certificatorio literarum denunciatoriarum hujuſmodi excommunicationis, quas etiam actor tunc exhibebit, liquet, & quod præmiſſis non obſtantibus para rea ſubterfugit judicium & contumaciter ſe abſentet ab eodem & quod communiter dicitur apud parentes conſanguineos & vicinos ejuſdem partis quod tranſtulit ſe ad partes tranſmarinas nè mandatum veſtrum (Domine Iudex) in eam exequatur vel lis iſta contra eam proſequatur, & quod teſtes quos habet ad probandum contractum matrimonialem ſunt ſenes & valetudinarij (ſi ita ſit) vel quod maximè dubitatur de eorum vita vel ſaltem nè tractu temporis verba iſta formalia contractus, vel ceteræ neceſſariæ circumſtantiæ ejuſdem, ut tractatus ſignorum etiam auri ſeu anuli datio ac receptio, ac partis ipſius confeſſio ſeu recognitio contractus præcedentis labantur ex eorum memoria (quæ admodum labilis eſt) & ita eorum teſtimonium periret in maximum præjudicium dicti actoris undè petat ut decernatur dictam ream vocandam fore

ad comparendum infra ſexaginta, quinquaginta, quadraginta vel ad minus triginta dies poſt executionem hujuſmodi citationis (ſi pars citanda ſit extra regnum) ſi juridicus, *&c.* prout in ordinaria citatione per Edictum publicum tam in foribus Eccleſiæ Parochialis rei ubi ultimo reſidebat, quam in publico excambio Regali tempore concurſus mercatorum ibidem ad hos reſpectivè effectus, *(viz.)*

Ad reſpondendum *M.* in cauſa matrimoniali.

Ad videndum libellum dari.

Ad videndum terminum aſſignari ad probandum eundem:

Ad videndum teſtes produci, recipi jurari & examinari ſuper eodem,

Ad videndum dicta & depoſitiones teſtium hujuſmodi publicari,

Ad proponendum quaſcunque materias allegationes defenſiones vel exceptiones contra quoſcunque teſtes in dicta cauſa producendos ſi quas proponendas habuerit.

Ad videndum & audiendum terminum & terminos aſſignari ad audiendam ſententiam in cauſa.

Ad videndam & audiendam ſententiam definitivam ferri & promulgari in cauſa:

Denique ad intereſſendum ſingulis ſeſsionibus generalibus in Curia prædicta, tenendis, durante pendentia dictæ cauſæ uſque ad ſententiæ definitivæ prolationem in eadem cauſa inclusive ferendam, nec non intimationem fieri dictæ parti; quod ſi ipſe die & loco prædictis comparuerit ſive non. Iudex intendit procedere ad receptionem & admiſsionem libelli, *&c.* Hic ſpecificè reiterandi ſunt omnes effectus præcedentis citationis (ejus abſentia ſeu potius contumacia in aliquo non obſtante) Relato hujuſmodi mandato ſeu decreto citatorio cum certificatorio authentico de & ſuper

executione

executione ejuſdem, factaque publica præconizatione trina vice pro parte citata eaque non comparente procedendum eſt in pœnam contumaciæ ejuſdem partis ad omnes & ſingulos reſpectivè effectus prædictos, etiam ad probationem ſententiæ diffinitivæ incluſivè, contumacia dicta partis in aliquo non obſtante.

Caveat tamen Procurator Actoris ut nihil faciat aut decerni petat niſi in pœnam contumaciæ partis Reæ prius accuſatæ præconizatę & pro contumace pronunciatæ, & ut hæc legitimè & juxta juris exigentiam fiant, continuetur de die in diem, (id eſt,) de juridico in juridicum certificatorium dicti mandati ſive decreti primarij citatorij, nam eo circumducto aut, (ut aiunt) diſcontinuato circumducitur dictum decretum citatorium & nihil poteſt decerni, ſaltem ut actus valeat in pœnam contumaciæ reæ.

Sed quamvis ſupradicitur partem ream citandam eſſe per Edictum publicum ad omnes reſpectivè effectus prædictos, tamen tutiſsimum eſſe arbitror & ita practicatus ſum poſt productos & examinatos teſtes, denuò modo & forma qvibus ſupra, citare partem Ream ad aliquos particulares effectus utpote ad videndum teſtium publicationem & ad proponendum exceptiones contra hujuſmodi teſtes (qui nominandi ſunt in hujuſmodi decreto) vel aliam quamcunque materiam ſi aliquibus uti aut aliquam proponere voluerit: Nec non ad videndum & audiendum terminum & terminos aſſignari ad audiendam ſententiam & ad intereſſendum prolationi ejuſdem incluſivè cum intimatione etiam ut ſupra.

Conſimilis etiam proceſſus ſecundus procedendi fieri poteſt ſi quis poſt ſolemnizatum vel contractum matrimonium ſcientiam habuerit partem cum qua hujuſmodi matrimonium vel contractum fecerit, prius cum alia contraxiſſe vel ſolemnizaſſe matrimonium, nè

(ne

(ut ſupra dicitur) pereat teſtimonium teſtium neceſſariorum in ea parte.

Sed in his, & omnibus caſibus conſimilibus notandum eſt, quod ſi teſtes ad probandum libellum neceſſarij non fuerint producti, vel propter diſtantiam loci vel ætatem teſtium, produci non poſſunt judicialitèr in ipſo loco (*viz.*) loco ad quem Reus citatus fuit, ſed quod producendi ſunt in partibus vigore commiſſionis (quia pars Rea non fuit per Edictum publicum citatorium prædictum, citata ad comparendum in aliquo alio loco niſi in loco judiciali, & ideò non eſt contumax ad ullum effectum extra locum hujuſmodi ad quem primo fuit citatus) Actor tenetur de novo citare Reum modo & forma prædictis ad comparendum in loco ac diebus coram Commiſſarijs aſsignandis pro expeditione dictæ commiſsionis, ad videndum teſtes produci, recipi & jurari ſuper libello prædicto, & proceſſum ulteriorem fieri in & circa expeditionem dictæ commiſsionis juxta juris in ea parte exigentiam cum intimatione, ut ſupra.

TITUL. CXVIII.

Quod non licet agere directè in cauſa diffamationis poſt annum integrum elapſum à die prolationis verborum.

QUoniam cauſa diffamationis dicitur eſſe cauſa criminalis vel cauſa mixta (hoc eſt) partim criminalis partim civilis, ſi diffamatus non inſtituerit actionem ſeu cauſam diffamationis, & litem in eadem conteſtari non curaverit infra annum à tempore prolationis verborum, tollitur actio per ipſum anni lapſum, ita ſæpiſsimè per peritiſsimos Judices

dices judicari vidi, & obtinui, nam in eo diffamatus videtur remiſiſſe injuriam, ſaltem ad animum non revocaſſe, præſertim ſi diffamans & diffamatus poſt prolationem verborum diffamatoriorum, & notitiam eorundem, ſimul ſe invicim familiariter geſſerint in ſimul bibendo, comedendo, ſalutando, vel alia ſigna familiaritatis demonſtrando. Si vero Reus intendit uti beneficio hujuſmodi exceptionis, nempè lapſus anni, expedit, ſaltem ita à doctiſsimis practicatum & conſultum fuit ad quadraginta annos elapſos, in graviſſima cauſa, atque inter egregias perſonas, præmiſſa allegare ante concluſionem in cauſa & referre ſe ad libellum, tempus litis conteſtationis ac probationes, & ad jura, Tenent tamen quidem ex modernis advocatis ſufficere præmiſſa oſtendere Iudici poſt concluſionem in cauſa tempore informationis in cauſa, Caveat igitur Actor ſi ex præmiſsis conſtiterit, annum interceſſiſſe prolationem verborum & inſtitutionem litis quod proponat ante concluſionem in cauſa, cauſas non proſecutionis hujuſmodi litis infra annum à tempore prolationis verborum diffamatoriorum, (*vic.*) cauſas in ſequenti titulo ſignificatas.

X

TITVL

TITVL. CXIX.

Quando per lapſum anni non tollitur actio diffamationis.

QUamvis ex inſpectione libelli, depoſitionibus teſtium Actoris, & inſtitutione cauſæ, appareat annum interceſſiſſe prolationem verborum & inſtitutionem actionis. Si tamen verba diffamatoria prolata fuerunt in abſentia Actoris, eoque, in remotis partibus forſan extra Regnum, exiſtente, & ſi quamprimum ſaltem infra annum à redditu ſuo ad partes ſeu parochiam in quibus prolata fuerint verba diffamatoria cauſam diffamationis inſtituerit, & litem in eadem conteſtari obtinuerit, non tollitur actio. Si igitur ex depoſitionibus teſtium appareat annum elapſum fuiſſe à prolatione verborum & ante inſtitutionem actionis etiam, quamvis nihil deponitur per teſtes de præſentia vel abſentia actoris, ad evitandum in hac parte juris quæſtiones, alleget Procurator Actoris cauſas probabiles ignorantiæ prolationis verborum (*viz.*) quod tempore prolationis eorundem extra Regnum fuit vel in remotioribus partibus longè diſtantibus à loco in quo prolata fuerint verba & quod inſtituit hanc actionem infra annum poſt ejus redditum ad partes illas, ſeu Parochiam in quibus prolata fuerunt verba diffamatoria, quibus probatis obtinebit in cauſa.

TITUL.

TITVL. CXX.

Quod licèt agere in cauſa diffamationis indirectè ut diffamans pronuntietur incidiſſe in ſententiam excommunicationis poſt lapſum anni.

QUamvis diffamatus habens notitiam verborum diffamatoriorum, non inſtituerit cauſam diffamationis infra annum à tempore prolationis, & notitiæ verborum diffamatoriorum, tamen poteſt poſt annum lapſum agere in cauſa diffamationis, allegando in libello conſtitutionem provincialem, incipientem authoritate vel patris omnipotentis, *&c.* & quod Reus protulit talia verba, *&c.* quodque ex eo incidit in ſententiam excommunicationis in dicta conſtitutione latam, in concluſione hujuſmodi libelli petendum eſt jus & juſtitia & ut Reus pronuntietur incidiſſe in ſententiam excommunicationis hujuſmodi, probatis verbis diffamatorijs continentibus crimen aliquod in dicta conſtitutione mentionatum, ferenda eſt ſententia juxta petita in libello, (id eſt,) partem diffamantem incidiſſe in ſententiam excommunicationis, & pro tali denunciandum eſſe, & condemnandus eſt Reus in expenſis Actoris, & non eſt abſolvendus ab hujuſmodi ſententia excommunicationis, donec ſatisfecerit Eccleſiæ, (hoc eſt) peregerit pœnitentiam per Judicem aſſignandam, qua tam diu perſtiterit in ſententia excommunicationis, nam ſententia excommunicationis in hoc caſu lata, afficit partem à die quo prolata fuerunt verba diffamatoria, & ſententia in iſto caſu lata dicitur & eſt ſententia declaratoria facti commiſſi.

Satisfactio verò Eccleſiæ, de qua ſuperius mentio facta eſt, hæc eſt, Reus convictus primo confiteri debet ſe Deum graviter offendiſſe, malitioſè proferendo verba diffamatoria contra proximum, & nominabit ſpecificè Actorem ac ipſa verba diffamatoria, deinceps imprimis à Deo, ac poſtea à parte diffamata, condonationem petere tenetur penitentia, hujuſmodi ſeu potius ſatisfactio Eccleſiæ peragenda eſt aut publicè in Eccleſia Parochiali perſonæ diffamatæ, vel diffamantis, vel alio quo alio loco Judicis arbitrio juxta qualitatem cauſæ & perſonarum aſſignando.

TITVL. CXXI.

Quod in omni cauſa diffamationis, inſtituta vigore conſtitutionis cujuſcunque, ut Reus pronuntietur incidiſſe in ſententiam excommunicationis, cauſa hujuſmodi non ſit inſtituenda ad inſtantiam partis ut in cæteris cauſis, ſed ex officio Judicis promoto & implorato pro parte gravatam.

IN ultimo titulo dicitur quod quamvis lapſus ſit annus à tempore prolationis verborum, ante inſtitutionem cauſæ diffamationis, modo alleget in libello provincialem conſtitutionem in dicto titulo mentionatam: Tamen quia in omnibus cæteris cauſis Eccleſiaſticis, in quibus agi ſolet contra quemquam, ut pronuntietur incidiſſe in Canonem ſeu ſententiam excommunicationis in Canone latam, Actores gravati & injuriati in his caſibus non ſolent actiones directas inſtituere contra delinquentes eorum propriis nominibus, ſed tanquam promotores officij

officij Judicis ejuſdem in ea parte officium implorando; (exempli gratia) tali injecit manus violentas in Clericum, ex quo eſt ipſo facto excommunicatus, vel talis rixatus eſt in Eccleſia, & in eo incidit in ſententiam excommunicationis ipſo facto, vel talis temerè adminiſtravit bona defuncti, vel impedimento fuit quo minus teſtamenta & ultimæ voluntates defunctorum procedant aut debitam ſortiantur effectum, vel quo minus bona appreciari, & in inventarium redigi poſſunt per quæ etiam ipſo facto ſunt excommunicati. Partes in his & ſimilibus, gravatæ, ſi cupiunt adverſarios ſuos corrigi, & in ſententiam excommunicationis à jure latam incidiſſe, pronunciari, non ſolent cauſas & actiones hujuſmodi proprijs eorum nominibus inſtituere, ſed Judicis officium promovere & implorare, præmiſſaque delicta Reis Judicis nomine & officio per eos promoto objicere & articulare, his igitur rationibus adductus ſum arbitrari quod in cauſis diffamationum inſtitutis, ut Rei pronuntientur in ſententiam excommunicationis incidiſſe, ut agant partes gravatæ, non proprijs eorum nominibus, ſed tanquam promotores & imploratores officij Judicis, in quibus caſibus eundem obtinebant effectum, quem obtinere ſolent vel poſſunt in cauſa diffamationis in proximo præcedenti titulo ſpecificata.

Sed quoniam non ſolum ex hodierna ſed ex antiqua praxi omnium Curiarum Reverendiſsimi Patris *Cant* Archiepiſcopi hujuſmodi cauſæ diffamationis inſtitutæ quoad pœnam in conſtitutione mentionatam ſolebant & ſolent inſtitui nominibus diffamatorum *(viz.)* ad reſpondendum *N.* in cauſa diffamationis & non ex Iudicis officio promoto. Ego ad peritiſsimorum & doctiſſimorum Iudicum & Advocatorum judicium appello, utrum magis expedit hujuſmodi cauſas diffamationum inſtituere ſecundum praxim hodiernam vel prout in præſenti titulo continetur.

TITVL. CXXII.

De cauſa dilapidationis, ac contra quos inſtituenda ſit.

SI Epiſcopus, Rector, ſive Vicarius dilapidaverit pallatia, manſionem, Eccleſias, Cancellam, Capellas, ædes vel alia ædificia quæcunque ad Epiſcopatum, Rectoriam, vel Vicariam quorum nuper ſtetit Epiſcopus, Rector, vel Vicarius ſpectantia; Tunc proximus Succeſſor agere poteſt contra Prædeceſſorem ſuum in cauſa dilapidationis, ruinæ, vel decaſus dicti Epiſcopatus, Rectoriæ vel Vicariæ: & Epiſcopus, Rector, vel Vicarius agere poteſt in cauſa prędicta contra Executores vel Adminiſtratores ultimi incumbentis etiam quamvis dilapidationes, ruinæ vel decaſus prędeceſſorum non contigerint ſuis temporibus, ſed temporibus Prædeceſſorum, Ratio eſt quia iſti Executores & Adminiſtratores habent conſimilem actionem contra Executores & Adminiſtratores antecceſſoris eorum teſtatoris ac potuerunt recuperare valorem reparationum hujuſmodi contra eoſdem & in non inſtituendo hanc actionem ſtetit per eos quo minus recuperârunt.

TITVL.

TITVL. CXXIII.

De cauſis quæ excuſant Epiſcopum, Rectorem, vel Vicarium & eorum Executorem & Adminiſtratorem, à condemnatione in dilapidationibus.

I cauſa dilapidationis fuerit inſtituta contra Epiſcopum, Rectorem, vel Vicarium, in cujus tempore dilapidationes petitæ non contigerunt, ſi Epiſcopus, Rector, vel Vicarius allegaverit & probaverit dilapidationes & ruinas hujuſmodi non contigiſſe tempore incumbentiæ ſuæ & quod ipſe pro rata temporis, id eſt, tanti temporis ſpatio quo ſtetit incumbens habita etiam ratione ad valorem annuum Epiſcopatus, Rectoriæ, ſive Vicariæ, & ad onera ijdem incumbentia, una cum congrua & neceſſaria ſuſtentatione & hoſpitalitate, quas juxta ejus dignitatem præſtare tenetur expoſuit & erogavit ſufficientem ſummam in reparationibus libellatarum rerum & quod ultimus incumbens ejuſdem per quem præmiſſa fuerunt dilapidata, ita ære alieno gravatus deceſſit quod non habuit bona tempore mortis ſuæ, ex quibus, hujuſmodi decaſus poterant reparari; vel quod dictus ultimus incumbens tempore incumbentiæ ſuæ, inſtituit actionem contra Prædeceſſorem ſuum, cujus tempore, hujuſmodi dilapidationes contigerunt & quod lite hac pendente incumbens hujuſmodi mortem obijt, nullis conſtitutis Executoribus & ita ære alieno gravatus, ut nullus audeat aut velit ejus Hæreditatem adire, (id eſt,) ejus adminiſtrationem bonorum accipere) vel quod inſtituit actionem contra Executores vel Adminiſtratores ultimi incumbentis, & quod illi ſententia Judicis liberati ſunt beneficio plenæ

Adminſtrationis

Adminiſtrationis, & inſufficientiæ bonorum, vel quod obtinuit ſententiam contra hujuſmodi Executores vel Adminiſtratores & quod illi virtute executionis ſententiæ ejuſdem incarcerati fuerunt, ac ibidem fatis ceſſerunt, nullis relictis bonis, ſaltem ſufficientibus ad ſolvendas dilapidationes adjudicatas, & quod adhibuit omnem quam potuit diligentiam pro dilapidationibus hujuſmodi recuperandis.

TITVL. CXXIV.

De modo probandi dilapidationes & ruinas præmiſſorum

QUamprimum Epiſcopus ad Epiſcopatum fuerit inſtallatus, & Rector, ſeu Vicarius inductus, procurent artifices, (*viz.*) fabrum lignarium, tegularium, & conſimiles artifices, & in ædifitijs conſtruendis peritos, inſpicere & perſcrutari omnia ædificia dilapidata, vel quæcunque reparatione carentia, & ſcribi curent pro qua ſumma quilibet Artifex vult & poſſit eandem reædificare & conſtruere, & tunc artifices apponere faciant eorum manus hujuſmodi cartæ, ut poſſint eadem recordari, cum fuerint in teſtes vocati. Nam facta hac inſpectione Epiſcopus, Rector vel Vicarius poteſt hanc cauſam dilapidationis inſtituere quandocunque ſibi placuerit, iſti artifices ut probent intentionem Actoris, deponere debent quod talis ruina non poteſt ſufficienter reperari aut emendari, minori ſumma quam tali ſumma, nec eas velle minori ſumma (caſu quo, ad id conducti & ſalariati fuerint) hujuſmodi ruinas reparare, & ut hæc probatio fiat plena, neceſſarium eſt ut ex artificibus prædictis in qualibet arte duo fiant probationes, in omni decaſu, per duos teſtes & non unum in ſingulari arte ſingularem teſtem.

TITVL.

TITVL. CXXV.

Quod Reus pro defenſione ſua admittendus eſt in cauſa dilapidationis ad producendum artifices ad inſpiciendum ruinas & decaſus libellatos.

SI teſtes Actoris in hujuſmodi cauſa dilapidationis, aut in favorem producentis, aut quia pars eos producens, eos conduxit aut conducere promiſit ad decaſus hujuſmodi conſtruendos & reparandos, depoſuerint hujuſmodi ruinas non poſſe reparari ſine tali ſumma exceſſiva, ac admodum magna (ſaltem in opinione Rei) licitum eſt Reo in hoc caſu, hujuſmodi exceſſus allegare & particulariter proponere tales, & tales res libellatas poſſe benè & ſufficienter reparari & emendari tali & tanta ſumma, & ad hujuſmodi allegata probanda, Reus eſt admittendus ad introducendum artifices ad inſpiciendum omnes & ſingulas ruinas ſeu res dilapidatas libellatas, monenduſque eſt modernus Epiſcopus, Rector, vel Vicarius, ad permittendum hujuſmodi artifices ad faciendum ſcrutinium & ad inſpiciendum decaſus hujuſmodi, & ut permittat Reum vel ejus Procuratorem etiam intereſſe, Si voluerit. contra hujuſmodi artifices reſpectivè tam actoris quam Rei proponi poſſunt exceptiones contra perſonas & dicta & partibus hinc inde litigantibus licèt judicium ſive relationem horum artificum per plures ac alios magis peritos artifices reprobare.

Titvl. CXXVI.

In quo caſu integra ruina & decaſus non ſunt inumbenti allocanda.

Si Epiſcopatus, Rectoria, vel Vicaria, vacaverit & Paſtoris ſolatio deſtituta fuerit, per tres aut qnatuor annos, vel conſimile tempus ante tempus inſtallationis Epiſcopi vel inductionis Rectoris, vel Vicarij intendentis agere in cauſa dilapidationis, in quo tempore, de veriſimili multæ ruinæ & decaſus contigerunt, vel ſi Epiſcopus, Rector vel Vicarius, non inſtituit actionem in cauſa dilapidationis infra quoſdam annos à tempore inſtallationis vel inductionis nec hujuſmodi ruinas per artifices inſpici curaverit intra tot annos in quibus etiam, ut ſupra dicitur, diverſæ ruinæ contigerunt. In his caſibus quamvis Epiſcopus, Rector, vel Vicarius probaverit ruinas prædictas cum poſt tot annos ab artificibus prædictis inſpectæ fuerint extendiſſe ad talem ſummam non recuperabit integram ſummam, ſed defalcanda eſt tanta ſumma quantam artifices prædicti judicabunt, de veriſimili, contigiſſe inter tempus vacationis beneficij & inſpectionis ruinarum hujuſmodi: Circumſpectus igitur Procurator Rei ſolet in his caſibus inter extera interrogatoria quæ teſtibus adverſarij miniſtrat, coſdem teſtes interrogare ad quam & quantam ſummam (eorum judicio & arte decaſus rerum petitarum in libello contingentes tempore tantæ vacationis vel ante inſpectionem prædictam veriſimili extendunt.

Titvl.

TITVS. CXXVII.

Monitio contra Parochianos ad ſolvendum eorum decimas ſub pœna ſuſpenſionis ab ingreſſu Eccleſiæ & excommunicationis.

IN primis impetranda eſt monitio nomine Judicis competentis utpote de Arcubus, vel Audientiæ, vel Epiſcopi, ſeu ejus officialis principalis, (ſed quære de inferioribus Judicibus) ad peremptoriè monendum omnes & ſingulos Parochianos quantas ſolvant ſeu ſolvi faciant eorum decimas *N.* Rectori ſive Vicario de *M.* ſub pœna ſuſpenſionis ab ingreſſu Eccleſiæ, & majoris excommunicationis ſententiæ contra non ſolventes decimas poſt monitionem Canonicam & legitimam in eos ferendæ & promulgandæ, In monitionibus antiquis in his caſibus uſitatis loco verborum horum (ferendæ & promulgandæ,) hæc verba, (ipſo facto latæ & promulgatæ) ſcribebantur, ſed quære quare nunc omittantur. Sed in monitione hujuſmodi mentio facienda eſt *N.* eſſe Rectorem vel Vicarium, & quod Parochiani recuſant ſolvere ſuas decimas, ſi omnes Parochiani recuſaverint ſolvere ſuas decimas, tunc quoniam omnes perſonaliter moneri non poſſunt commodè, concedenda eſt monitio vijs & modis ut poſſit publicè die dominico, ac divinorum tempore in dicta Eccleſia Parochiali publicari & denuntiari. Sed ſi quædam certæ perſonæ recuſaverint, tunc quia facilè conveniri poſſunt ordinaria & perſonalis monitio decernenda eſt.

Titvl. CXXVIII.

De executione & certificatorio monitionis antedictæ.

I monitio prædicta fuerit generalis & (ut prædicitur) monitio vijs & modis ea eſt publicè denuncianda (ut ſupra) & ſi hac monitione non obſtante Parochiani ſuas decimas ſolvere recuſaverint, certificandum eſt quo die & per quem denunciata & publicata fuit, Si verò monitio emanarit contra quoſdam Parochianos ea eſt exequenda & certificanda prout originalis citatio in quacunque ordinaria cauſa.

Titvl. CXXIX.

De petitione Procuratoris poſt monitionem prædictam relatam, ſi Parochiani prædicti moniti ad ſolvendum decimas non ſolverint.

Elata dicta monitione, Procurator Actoris allegabit ut ſequitur, exhibeo Procuratoriu n meum pro *N.* ac facio me partem pro eodem, ac allego Dominum meum fuiſſe & eſſe Rectorem vel Vicarium Eccleſiæ Parochialis de *M.* ac pro tali cõmuniter reputatum, & quod jure Eccleſiæ ſuæ hujuſmodi, percipere debet omnes decimas, ac jura quæcunque Eccleſiaſtica creſcentia & renovantia infra eandem Parochiam; quodque

que præmiſſis non obſtantibus tales (nominando om nes monitos prædictos) eorum decimas ſolvere recuſarunt, ſeu plus juſto diſtulerunt, quodque fuerunt authoritate veſtra (Reverendè Iudex) legitimè & peremptoriè primo, ſecundo, & tertio, moniti ad ſolvendum hujuſmodi decimas dicto *N.* Rectori, ſive Vicario, ſub pœna ſententiæ excommunicationis in eos ferendæ, vel potius ſub pœna declarationis eos incidiſſe in ſententiam excommunicationis in jure latam, prout in mandato prædicto & certificatorio ejuſdem appareat, & quod hujuſmodi monitione non obſtante decimas ſuas dicto Rectori ſolvere expreſſè recuſarunt, in pœnas, contra non ſolventes decimas poſt monitionem Canonicam, latas, incidere, non formidantes, undè peto eos citandos fore decerni ad comparendum talibus die & loco ſeipſos propter non ſolutionem decimarum dicto Rectori, & in non parendo monitioni veſtræ antedictæ excommunicari, ſeu potius in ſententiam excommunicationis incidiſſe pronuntiari, & declarari viſuros & audituros; Iudex, decernimus. Temporibus retroactis practicari ſolebat, quòd ſi Parochiani moniti fuerunt ad ſolvendum eorum decimas modo & forma prædictis, & tamen eas non ſolverint, quod Iudex relata monitione hujuſmodi, factaque fide de executione ejuſdem, ac præſtito juramento corporali perſonaliter per Rectorem, tales Parochianos monitos, ut ſupra, & requiſitos ad ſolvendum ſuas decimas, eas non ſolviſſe, nulla præcedente citatione ad effectum in præſenti titulo ſpecificatum, ſolebat Iudex pronuntiare eoſdem monitos contumaces & incidiſſe in ſententiam excommunicationis latam contra non ſolventes decimas poſt Canonicam monitionem. Nunc verò practicatur (admodum tamen rarò) prout in titulo ſequenti, quæ moderna praxis, utrum ſit juri magis conſona, quam antiqua illa praxis quære à peritis.

Titvl. CXXX.

De modo procedendi ſi citati in caſu prædicto non comparuerint.

CErtificetur dicta citatio authenticè, ut in titulo de certificatorio : & ſi citati non comparuerint, ex hodierna praxi, quamvis citati fuerint ad certum illum effectum in præcedenti titulo ſpecificatum, excommunicandi ſunt in pœnam contumaciarum in non comparendo & non pronunciandi ſunt incidiſſe in ſententiam excommunicationis prædictam (ſed quære,) ad tollendum igitur & evitandam omnem in hac parte quæſtionem, inſeratur in dicta citatione intimatio, Quod ſi moniti non ſolverint decimas, nec citati ad effectum prædictum comparuerint, & cauſas ſufficientes allegaverint, ob quas decimas hujuſmodi ſolvere non tenebantur, Iudex intendit eos pronuntiare incidiſſe in dictam ſententiam excommunicationis eoſque pro excommunicatis eſſe denuntiandos (Relata & authenticè certificata hac citatione cum intimatione, ac accuſata in forma juris contumacia citatorum & intimatorum, eiſque non comparentibus nec cauſam aliquam allegantibus, ut ſupra) pronuntiandi ſunt incidiſſe in dictam ſententiam excommunicationis, & ſunt pro talibus denuntiandi ; & ſi perſtiterint in eadem ſignificandi & in carceribus detinendi ſunt, donec ſatisfecerint pro contemptu non ſolum Eccleſiæ, verum etiam ſolverint Rectori tam decimas ſubtractas quam expenſas litis & contumaciæ:

TITUL. CXXXI.

De modo procedendi in caſu pradicto ſi Parochiani pradicti citati comparuerint.

SI Parochiani citati ad dicendum cauſam quare non deberent pronunciari incidiſſe in ſententiam excommunicationis pro non ſolutione decimarum, juxta monitionem in ea parte in eos executam, comparuerint & allegaverint ſe non teneri ſolvere decimas parti agenti donec conſtiterit de ejus intereſſe in decimis mentionatis in dicta citatione & monitione. Tunc Actor tenetur allegare & probare intereſſe ſuum, (id eſt) ſi ſit Rector quod ad tot elapſos annos Canonicè admiſſus inſtitutus & inductus fuit ad dictam Eccleſiam & quod ſit in pacifica poſſeſſione ejuſdem & curæ animarum ejuſdem tam in ſacramentis miniſtrandis quam in divinis celebrandis inſervit & quod ibidem perſonaliter reſidet & pro Rectore legitimo, & Canonico poſſeſſore dictæ ejuſdem Eccleſiæ ſit communiter dictus habitus & reputatus. Si Rei fateantur hæc allegata, ſufficienter fundatum eſt intereſſe Rectoris, nam in eo ſequitur decimas omnes ejus Parochiæ ad eum ſpectare præſumptione juris: Si verò Rei infiçiantur allegata dicti Actoris facilè probantur per ſolam exhibitionem literarum inſtitutionum & inductionum dicti Rectoris: Probare tamen debet per confeſſionem Reorum vel per teſtes ipſam inductionem quia mandatum ad inducendum non probat realem inductionem, Si verò Vicarius egerit in hujuſmodi cauſa

cauſâ, & jus ſeu intereſſe ſuum fuerit, ut ſupra, per Reos conventos negatum, oportet eum non ſolum probare inſtitutionem & inductionem ſuam ut ſuperius notatur quoad *Rectorem*, ſed etiam quod habet aut ex compoſitione & fundatione Vicariæ aut ex legitima præſcriptione jus percipiendi decimas per eum petitas quia ut ſupra dicitur, Vicarius non habet per ſe præſumptionem juris, ſed ſi Rei citati, ut ſupra, non negaverint intereſſe Actoris, ſed illud fatentur, (id eſt, quod eſt Rector vel Vicarius) negant tamen eos ullas ſubtraxiſſe decimas, quia forſan eaſdem ſolverant, aut aliter pro ejſdem compoſuerant, Tunc Actor allegare & probare tenetur Reos tales habuiſſe decimas tali tempore infra dictam Parochiam quas ſubſtraxerunt non obſtante monitione prædicta, & etiam allegare tenetur dictos Reos ratione præmiſſorum incidiſſe in ſententiam excommunicationis contra non ſolventes decimas poſt legitimam & Canonicam monitionem ferendam & promulgandam ſeu potius latam & promulgatam, & in concluſione petitionis ſeu allegationis hujuſmodi petat jus & juſtitiam dictoſque Reos pronunciari incidiſſe in dictam ſententiam excommunicationis ac pro talibus denunciandos eſſe; admiſſa iſta allegatione ſi Rei producti virtute juramenti ſeu alias taſſi fuerint ſe decimas quaſdam habuiſſe & percipiſſe infra dictam Parochiam, & ſi Rei non allegaverint & probaverint ſolutionem decimarum ſeu aliam exceptionem ac cauſam ſufficientem non ſolutionis, procedere poteſt Judex ad petitionem Actoris ad pronuntiationem ſententiæ ſuæ, (*viz*) verbotenus vel inſcriptis, pronuntiare Reos propter non ſolutionem decimarum Actori debitarum, non obſtante prædicta monitione Canonica, incidiſſe in ſententiam excommunicationis à jure in hoc caſu latam, & eſſe pro talibus publicè denuntiandos. Condemnandi ſunt etiam Rei in expenſis litis, & Rei non ſunt

ab

ab hujuſmodi ſententia excommunicationis abſolvendi donec ſolverint aut compoſuerint cum Actore pro decimis ſubtractis & ſatisfecerint Eccleſiæ pro contemptu.

Hic duo notanda ſunt: primo quod quamvis probatur ſive per Rei confeſſionem, ſive per teſtes, talem (id eſt, Actorem) eſſe Vicarium Eccleſiæ, & quod Rei habuerunt decimas infra eandem Parochiam: ſi tamen Rei negaverint eas ſpectare ad Vicarium, tenetur Vicarius, (ut ſuperius notatur) probare jus ſuum in ejſdem, quia non habet pro ſe juris præſumptionem, alioquin cadet in cauſa; Secundo, dato, quod Rei in caſibus prædictis excommunicati, & denuntiati, cupiunt ab hujuſmodi ſententia abſolvi, ac Sacramentis Eccleſiæ & communioni fidelium reſtitui, & parati ſunt ad ſolvendum decimas eorum ſubtractas, vel verum valorem eorundem (cum decimæ in ipſis ſpeciebus non extant) & ſatisfacere Eccleſiæ pro hujuſmodi contemptu; Et tamen Rector plus petendo tam quoad quantitatem, quam quoad valorem earundem, quam quæ debeantur, Recuſat oblata recipere; Rei in hoc caſu poſſunt adire Judicem qui prædictam ſententiam tulit, & ſuo periculo deponere verum valorem decimarum quarumcunque debitarum, & petere ut Judex decernat Rectorem vocandum fore ad recipiendam dictam ſummam oblatam & ad dicendum cauſam, quare dicti Rei a dicta ſententia excommunicationis abſolvi & Sacramentis Eccleſiæ & fidelium communioni reſtitui non debeant: Si Rector non comparuerit, relato mandato citatorio antedicto, & ſervatis de jure in ea parte ſervandis. Reus eſt in pœnam contumaciæ actoris abſolvendus, facta prius fide de parendo juri & ſtando mandatis Eccleſiæ, ſolutiſque expenſis contumaciæ, ſed non expenſis litis, quia illæ ſunt primo taxandæ & prius ad eaſdem ſolvendas monenda eſt. Sed ſi Actor

comparuerit & ſummam oblatam recipere in plenam ſolutionem recuſaverit, tunc ſumma oblata una cum expenſis de jure debitis & per Judicem taxandis diminitenda eſt apud acta ut in cæteris cauſis ſubtractionum decimarum, & Actor tenetur allegare, ſpecificare, & probare quas decimas Reus ſubtraxit & valorem earundem. Si majorem ſibi debere ſummam probaverit, eandem obtinebit cum novis expenſis. Si vero non probaverit, condemnandus eſt in expenſis factis per Reum, pendente hac queſtione inter Rectorem & Reos Parochianos de quantitate & valore decimarum, & Parochiani ſunt ſolvendi à dicta ſententia excommunicationis quia non contenditur de jure decimandi, aut de jure Eccleſiæ ſed de privato jure Rectoris: (*viz.*) de valore & quantitate quæ ſolùm ſpectant ad beneficium & commodum privatum ipſius Rectoris.

TITVL. CXXXII.

Quod diverſa cauſa præter cauſas in præſenti libello mentionatas ſolent ac poſſunt tractari in Curijs Eccleſiaſticis.

SI perjurium commiſſum fuerit, ſive per teſtes ſive per partem principalem in eorum depoſitionibus & reſponſis habitis & factis in Curia ac cauſa Eccleſiaſtica, pars quæ læſa aut damnum aliquod paſſa fuit per hujuſmodi perjurium, vel aliquis alius ut in cauſa correctionis, poteſt officium Judicis promovere pro ſalute animæ cujuſcunque perſonæ, & agere poteſt coram Judice Eccleſiaſtico contra perſonam perjuratam in cauſa perjurij, vel potius ad reſpondendum certis articul

ticulis animæ suæ salutem & præcipuè perjurium manifestum in causa Ecclesiastica coram Judice Ecclesiastico committum concernentibus, ad promotionem N. obsiciendis. Et si conventus de perjurio convictus fuerit, est Canonicè puniendus arbitrio Judicis juxta qualitatem causæ.

Sed hic quæri potest, quomodo pars principalis quæ communiter respondere solet de credulitate, & non de veritate convinci possit de perjurio. Respondeo quod si pars principalis responderit alicui positioni continenti ejus factum proprium, saltem factum recens, se non credere eandem esse veram, quod ita respondens (probata veritate positionis) convinci & condemnari possit de perjurio; Hoc ita ad triginta annos elapsos per Judicem communi sententia doctissimum adjudicari novi. Consule tamen in hac quæstione juris peritos, (*vic.*) non solum an respondens de credulitate convinci possit de perjurio, verum etiam si possit convinci de perjurio in facto suo proprio recenti, quod dicitur, vel sit factum recens. Sed ad evitandum hoc dubium, ego credo partem principalem teneri respondere positioni continenti ejus proprium factum de veritate, hoc est an illa positio contineat veritatem seu falsitatem, & non de credulitate tantum ut notatur in titulo *De productione partis principalis & juramento ejus*, &c. Et quamvis nunc communiter partes principales respondeant positioni eorum proprium factum continenti per verba, credo vel non credo, sicuti exteris positionibus non continentibus eorum proprium factum credo hunc errorem irrepisse negligentia vel incuria Registrarij sive examinatoris.

Si Clericus committat symoniam in obtinendo beneficium Ecclesiasticum, potest, sive ex officio Judicis, sive ad instantiam partis, convenirj, ac juxta sanctiones Canonicas puniri, sic etiam Laici participes ejusdem criminis.

Uſurarius etiam ſaltem talis qui expoſuit aut mutuo dedit pecunias recipiendo directè vel indirectè ultra natam ſeu quantitatem decem librarum pro quibuſlibet centum (Nam ex Statutis hujus Regni prohibitum eſt Judici Eccleſiaſtico procedere contra uſurarios niſi in caſu in hoc § mentionato) conveniri & puniri poteſt per Judicem Eccleſiaſticum.

Si quis injecerit manus violentas in Clericum vel rixatus fuerit in Eccleſia vel cœmetrio, conveniri & corrigi poteſt ſive ex officio Judicis mero, ſive ex officio voluntariè promoto per Judicem Eccleſiaſticum.

Si accuſatur quis de Adulterio, lenocinio, ebrietate, blaſphemia, abſentia ab Eccleſia, vel pro non ſolutione ſeu contributione in fabricam Eccleſiæ ſuæ Parochialis, vel in comparatione librorum pro divinorum celebratione, conveniri & puniri poteſt per Judicem Eccleſiaſticum, ut ſupra.

Si Executor ſubtraxerit legata in pios uſus relicta, Judex Eccleſiaſticus procedere poteſt contra hujuſmodi Executorem ex ejus officio, vel ad promotionem gardianorum illius Parochiæ, in qua pauperes, quibus eadem legata pia relinquuntur, habitant, & Executorem per cenſuras Eccleſiaſticas compellere ad hujuſmodi legatorum ſolutionem.

Si quis impedimento fuerit quo minus teſtamenta defunctorum adimpleantur, procedant, vel debitum ſortiantur effectum, vel impedimento fuit quo minus Inventaria bonorum defunctorum appreciari valeant, Executor vel Adminiſtrator poteſt in his caſibus Judicis officium implorare, & promovere, & Judex probatis præmiſſis, pronuntiare poteſt delinquentes in his caſibus incidiſſe in ſententiam excommunicationis de jure latam, prout in cauſ. temeratiæ adminiſtrationis de qua, in præſenti libro tractatur: Et Rei in his caſibus non ſunt abſolvendi, donec non ſolum ſatisfecerint Eccleſiæ, verum

verum etiam ſatisfecerint populo, propter quod pronuntiati ſunt incidiſſe in ſententiam excommunicationis.

Si Rector, vel Vicarius, vel aliqua alia perſona ſubtraxerit ab Archiepiſcopo, Epiſcopo, vel Archidiacono, procurationes debitas, ratione viſitationis Ordinariæ vel Synodalium, gravatus in his caſibus agere poteſt coram Iudice Eccleſiaſtico in cauſa ſubtractionis Procurationum vel Synodalium.

Si penſio aliqua, aut portio annuæ exeuns ab aliquo Collegio, Epiſcopatu, Eccleſia Cathedrali, Decanatu ſeu alia quacunque Eccleſia, ſit alteri Eccleſiæ Rectori vel Vicario perſolvenda, ſi ſubtracta fuerit, agi poteſt in cauſa ſubtractionis annuæ penſionis Eccleſiaſticæ.

Si Rector vel Vicarius unius Eccleſiæ prætendit, ſeu jactitati tales decimas, ſeu decimarum portionem, vel talem penſionem in tali Parochia, vel per talem Rectorem ſeu Vicarium ſibi, jure ſuæ Eccleſiæ deberi, agendum eſt in cauſa jactitationis decimarum, ſive annuæ penſionis.

Si quis protulit verba convitioſa, quamvis non diffamatoria, id eſt, crimen aliquod certum denotantia, aut inducentia, propter quod purgatio Canonica iudici poſſit parti per quam hujuſmodi verba convitioſa prolata fuerint (*viz.*) ſi quis hæc verba vel conſimilia animo irato & ac iracundo, ac malitioſo protulerit; *Thou art an unhoneſt liver*; *or*, *Thou art a lyer and careſt not what untruth thou affirmeſt*, *or*, *thou art no more to be truſted upon thy word or oath than a Dog*; *Thou art an arrant Knave*; *Or thou art a drab*, *or thou art a ſcould*, *a Jade*, *a filthy fellow*; vel ſimilia, quamvis ab antiquo, hoc verbum *Knave* non fuit verbum convitioſum, ſed ſignificavit puerum maſculinum, ſecus nunc, quia apud omnes habetur pro verbo convitioſo.

Si vero pro prolatione horum verborum prædictorum nulla actio poteſt inſtitui in foro ſæculari, tunc pro his & conſimilibus verbis convitioſis, agere poteſt gravatus in foro Eccleſiaſtico, in cauſa diffamationis ſive convitij, & nota quod hoc verbum (convitij) ſolebat ſcribi in omni citatione hujuſmodi una enim verbo diffamationis, & ratio fuit (ut à majoribus peritiſſimis Procuratoribus audivi) ut ſi Actor non probaverit Reum protuliſſe verba ſua natura diffamatoria, ſi tamen probaverit verba convitioſa, obtineret in cauſa, & tunc proferens eadem eſt puniendus juxta Judicis arbitrium, habita conſideratione ad perſonam diffamatam, ratio eſt quia hujuſmodi verba prolati fuerint animo malitioſo & irato ac præter ac contra fraternam charitatem.

Et nota, quod licet in cauſa diffamationis in libello dicitur verba diffamatoria prolata fuiſſe malitioſè ac ex odij fomite, tamen ſi verba libellata diffamatoria ſint ſua natura diffamatoria, præſumitur ea prolata fuiſſe animo malitioſo, quamvis hæc malitia non fuerit probata, tamen in cauſis prædictis quando agitur pro verbis convitioſis, Actor tenetur probare ex præſumptionibus vehementibus, ex rixis & jurgijs (*viz.* malitiâ & inimicitia præcedentibus) verba prædicta convitioſa fuiſſe prolata animo malitioſo, nam ut ſupra dictum ſi verba prolata non fuerint ſua natura diffamatoria non præſumitur ea fuiſſe prolata animo malitioſo.

Si fœoda debita Procuratori in cauſa Eccleſiaſtica fuerint ſubtracta per clientes, Procurator agere poteſt coram Judice Eccleſiaſtico pro hujuſmodi ſubtractis in cauſa ſubtractionis ſalariorum ſeu fœodorum ſibi in cauſa Eccleſiaſtica debitorum.

Si unus & idem Patronus præſentaverit duos Clericos, unum ad Rectoriam, alium ad Vicariam ejuſdem Eccleſiæ, velſi duo habentes advocationem ab uno & eodem

eodem Patrono præſentaverint ſeparatos Clericos, hic unum, ille alterum, & ambo fuerint admiſſi; ſi unus ſpoliaverit fructus, & eos in fundo demeſos collegerit, alter poteſt agere contra eum in cauſa ſpoliationis, Ratio eſt quia in iſto caſu non controvertitur de jure Patronatus: Nam uterque derivat jus ſuum ab uno & eodem Patrono, ita ut nullo lædatur jus patronatus, in diviſis partibus hujus Regni ſunt tres Rectores in una & eadem Eccleſia.

Cauſæ etiam ſubtractionum mortuariorum tractari & terminari debent in Curijs Eccleſiaſticis, ſed pro eiſdem agi non poteſt niſi in locis illis in quibus ſolent perſolvi, atque juxta ratam & valorem ſequentem (*viz.*) Si bona defuncti, ſolutis debitis, de claro non valeant ultra decem marcas nihil ſolvendum eſt, ſi vero valeant extra decem marcas, infra tamen valorem triginta librarum, tres ſolidos, & quatuor denarios ſolvet, ſi valeant triginta libras & ultra, ſub tamen ſumma quadraginta librarum, ſolvet ſex ſolidos & octo denarios, Si extendant ad quadragina libras & ultra, tunc ſolvet decem ſolidos, hoc enim cavetur per Statutum *Henrici 8. Cap. 6.*

De decimis verò perſonalibus omnes homines (*viz.*) Mercatores, venditores, emptores & pannorum artifices ſolvere debent Rectori ſive Vicario illius Parochiæ in qua familiam fovent ac Sacramenta percipiunt, decimam partem lucri, nomine decimarum perſonalium ante vel in feſto Paſchatis pro anno tum præcedente deductis omnibus oneribus. Servi etiam ſtipendarij debent ſolvere decimam (deductis oneribus veſtitus tantum) eorum mercedum. Sed hujuſmodi cauſæ jam proſ habentur ex Statutis hujus Regni niſi in caſibus & locis in quibus ante Editum Statutum per quadraginta annos præcedentes hujuſmodi decimæ perſonales perſolvi ſolebant. Et nota etiam quod ad probationem

ſeu

ſeu juſtificationem hujuſmodi cauſarum (*viz.*) ad probandum lucrum & decimam partem mercedum ex Statuto prædicto Reus non eſt cogendus ad præſtandum juramentum, vel ad ſubeundum examen virtute juramenti ſui ſuper poſitionibus libelli præmiſſa concernentibus, ut Actor ex Rei reſponſis poſſit ſe relevare abonere probandi ut in cæteris cauſis Eccleſiaſticis. Sed Actor in iſtis cauſis tam pro decima lucri quam pro decima mercedis debet aliunde ejus intentionem probare.

Si in aliqua Villa, ſeu Hamletta, aliqua capella ab antiquo fundata fuerit, & Rector ſeu Vicarius in cujus Parochia Villa ſeu Hamletta hujuſmodi ſita ſit, conſueverit per ſe vel Curatum divina in eadem Capella celebrare, ſi hoc denegatur competit actio in iſto caſu coram Judice Eccleſiaſtico (*viz.*) inhabitans quicunque Villæ dictæ agere poteſt contra hujuſmodi Rectorem ſive Vicarium in cauſa ſubtractionis divinorum in tali Capella.

In diverſis partibus hujus Regni præſertim Walliæ, ſedes in Eccleſia ſeu potius jus ſedendi & divina audiendi in tali Eccleſia ſedes ſpectat ad quoſdam particulares homines Dominos ſeu proprietarios quarundam ædium infra dictam parochium & ita ab antiquo hominum memoriam ſuperante ſpectavit, ut nullis alijs liceat in ejſdem ſedibus ſedere. Si igitur aliquis intruſit ſe in ſedem aliquam hujuſmodi ac Dominum ſeu proprietarium ejuſdem in jure ſedendi ac divina audiendi, in eadem ſede perturbaverit, vel ſe habere jus etiam ibidem ſedendi, & audiendi jactitaverit, competit actio perturbati contra perturbantem, & jactitantem, hujuſmodi in cauſa perturbationis ſedis ſedilis vel jactitationis juris ſedendi in tali ſede in tali Eccleſia. Et ſi Actor probaverit jus ſeu poſſeſſionem ſuam ſedendi, divina audiendi ut in tali ſede, & Reum aut perturbaſſe

turbaſſe eum, aut jactitaſſe, ut ſupra, obtinebit ſententiam pro jure ſuo ſedendi in ſede hujuſmodi, ac ejus adverſarius cogendus eſt ad abſtinendum ab hujuſmodi perturbatione, & jactitatione, & condemnandus eſt in expenſis.

Si quis ſolutus, (id eſt, vir non conjugatus & mulier non conjugata) tractaverit cum patre mulieris de matrimonio contrahendo, & pater conſentiens ut iſte ſolutus duceret in uxorem filiam ſuam, promittit dare quandam ſummam cum filia in matrimonio: Tamen ſolemnizato hujuſmodi matrimonio, pater recuſaverit præſtare hujuſmodi ſummam promiſſam, maritus poteſt inſtituere actionem coram Judice Eccleſiaſtico contra patrem in cauſa ſubtractionis dotis, cauſa nuptiarum, & non competit ſibi actio in foro ſæculari, ſecus ſi pater promiſerit ſe ſummam aliquam ſolviturum una ad ſolemnizandum matrimonium cum ejus filia.

Nam in hoc caſu ultimo recitatio, agendum eſt pro ſumma promiſſa coram Judice ſæculari: Tamen multis ab hinc annis quidam juris conſulti hujus Regni idque ex communi ſententia tunc peritiſſimi, contrariam tenebant ſententiam, (*viz.*) Quod in omnibus caſibus prædictis inſtituenda eſſet ratio coram Judice Eccleſiaſtico, & reddiderunt rationem ſuam opinionum, quia hujuſmodi promiſſiones & ſtipulationes ſunt ejuſdem naturæ atque contractus matrimonialis vel matrimonium: Sed cognitio contractuum matrimonialium & matrimonij ſpectat ſolumodo ad Judicem Eccleſiaſticum: ergo, *&c.*

Et generaliter notandum eſt, licere Judici Eccleſiaſtico procedere in quacunque cauſa de jure Canonico vel Eccleſiaſtico terminanda & cognoſcenda, dummodo non obviant jura municipalia vel Statuta hujus Regni: vel ſi nulla actio vel placitum nullum in foro ſæculari pro eadem re & cauſa proſequi & inſtitutui

poſſit: hoc ad triginta annos elapſos audivi à juriſconſultis in legibus municipalibus hujus Regni in conſultatione quadam habita in cauſa graviſſima inter eos, & peritiſſimos quoſdam Iudices, & Advocatos, de Arcubus: & denique nota quod in quibuſdam caſibus unum & idem crimen puniri poteſt in utroque foro, (*viz.*) in Eccleſiaſtico & ſeculari ſed non uno & eodem modo, (ſcilicet) ibi quoad pœnam corporalem, hic quoad ſalutem animæ.

TITVL CXXXIII.

Quæ cauſæ ſunt cauſæ plenariæ.

DE his cauſis conſulendi ſunt Advocati, tamen has cauſas ſequentes ex praxi tam antiqua quàm quotidiana dicidi eſſe plenarias cauſas, (*viz.*)

1. Omne negotium teſtamentarium & temeratiæ adminiſtrationis niſi in Curia Prærogativa, quia è ſtilo ejuſdem Curiæ omnes cauſæ ſunt ſummariæ.
2. Cauſa legati.
3. Cauſa diffamationis ſive convitij.
4. Cauſa divortij ſive ſeparationis à thoro & menſa.
5. Cauſa diſſipationis.
6. Cauſa jactationis matrimonij.
7. Cauſa ſubtractionis procurationum.
8. Cauſa ſubtractionis annuæ penſionis.
9. Cauſa perjurij ad inſtantiam partis.
10. Cauſa ſymoniacæ pravitatis ad inſtantiam partis.
11. Cauſæ omnes correctionum ex officio voluntariè promotæ.

12. Cauſa

12. Cauſa uſuratiæ pravitatis ad inſtantiam partis.
13. Cauſa injectionis manuum violentarum in Clericum ad inſtantiam partis.
14. Cauſa impedimenti matrimonij.
15. Cauſa ſedilis.

Et hic eſt ſpecialitèr notandum, quod ſi in cauſis plenarijs quis proceſſerit ſummariè, hoc eſt ſine litis conteſtatione, & aſſignatione ad proponendum omnia & ad concludendum, & ſine concluſione omnia ſunt nulla.

Sed è contra ſi in cauſis ſummarijs proceſſum fuerit plenariè, proceſſus valet, & non eſt nullus. Si igitur Procuratores dubitaverint quæ cauſæ ſunt plenariæ, quæ verò ſummariæ, procedant plenariè quamvis cauſa ſit ſummaria, & ita evitabunt omnem nullitatem quoad præmiſſa.

TITUL. CXXXIV.

De reconventione in cauſa diffamationis.

SI quis fuerit citatus ad reſpondendum in cauſa diffamationis, ſi Actor etiam diffamaverit Reum, Reus poteſt in ipſa & eadem cauſa reconvenire Actorem, hoc eſt, nulla præcedente citatione, dare libellum in præſentia Actoris ſeu ejus Procuratoris. Sed in iſtis caſibus reconventionis procedendum eſt ſimul in conteſtatione litis in petendo unum & eundem terminum probatorium in teſtium productionibus in concluſione & prolatione ſententiæ atque in omnibus uſque in finem litis: & (ut communiter

aiter adjudicatum vidi & obtinui) ſi hinc inde verba fuerunt probata diffamatoria libellata hinc indè facienda eſt tam pœnitentiæ quam expenſarum compenſatio, id eſt, nulla pœnitentia injungenda eſt nullaque expenſarum condemnatio. Secus ſi duæ ſeparatæ cauſa diffamationis inſtitutæ fuerint, Nota tamen quod in cauſis reconventionum, licet ut ſupra dicitur, facienda eſt compenſatio inter partes, tamen quia diffamatores ſunt de jure corrigendi, & etiam ex conſtitutionibus provincialibus pro excommunicatis denuntiandi, Iudex ſi vult poteſt ex officio ſuo utroſque diffamatores ſuo arbitrio corrigere.

TITVL. CXXXV.

Quod tertius poteſt intervenire pro intereſſe ſuo & in quibus caſibus.

TErtius intervenire poteſt pro intereſſe ſuo in omni cauſa quæ tangit bona aut perſonam ſuam utpote in cauſis matrimoniali, beneficiali, teſtamentaria Adminiſtratione (*viz.*) in cauſa temerariæ Adminiſtrationis, & primo de cauſa matrimoniali. Si vir egerit contra mulierem in cauſa matrimoniali, & iſta mulier aut ſolemnizavit aut contraxit matrimonium cum alio, ille tertius ſi vult poteſt in dicta cauſa intervenire pro intereſſe ſuo in quacunque parte litis etiam poſt concluſionem in cauſa ſive venerit aſſiſtendo ſive removendo etiam licet habuerit notitiam pendentiæ litis & probationum actoris, Ratio eſt quia eſt cauſa favorabilis

&

& in his cauſis matrimonialibus vertitur periculum animæ, Et ideo publicatio teſtium & concluſio in cauſa non obſtat quam tertius allegans priorem contractum ac prius matrimonium ac fidem faciens quod non proponit hoc ſuum intereſſe animo malitioſo, aut differendi litem & quod credit ſe poſſe illud probare, admittendus eſt ad allegandum proponendum & probandum hujuſmodi intereſſe non obſtante publicatione teſtium & concluſione in cauſa.

In cæteris verò caſibus ſupra ſcriptis interveniens pro intereſſe debet & tenetur procedere in eadem ſtatu quo cauſa fuit cum interveniebat, & non debet ſiſtere proceſſum quin Actor poteſt procedere contra Reum, ac ſi tertius non interveniſſet, hoc tamen intellige ſi iſte tertius venerit ad aſſiſtendum Reo. Secus ſi removendo Reum colludentem cum Actore in præjudicium dicti tertij; Nam in iſto caſu iſte tertius poteſt ſiſtere proceſſum contra Reum, oportet tamen hunc tertium ſpecificè allegare dictam concluſionem, & cauſas ob quas Reus removendus eſt, & non ſufficit (ſaltem ut à doctiſſimis audivi) huic tertio allegare generalitèr aut in communi forma, (viz.) omnibus melioribus & efficatioribus via modo & juris forma in cauſa atque ad quemcunque juris effectum, ſed una cum his verbis, generalibus dicendum eſt, & præſertim animo removendi reum & detegendi colluſionem inter eum & actorem in præjudicium iſtius tertij.

In cauſa etiam beneficiali, utpote in negotio duplici querelæ, ſi agitur de ſuo beneficio, inter Epiſcopum & alium Clericum ad illud præſentatum & pro ſua inſtitutione inſtantem, quia aliquando Epiſcopus non vult allegare jus tuum (hoc eſt quod tertius poſſidet beneficium & quod Eccleſia ſit plena de perſona iſtius tertij in quo caſu Iudex ad quem in hoc caſu eſt querelatum pronuntiare ſolet pro jurisdictione ſua & decernere

querelantem eſſe inſtituendum, in dictum beneficium, ut in titulo, *De petitione Procuratoris & decreto Judicis cum duplex querela ſit relata*: expedit igitur ut tertius in hoc caſu, (nè alius inſtituatur in ejus beneficium) interveniat pro intereſſe ſuo.

Similiter in cauſa teſtamentaria ſi tibi legata maximè ſi pinguia fuerint relicta, Executor cupiens teſtamentum in quo hujuſmodi tua legata continentur infirmari, & per Judicis ſententiam pro nullo declarari & ita evitare ſolutionem legatorum, ſolet, ſaltem poteſt colludere cum aliquo ex proximis conſanguineis defuncti vel alijs habentibus intereſſe, ſi defunctus deceſſerit ab inteſtato, ad vocandum eundem Executorem ad probandum hujuſmodi teſtamentum per teſtes, & tunc Executore deficiente in probatione ejuſdem, iſte Reus colludens poteſt ſententiam obtinere contra teſtamentum, quamvis pro forma allegavit teſtamentum & acceptavit in ſe onus illud per teſtes probandi, & hoc etiam fieri poteſt ſi Executor vocaverit aliquem ex proximis conſanguineis defuncti (ſecum colludentibus) ad videndum teſtamentum probari per teſtes, ut ſupra in titulo, *De cauſis tractandis in Curia Prærogativæ Cantuarienſi.* His etiam addi poteſt cauſa legati, nam Executor non habens ſufficientiam bonorum ad ſolvendum integra legata, volens tamen id reſiduum quod habet ſolvi quibuſdam ſuis conſanguineis, & amicis legatarijs, poterit colludere cum eiſdem ut inſtituant actionem contra eum pro legatis hujuſmodi & obtineant ſententiam Judicis pro integro legato, in quo caſu liberatur Executor per ſententiam Judicis ſi hæc legata adjudicata perſolverit, & eis perſolutis plenè adminiſtravit bona ita ut nulla remaneant in manibus ſuis ad ſolutionem cæterorum legatorum, ſed quære tamen utrum in hoc caſu Executor ſciens plura deberi legata per hanc ſententiam liberatur, ita judicari novi,

quam

quam neceſſarium eſt igitur, ut cæteri legatarij quam primum ad eorum notitias pervenire poſſit prædictas cauſas colluſorias ſubtractionum legatorum inſtitutas eſſe, interveniant pro eorum intereſſe & in eodem Judicio petitiones faciant pro eorum legatis vel ut ſaltem id quod reliquum eſt, ex bonis teſtatoris in manibus Executoris æquis portionibus perſolvatur omnibus hujuſmodi legatarijs juxta ratam & quantitatem, cujuſlibet legati.

TITVL. CXXXVI.

De modo procedendi contra perſonas perſiſtentes in ſententia excommunicationis poſt denunciationem, & de panis perſonis hujuſmodi infligendis.

TAnta eſt noſtris diebus hominum malitia & juris Eccleſiaſtici contemptus, quod ad lites protrahendas perſiſtunt excommunicati poſt denunciationem per triginta octo etiam per triginta novem dies & deinde in ipſa quadrageſſima die ad evitandum iſtarcerationem (per breve Regium de excommunicato capiendo) & expenſas litis ea occaſione ſolvendas, nulla conſcientia adhoc inducti, petuut abſolutionem jactitantes ſe poſſe obtinere abſolutionem ante lapſum quadraginta dierum, per ſolam ſolutionem quarundam expenſarum contumaciæ, ad obviandum igitur huic malo, ſi Judices dignarentur ex eorum officio mero vel promoto per partem, in cujus præjudicium lis retardata fuit, procedere contra hujuſmodi perſonas excommunicatas

communicatas & contemptores jurisdictionis Eccleſiaſticæ, & niſi probaverint juſtas cauſas & rationabiles ob quas tanto tempore ſteterint excommunicati, (utpote quia abſentes fuerunt extra regnum, vel in remotioribus partibus Regni tempore denunciationis, & per triginta dies ad minus poſt denunciationem) eis penitentiam condignam injungere & in expenſis in ea parte factis præter dictas contumaciæ expenſas condemnare, facilè curabunt nè impoſterum ſalem tam frequenter tanta contumacia committatur. Nam tunc de eis verè dicetur, oderunt peccare mali formidine pœnæ & non virtutis amore, abbreviabuntur etiam maximè lites, de quo apud multos communis eſt quærela, Nam ſi Reus primo ſteterit excommunicatus & denunciatus per tempus prædictum antequam comparuerit per ſe vel Procuratorem ad reſpondendum in cauſa; Deindè cum citatus fuit ad perſonalitèr reſpondendum poſitionibus libelli etiam ſteterit tanto tempore excommunicatus & denuntiatus antequam reſponderit, ſi etiam cum fuerit monitus ad ſubeundum examen, non curaverit examen ſubire ante tempus ſibi in ea parte conſtitutum, & eadem cauſa fuerit denuntiatus excommunicatus; Si etiam cum fuerit examinatus forſan data opera recuſaverit plenè reſpondere alicui poſitioni, vel reſponderit ſe tali poſitioni reſpondere non teneri ut de hac quæſtione tempus teratur & deindè cum interlocutum fuerit per Judicem dictam partem Ream non plenè reſpondiſſe, ac vocandum eſſe ad plene reſpondendum vel eandem partem teneri tali poſitioni, cui omnino reſpondere recuſavit, & ad reſpondendum eidem etiam vocandum fore (ſi inquam) quamvis Reus ad reſpondendum præmiſſis legitimè fuerit monitus, non curaverit reſpondere ſed propter ſuam in ea parte etiam contumaciam, fuerit excommunitatus & denuntiatus & perſtiterit

fiterit in eadem per tempus prædictum: Denique cum fuerit condemnatus per ſententiam diffinitivam in legato, decimis & ſimilibus, & monitus ad ſolvendum, tamen fteterit excommunicatus per tempus prædictum antequam ſatisfecerit hujuſmodi monitioni. Nam ex hoc maximè lites & finales cauſarum terminationes etiam differuntur cum maximo ſcandalo totius jurisdictionis Eccleſiaſticæ; Curent igitur Judices de cætero ut in omni caſu prædicto procedant ex officio contra manifeſtos contemptores hujuſmodi & eos debitè (etiam publica pœnitentia) corrigant præſertim ſi ſecundò in hujuſmodi ſententia excommunicationis poſt denunciationem perſiterint.

TITVL. CXXXVII.

Quod legatarius agere poteſt in cauſa legati contra Adminiſtratorem bonorum defuncti quamvis nullum teſtamentum fuerit probatum.

ALiquando filius aut proximus conſanguineus defuncti, ſciens defunctum quamplurima donaſſe in ſuo teſtamento legata, ad evitandum ſolutionem eorundem (ſupprimendo teſtamentum) Curat Adminiſtrationem bonorum ejuſdem defuncti ſibi committi, tanquam ab inteſtato decedentis, & vigore hujuſmodi Adminiſtrationis bona defuncti adminiſtrat, legatarius tamen in hoc caſu agere poteſt contra hunc Adminiſtratorem in cauſa legati libellando defunctum condidiſſe teſtamentum & conſtituiſſe dictum Adminiſtratorem ejus Executorem (ſi ita ſit) ſi non, tunc hæc clauſula eſt omittenda, nam ſufficit probare legatum

fuiſſe relictum) & quod teſtator tale legatum donavit & quod Reus Adminiſtrationem bonorum dicti defuncti obtinuit ſibi committi & vigore ejuſdem in bonis defuncti ſe inveſtivit, & his probatis quamvis teſtamentum nunquam fuerit coram aliquo Judice exhibitum aut per eundem Judicem in communi forma probatum, Reus eſt condemnandus in legato hujuſmodi & in expenſis, ut in alia ordinaria cauſa ſubtractionis legati, hujuſmodi etiam cauſam ſubtractionis legati novi fuiſſe ad triginta annos elapſos inſtitutam contra temerarium Adminiſtratorem bonorum defuncti, & Actor obtinuit in comprobando legatum fuiſſe relictum & Reum adminiſtraſſe bona defuncti, ſed conſule peritos, & nota quod temerarius Adminiſtrator eſt is qui ſua propria authoritate intromittit ſe in bonis defuncti ſine Judicis authoritate.

TITVL. CXXXVIII.

De alio modo procedendi contra perſiſtentes in ſententiâ Excommunicationis poſt denunciationem ejuſdem.

QUoniam ut in diverſis ſupra ſcripti titulis dictum ſit, ac jura etiam volunt neminem deberi abſolvi à ſententia excommunicationis niſi primo præſtiterit juramentum de parendo juri, & ſtando mandatis Eccleſiæ, igitur ſi quis hujuſmodi juramentum præſtans poſtea reinciderit in eandem ſententiam (id eſt) propter ſecundam contumaciam in non parendo juri & non ſtando mandatis Eccleſiæ, fuerit excommunicatus & denuntiatus (ſi non poſſit ſe de hujuſmodi ſecunda

secunda contumacia legitimè purgare) procedere potest Judex, & ut procedat, necesse est, contra hujusmodi contumacem in causa perjurij, & eum tanquam perjurij Reum manifestum corrigere & punire; & tunc cavebunt excommunicati quando in hujusmodi excommunicatione persistunt post præstitum juramentum prædictum, & notandum est quod de legibus hujus Regni quilibet excommunicatus tenetur satisfacere Ecclesiæ pro contemptu priusquam fiat absolutus ut apparet in brevi Regio de excommunicato deliberando:

TITVL. CXXXIX.

Quod Judex Ecclesiasticus potest contra personas communicantes cum excommunicato procedere.

LEgibus non solum, sed etiam ex praxi antiqua & hodierna, Statutum & usitatum est, quod omnis excommunicatus publicè in Ecclesia sua Parochiali pro excommunicato, divinorum tempore ac dum major populi multitudo interfuerit denuncietur, ut non solum persona ipsa excommunicata, sed etiam omnes cæteri præsertim Parochiani ejusdem Parochiæ notitiam habeant & non ignorantiam ejusdem excommunicationis prætendant. Si igitur aliquis cum persona excommunicata denuntiata communicaverit vel conversatus fuerit nisi animo eum reconciliandi ad Ecclesiam hoc fecerit vel ad petendum absolutionem, & de eo fuerit convictus, est etiam ipso facto excommunicatus & pro tali denuntiandus & pœnitentia ei antequam absolvatur injungi potest Judicis arbitrio cum expensarum condemnatione,

one, Sciant igitur omnes hanc ſententiam excommunicationis non eſſe tam leviter eſtimandam ut à quamplurimis habetur, quia non ſolum de jure Eccleſiaſtico legibus hujus Regni approbato, procedi poſſit per Judicem Eccleſiaſticum contra eos, & communicantes cum eis ut ſupra, verum etiam ſi ſteterint excommunicati per annum poſt denuntiationem, procedere & inquirere poteſt Judex Eccleſiaſticus contra eos in cauſa hereticæ pravitatis, nec non etiam tam de jure Eccleſiaſtico quam ex lege municipali hujus Regni, quemadmodum homines bannati & (ut vocant) utlegati, non poſſunt agere in aliquo foro ſive Eccleſiaſtico, ſive temporali in ulla cauſa aut actione, ita non poſſunt perſonæ excommunicatæ, multæ aliæ pœnæ de jure Eccleſiaſtico ſunt perſonis excommunicatis imponendæ & infligendæ, nam deneganda eſt eis ſepultura in Eccleſia & cœmiterio.

TITVL. CXL.

Quod conſuetudines de modo & forma decimandi & immunitates non ſolvendi decimas poſſunt allegari coram Judice Eccleſiaſtico.

SI in Parochia Rei inolevit aliqua conſuetudo uſitata per tempus immemoratum vel ad minus per quadraginta annos de modo decimandi, hoc eſt quod decima grani cujuſcunque ſit ſolvenda per garbam, (Anglicè) *A ſheaf*, & quod Parochiani non teneantur congregare garbas hujuſmodi in cumulos (Anglicè) *into Shocks or Stacks*, allegata & probata hæc conſuetudine

conſuetudine obtinebit Reus, ſimiliter de decima fœni, ſi decima acra non deſcalcata ſit, de conſuetudine Parochiæ ſolvenda nomine decimæ fœni, & non fœnum factum & compoſitum in aceruos, (Anglicè) *Cocks*, valebit hæc conſuetudo. Si certa quædam & ſtata pecuniarum ſumma ſolvi conſuevit nomine decimarum, & non decima pars fœni vel grani in ipſa ſpecie, etiam prævalebit Reus, ſimiliter etiam de omnibus alijs conſuetudinibus licèt minus ex conſuetudine ſolvi ſolet quam decima pars.

Immunitates etiam & exemptiones ſive privilegia de non ſolvendo decimas, de quibuſdam terris & per quaſdam perſonas allegari poſſunt, & ſolent coram Iudice Eccleſiaſtico qui tenetur & ſolet hujuſmodi allegationes admittere ac ſi probatæ fuerint pro valore & validitate eorundem, pronuntiare, ac Reum à petitione Actoris quoad petita in libello una cum ſuis expenſis dimittere, quæ vero terræ & perſonæ ſunt immunes exoneratæ & exemptæ à ſolutione decimarum, cavetur in Statuto triceſſimo primo *Henrici* Octavi, Cap. 13.

Compoſitiones ſcilicèt reales (id eſt, factæ cum conſenſu omnium intereſſe habentium) utpote olim factæ inter Rectores & Parochianos, vel ut contingit aliquando inter Rectorem & quendam certum Dominum Manerij pro ſe & Heredibus ſuis de non ſolvendo decimas omnino, ſed de ſolvendo intuitu earundem, quandam certam & ſtatam ſummam, allegari poſſunt coram Iudice Eccleſiaſtico,

TITVL. CXLI.

De modo procedendi in cauſa diffamationis quando diffamatus agit pro verbis diffamatorijs contentis in libello famoſo.

IN iſto caſu non ſolum ponendus eſt generalis & uſitatus articulus in cauſa diffamationis (*viz.*) quod Reus tali die & loco protulit talia verba (*viz.*) verba quæ in libello famoſo continentur, *&c.* verum etiam alius ſpecialis ac particularis articulus quod tali tempore talibus loco Reus ſcripſit & publicavit, ſeu ſcribi & publicari procuravit libellum quendam famoſum præſentibus annexum, ſi Actor eundem habuerit, ſi non, articulus verba ſequentia vel alia eis in effectu conſimilia continens, & hic inſcribenda ſunt verba illa diffamatoria quæ in libello famoſo continentur, vel ſi diffamatus habuerit veram copiam ejuſdem libelli tunc eadem copia annectanda eſt libello dato in hac cauſa diffamationis (his adjectis verbis) tenoris ſchedulæ præſentibus annexæ quam pro hic inſerta & lecta haberi petit, & ſi Actor ſuam intentionem probaverit, puniendi ſunt hujuſmodi diffamantes graviori pœna quam hi qui verbis tantum diffamarunt.

TITUL.

TITVL. CXLII.

Quod testis productus in causa si fit diffamatus per propositionem exceptionum possit agere contra proponentem huiusmodi exceptiones in causa diffamationis.

QUamvis Reus vel Actor, pro sua ut prætendit defensione in causa proposuerit exceptiones contra testes adversarij, continentes crimina Ecclesiastica & verba diffamatoria corrigenda in foro Ecclesiastico, si defecerit in probatione earundem testis hujusmodi agere possunt coram eodem Iudice vel alio Iudice Ecclesiastico competente contra proponentem exceptiones prædictas in causa diffamationis, etiam non obstante quod proponens dictas exceptiones expresse protestatus fuerit tempore propositionis earundem quod eadem non proposuit animo diffamandi dictos testes, sed tantum pro justa defensione sua in causa prædicta, & hæc protestatio scribi soles in fine exceptionum vel saltem in actis tempore propositionis earundem.

TITVL.

TITVL. CXLIII.

De modo libellandi in dicta cauſa.

IN libello hujuſmodi non ſolum illæ poſitiones generales & uſitatæ in libello ordinario in cauſa diffamationis ponendæ ſunt, ſed etiam ſpeciales poſitiones ſubſequentes addendæ ſunt (*viz.*) Item quod tali die & anno ac in tali cauſa ac inter tales perſonas *M.* id eſt, Actor in hac cauſa fuit productus (in hoc Iudicio vel in tali curia ſi cauſa diffamationis non inſtituta ſit in Iudicio in quo teſtes erant producti) in teſtem ac juratus & examinatus prout ex actis hujus Curiæ ad quæ ſe refert pars ipſa proponens liquet & apparet. Item quod *N.* pars contra quam præfatus teſtis (jam Actor) in hac cauſa fuit productus tali die & anno, exceptiones quaſdam ſeu potius libellum quendam famoſum, exhibuit quorum talis poſitio tenorem ſequentem continens, in ſchedula præſentibus annexa ſpecificatur: & hic inſerendus eſt tenor illius poſitionis in qua verba diffamatoria continentur.

Item quod dictus *N.* pars Rea in hac cauſa defecit in probatione dictarum prætenſarum exceptionum ſeu potius libelli famoſi in poſitione prædicta mentionatarum vel in ſchedula præſentibus annexa ſpecificatarum, deindè ceteræ ordinariæ poſitiones ſcribendæ ſunt.

TITUL.

TITVL. CXLIV.

De modo probandi libellum prædictum.

SI dicta cauſa diffamationis inſtituta per teſtem, fuerit in eodem Judicio (id eſt) in quo teſtis erat productus in teſtem, tunc poſt litem conteſtatam & aſſignatum terminum ad probandum, dicat Procurator Actoris, in ſubſidium probationis contentorum in libello alias in hac cauſa dato, exhibeo quendam actum expeditum in hoc judicio, (id eſt, actum expeditum die propoſitionis exceptionum) inter *N.* & *M.* (*viz.*) in er talem Actorem, & talem Reum, talibus die & anno, necnon etiam exhibeo exceptiones ipſas perticulares & præſertim talem poſitionem earundem per dictum *N.* Reum in cauſa prædicta die & anno prædictis judicialiter datas & penes Regiſtrum hujus Curiæ remanentes & de quibus fit mentio in actu prædicto: & allego omnia & ſingula contenta in dicto actu fuiſſe habita & geſta prout in eodem continetur, referendo me ad acta, & Regiſtrum hujus Curiæ quantum faciant pro parte mea. Si reus in hac cauſa probaverit dictas exceptiones in præfata inſtantia ſeu judicio in quibus datæ fuerint, replicare poteſt pro defenſione ſua, quod hujuſmodi exceptiones probavit & juſtificavit, & quod eaſdem non propoſuit animo diffamandi teſtem jam Actorem, ſed pro juſta defenſione in cauſa ac admiſſa iſta allegatione in ſubſidium probationis ejuſdem ſeu ad eundem probandum, poteſt modo & forma prædictis exhibere acta dicta & depoſi-

ſitiones teſtium per eum productorum ſuper prædictis exceptionibus, ſed dato quod Reus non probaverit eaſdem in dicta inſtantia, probare poteſt eaſdem in hac inſtantia, & ſi probaverit eſt dimittendus ab inſtantia Actoris cum expenſis. Sed ſi hæc cauſa diffamationis non fuerit inſtituta in ipſo & eodem judicio in quo datæ fuerunt exceptiones prædictæ, tunc ad probandum libellum, actus prædictus & exceptiones prædictæ ſunt exhibendæ ſub manu Regiſtrarij Judicis, coram quo datæ fuerunt, vel per inſtrumentum publicum ſigilli Judicis, & ſubſcriptione Regiſtrarij communitum, ſimiliter in omnibus probare poteſt Reus materiam per eum datam, nempè ſe probaſſe exceptiones per eum datas in prima inſtantia, ac allegandum & probandum eſt, ut in titulo, *De exhibitione inſtrumenti appellationis extrajudicialis* (hoc excepto) quod ſi Procurator negaverit tales exceptiones datas aut propoſitas fuiſſe, oportet Actorem id probare per teſtes, (*viz.*) per Regiſtrarium, Actorem, ſcribam & eorum Clericos vel per ſcrutinium. Et nota quod ſi Procurator nomine Domini ſui & vigore ſpecialis Procuratorij propoſuerit dictas exceptiones, agi non poteſt contra ipſum Dominum nempè Reum cujus nomine datæ fuerunt, ſed contra Procuratorem eas proponentem (caveat igitur Procurator) hic etiam quæri poteſt utrum probationes factæ ſuper prædictis exceptionibus inter alias perſonas & in abſentia hujuſmodi teſtis plenè probaverint contra hujuſmodi teſtem in cauſa diffamationis ad juſtificandum probationem earundem, (ſed dato quod probant) tamen licet diffamato excipere contra, & reprobare hos teſtes quamvis fuerit alias contra eoſdem exceptum vel non exceptum per partem contra quam in priori cauſa producti fuerunt.

TITUL.

TITVL. CLXIV.

Quod admodum neceſſarium ſit ut exceptiones continentes crimina darentur per ipſas partes vel tales quæ ſunt ſolvendo expenſas diffamati ſi exceptiones non probentur.

QUamvis multo magis lœdantur nomen & bona fama cujuſcunque perſonæ contra quam judicialitèr etiam in ſcriptis proponuntur vel objiciuntur crimina, quam ſi hujuſmodi crimen fuiſſet extra judicium verbo tenus objectum, quia litera ſcripta manet, & licèt proponens exceptiones tenetur (ſaltem ſi id ab adverſario petatur) quod eſt quotidianum, præſtare juramentum quod non proponit eaſdem animo differendi litem plus juſto nec animo malitioſo, & quod credit ſe poſſe probare eaſdem (ut in titulo *Modus excipiendi contra teſtes.*) *Et titulo etiam, Quod quoties aliqua materia*, &c. Tamen cum litigantes fovent malam cauſam ac cupiunt protrahere lites & evitare non ſolum juramentum prædictum verum etiam actiones contra eos pro publicatione ſeu propoſitione libellorum famoſorum inſtituendas, procurant aliquas ignobiles, pauperes, & quaſi fugitivos, nulla certa habentes domicilia vigore ſpecialis paocuratorij ad hunc finem tantum conceptos, (id eſt, ad proponendum dictas exceptiones) proponere has exceptiones contra teſtes adverſarij aliquando fide dignos & optimæ famæ & eidem ſpeciali procuratori omninò incognitos, à quo procuratore ſpeciali nec juramentum prædictum exigi nec ab eo

præſtari poteſt (ſaltem ſana conſcientia) quia teſtes non novit, nec teſtes hujuſmodi prædicti contra Procuratorem hujuſmodi, actionem in cauſa diffamationis inſtituere poſſunt, quia non eſt ſolvendo expenſas nec conveniri poſſit quia nullum certum habet domicilium: implorandum eſt igitur in his caſibus Iudicis officium per Procuratorem contra quem dictæ exceptiones proponantur ad denegandam audientiam dicto Procuratori ſpeciali & ex cauſis præmiſſis ad rejiciendum dictas exceptiones, niſi pars ipſa aut alia idonea & ſufficiens perſona & in cauſa prædicta inſtructa (à qua non ſolum dictum juramentum, quod non proponit hujuſmodi exceptiones animo differendi litem plus juſto & quod credit ſe probare poſſe eaſdem, exigi & præſtari poſſit, verum etiam contra quam, caſu quo defecerit, in probatione dictarum exceptionum actio inſtitui valeat, hujuſmodi exceptiones dederit. Sed utrum propter rejectas exceptiones prædictas datas, ut ſupra dicitur per Procuratorem ſpecialem, datur parti eaſdem proponenti juſta cauſa appellandi, quære à peritis: vidi ſæpe has exceptiones datas per ſpecialem Procuratorem ex cauſis prædictis rejectas fuiſſe, Sed nunquam vidi ullam appellationem interpoſitam fuiſſe à rejectione hujuſmodi.

TITVL.

TITUL. CXLV.

De publicatione teſtium & proteſtatione Procuratoris partis adverſæ.

SI Procurator credit ſe probaſſe ſufficienter intentionem Domini ſui & non intendit plures producere teſtes, dicat; placebit Domine Iudex publicare dicta teſtium ex parte mea productorum & decernere partibus copias. Tunc Iudex *publicamus dicta teſtium ex parte tua productorum & decernimus partibus copias.* Tunc Reus ſi habeat aliquam materiam directè contrariam proponendam, dicat: diſſentio publicationi hujuſmodi teſtium, & proteſtor de non percontando dicta teſtium hujuſmodi, nam ſi ſe non diſſentiat & proteſtetur & poſtea dederit materiam contrariam ſi per adverſarium objiciatur quod didicit dicta teſtium, hæc materia non eſt admittenda, quia præſumitur proponendo hujuſmodi materiam didiciſſe dicta teſtium ſui adverſarij, & in eo amiſiſſe beneficium defenſionis contrariæ, & è contra ſi hæc proteſtatio fuerit facta, tunc admittenda eſt, quævis materia concludens & pertinens quamvis directè contraria propoſitis ſuper quibus teſtes fuerunt producti jurati examinati & eorum dicta (ut præfertur) publicata, niſi pars adverſa allegaverit & probaverit, quod proponens hujuſmodi materiam (non obſtante proteſtatione prædicta) didicit dicta teſtium & ad hoc probandum poteſt compellere Procuratorem vel partem principalem dictam materiam contrariam proponen-

tem, vel utroſque ad præſtandum juramentum quod nec per ſe nec aliquem alium didicit vel percontatus ſit dicta teſtium adverſarij, & ſolet etiam Iudex in hac controverſia, ſi id ab eo petatur, interrogare Regiſtrarium utrum ipſe aut aliquis ex Clericis ſuis copias hujuſmodi teſtium exſcripſerit & parti adverſæ ſeu ejus Procuratori vel ſollicitatori dederit, & ſi proponens dictam materiam contrariam in præmiſſis nullo modo convinci poſſit, ea eſt admittenda & non rejicienda,

Quia tamen aliquando poſt præſtitum juramentum prædictum ac admiſſionem materiæ contrariæ, pars eandem proponens curat copias teſtium adverſarij ſibi dari ac ita dicta teſtium hujuſmodi ſit percontatus ac deindè ſuper dicta materia contraria producere conatur teſtes. Si Procurator Actoris in præmiſſis, ejus adverſarium habet ſuſpectum, petere poteſt ut juramentum prædictum denuo præſtetur tempore quo producit teſtes, Et tunc ſi idem Procurator præmiſſa non purgaverit ſuo juramento, vel ſi de præmiſſis convinci poterit, teſtes prædicti ſunt repellendi quamvis dicta materia fuerit admiſſa & terminus datus ad eandem probandum.

TITUL.

TITVL. CLVI.

De preparatorijs ad conclusionem in causa.

FActa publicatione testium, dicet Actor in causa summaria, *peto terminum mihi assignari ad audiendam sententiam in proximo die Juridico*, & in plenarijs *ad proponendum omnia*, Iudex *assignamus*, tunc Reus si credit necessarium esse parti suæ uti exceptionibus contra testes adversarij, vel defensione contraria, dicat dissensio assignationi hujusmodi, lege titulum, *quod testes possunt recipi in die ad proponendum omnia*: & tres proximos sequentes titulos in quibus tractatur de conclusione in plenarijs & summarijs causis.

TITVL. CXLVII.

Quid faciet Reus ad impediendam conclusionem, & qualis actus induxit conclusionem.

REus in die assignato ad audiendum sententiam in summarijs, & ad proponendum omnia in plenarijs, si intendit uti exceptionibus contra testes adverlarij vel ulla contraria defensione tenetur eodem die proponere exceptiones hujusmodi contra testes aut in genere apud Acta (ut vocant) vel specificè in scriptis, aut aliquam aliam defensionis materiam dare, nam si nihil fuerit actum in die assignato ad audiencum sententiam

ſententiam in ſummarijs, & in die aſſignato ad proponendum omnia in plenarijs, & eodem die aſſignetur in ſummarijs ad audiendum ſententiam, ut prius, erit concluſum in cauſa, ſimiliter in plenarijs, ſi die aſſignato ad proponendum omnia, omnia ſuerint exhibita & propoſita, & aſſignatum fuerit ad concludendum in proximo, vel ſi in prædicto die aſſignato ad proponendum omnia, nihil actum fuerit, concluditur eo ipſo in cauſa, nec poſtea admittitur Reus nec Actor ad proponendum materiam aliquam nec exceptiones.

TITVL. CXLVIII.

Quid ſit terminus ad proponendum omnia & ex quibus actis reſcinditur concluſio.

TErminus iſte ad proponendum omnia (ut à doctiſſimis audivi) non reperitur in toto corpore juris, & dicitur eſſe potius terminus Iudicis quam juris ad tollendas dilationes, & Reus poterit in die ad proponendum omnia in plenarijs, & audiendum ſententiam in ſummarijs qualcunque materias exceptiones vel defenſiones dare, vel prius datis addere & eas declarare per viam poſitionum additionalium, per quarum admiſſionem vel aſſignationem ad audiendam voluntatem Iudicis ſuper admiſſione reſcinditur concluſio, ſaltem ſi poſtea admiſſæ fuerint hujuſmodi exceptiones vel materia, quamvis etiam in dicto die aſſignato ad proponendum omnia vel ad audiendam ſententiam cauſa non fuerit continuata in ſtatu quo tunc erat uſque in diem proximum Iuridicum, Sed hic notandum eſt quod licet poſitiones

positiones additionales admissæ fuerint, non tamen dandus est alius seu novus dies ad easdem probandas, si alius datus fuerat terminus probatorius ad id probandum ad quod hæ sunt declaratoriæ, sed probandæ sunt hujusmodi positiones declaratoriæ infra terminum alias datum.

TITVL. CXLIX.

Modus excipiendi contra testes est duplex, (viz.) in genere & in specie.

IN genere quando Reus non habet instructiones particulares exceptivas proponendas in scriptis ad impediendam conclusionem in causa, verbo apud acta excipit contra testes ex parte adversa productos, quod varii sunt vacillantes, singulares, inter se discrepantes, sibi ipsis contrarij & repugnantes, amici intimi partis producentis, ac inimici capitales partis contra quam producuntur, affectionati, partiales, minus indifferentes, infames, criminosi pauperes, egeni ac consanguinei, & affines ac famuli domestici, & de roba ac stipendio partis producentis, ac denique quod sunt tales quibus nulla fides est adhibenda, quam allegationem pono, eandemque admitti peto & jus & justitiam, Reus in seriora allegata per N. non esse vera protestor, & protestor de nullitate, ineptitudine, nimia generalitate, & indebita specificatione & inconcludentia hujusmodi prætensarum exceptionum, & allego easdem admitti non deberi, & ideo rejici peto, atque omnibus gestis tam per Judicem quam per partem adversam dissentio Iudex admittimus quatenus de jure & tunc si hoc à Procuratore partis adversæ petatur, assignabit proponenti

 bus

has exceptiones terminum probatorium, & etiam terminum ad ſpecificandū hujuſmodi generales exceptiones; decerni etiam poteſt quamvis non communiter pro parte principali ſuper his exceptionibus generalibus, ſaltem ſi Procurator eas proponens præſtiterit juramentum, quod credit ſe poſſe relevari in aliqua re per reſponſa partis principalis ex adverſo; Sed ſi actor credat Reum has exceptiones generales propoſuiſſe animo differendi litem plus juſto, & impedimenti concluſionem in cauſa, poteſt ante admiſſionem hujuſmodi acceptioni petere juramentum calumniæ à parte rea in hunc modum præſtari in præſentia *N.* actoris diſſentientis, & proteſtantis de nullitate allegationis hujuſmodi & pro parte ſua præſtantis juramentum de obſervando omnia & ſingula capitula in juramento calumniæ contenta, & petentes hujuſmodi juramentum calumniæ præſtari ab adverſa parte. Et ſi Reus recuſaverit, ſeu non præſtiterit hujuſmodi juramentum, Tunc Iudex hujuſmodi allegationem non admittere ſed rejicere eandem tenetur, expreſſe vel tacitè procedendo ad concluſionem in cauſa vel ad alium actum admiſſioni hujuſmodi materiæ contrarium, ſi hoc ab eo petatur, & ſi admiſſæ fuerint hujuſmodi exceptiones in genere & terminus probatorius fuerit datus, licèt hujuſmodi proponens generales exceptiones poſtea ſive pendente eodē termino probatorio ſive eo lapſo propoſuerit in ſpecie exceptiones ſeu declarationes harum exceptionum tamen non eſt dandus novus terminus probatorius, ut ſupra in Tit. *Quid ſit terminus ad proponendum omnia?* Sed hic notandum eſt, & nota quod quoties aliqua materia vel allegatio datur, Procurator adverſæ partis ſi non potuerit præſtare juramentum calumniæ, ut ſupra, poteſt petere hoc ſequens juramentum (*viz.*) quod proponens non proponit eandem materiam, ſive allegationem animo malitioſo, nec differendi litem plus juſto, &

& quod credit Dominum ſuum poſſe eandem probare, quod juramentum, ſi fuerit præſtitum, admittendi eſt materia, ſi alias, ſit concludens.

Exceptiones in ſpecie ſunt hæ quæ proponuntur in ſcriptis, & ſpecificè continent cauſas quare talis teſtis non eſt idoneus (*viz.*) quia eſt infamis, ſpecificando quomodo, & ex qua cauſa hujuſmodi infamia orta fuit, criminoſus, adultor, vel perjurius in aliqua parte depoſitionum vel forſan in aliqua cauſa ſpecificandâ, ut ſupra, modum, formam & tempus, admiſſiſque hujuſmodi exceptionibus ſunt repetendæ, & eſt decernendum pro parte principali, producendi ſunt teſtes ad eaſdem probandum, vel petenda eſt commiſſio ad partes in omnibus, ut in ſupra ſcriptis titulis quoad probationes ſuper libello, ſive per teſtes in judicio, ſive per commiſſionem ad partes & nota ſimiliter ante admiſſionem harum exceptionum in ſpecie, adverſarius poteſt exigere à proponente eaſdem, ſive juramentum calumniæ ſive aliud prædictum juramentum ut ſuper in titul. *Modus excipiendi contra teſtes eſt duplex.*

TITVL. CL.

Quod terminus probatorius ſit utriuſque parti communis.

SI datus ſit Actori vel Reo terminus probatorius, ipſe tamen cui hujuſmodi terminus aſſignetur, ſi ante lapſum ejuſdem credit ſe ſufficienter probaſſe ejus intentionem poteſt renunciare hujuſmodi termino probatorio, & non ſolum publicationem teſtium, verum etiam ad audiendam ſententiam in ſummarijs, & ad proponendum omnia in plenarijs, re-

ſpectivè petere & etiam obtinere concluſionem in cauſa ſi nihil propoſitum fuit per adverſarium, fallit tamen ſi adverſarius tuus tempore quo datus vel aſſignatus fuerat tibi terminus probatorius, vel alio quocunque die, priuſquam ea hujuſmodi termino probatorio renunciaſti, acceptaverit terminum probatorium aliàs tibi datum, & proteſtatus fuerit de utendo eodem, nam in hoc caſu quamvis pars quæ hujuſmodi terminum ſibi dari obtinuit, poterit petere publicationem teſtium ex parte ſui productorum, non poteſt tamen pendente dicto termino probatorio (qui eſt utrique parti communis) obtinere aſſignationem ad audiendam ſententiam vel ad proponendam omnia in præjudicium ejus adverſarij, qui habet idem & conſimile jus ſibi acquiſitum per acceptationem termini Probatorij adverſarij, ac ſi terminus aliquis datus eidem parti ad probandum aliquam materiam adhuc penderet vel duraret. Et dato quod pars illa (quæ ut præfertur) proteſtata eſt de utendo termino probatorio ejus adverſarij nihil omnino propoſuerit aut probaverit pendente eodem, poteſt, tamen eo lapſo quamcunque materiam proponere & probare.

Sed hic quære, utrum ita pars impediens ejus adverſarium per dictam proteſtationem de utendo ejus termino, quo minus ipſe poſſit procedere in cauſa non ſit merito condemnandus in expenſis retardati proceſſus. ego puto quod ſic ſi nihil probaverit.

TIVL. CLI.

Quæ continentur in juramento calumniæ.



QUod credit se bonam causam fovere, quod interrogatus non negabit quod verum esse crediderit, quod non utetur scienter falsa probatione, quod dilationem non petit in fraudem, ad protrahendam litem, quod nihil dedit aut promisit, nihilque dabit aut promittet pro victoria obtinenda nisi ijs personis quibus leges & canones dare permittant.

Juxta versus,

Illud juretur quod lis tibi justa videtur,
Et si quæretur, verum non inficietur,
Nil promittetur, nec falsa probatio detur,
Ut lis tardetur dilatio nulla petetur.

Quæ omnia de generali tantum calumniæ juramento intelligenda sunt, quod juramentum hujusmodi nisi semel in causa præstari debet atque etiam plerumque statim post litem contestatam fieri solet, si tamen tunc omittatur potest postea in quacunque parte judicii exigi, est autem aliud juramentum calumniæ speciale alio nomine malitiæ non committendo dictum, quod quoties Judici æquum visum fuerit, litigatoribus etiam invitis ministrari possit idque lite contestata vel non contestata, vel juramento calumniæ generali præstito vel non præstito.

TITVL. CLII.

De confirmandis teſtibus Actoris.

Ctor poteſt proponere materiam coroboratoriam ſuorum teſtium, infra terminum Reo aſſignatum, ad probandum exceptiones, & ita uti termino ſui adverſarii, ut in ſupradicto titulo dicitur, & confirmare ſive perſonas ſive dicta teſtium probatoriorum, vel poterit expectare donec ipſius ſit terminus probatorius Reo ad exceptiones probandas datus, & tunc ſi diſſenſerit publicationi teſtium adverſarij & proteſtatus fuerit de non percontando eorum dicta & revera non percontatus fuerit eorum dicta poterit proponere materiam corroboratoriam tam perſonarum quam dictorum teſtium & obtinere terminum probatorium.

TITVL. CLIII.

De proponendis exceptionibus ex parte Actoris contra teſtes Rei exceptivos.

Licet Actor in proximo præcedenti titulo produxerit teſtes ad coroborandum dicta & depoſitiones teſtium probatoriorum ex parte ſua productorum, eorumque dicta publicari obtinuit poteſt tamen quandocunque ante concluſionem in cauſa proponere exceptiones tam contra dicta quam perſonas dictorum teſtium reprobatoriorum Rei etiam non obſtante publicatione hujuſmodi teſtium Rei, & obtinere terminum ad hujuſmodi exceptiones probandum, limita tamen quod non licet excipere

excipere contra dicta testium Rei reprobatoriorum post publicationem prædictam, nisi addatur in hujusmodi exceptionibus quod fuerunt subornati & corrupti ad ita deponendum prout in eorum depositionibus, (quæ sunt de verbi ad verbum recitandæ) continetur, nam si hæc qualitas subordinationis non adjiciatur sed omittatur ista allegatio directè contraria contra dicta testium admitti non debet, fallit tamen si Reus in prædictis exceptionibus allegaverit generalitèr quod talis testis Actoris commisit adulterium cum quadam muliere nominata en exceptionibus nullo expresso tempore certo vel forsan (ut communitèr solet allegari) talibus annis recitando diversos vel in eorum uno & testes Rei deposuerint quod tali anno vel tali die seu mense ejusdem anni dictus testis Actoris commisit adulterium vel deprehensus fuit in adulterio cum dicta mulierem in isto casu licet Actori post publicatas attestationes testium Rei allegare directè contrarium & dictis testibus Rei perjuriam objicere & non tenetur allegare corruptionem dictorum testium quia pars Actrix ante publicationem testium Rei non potuit providere propter generalitatem allegationis quomodo potuisset purgare innocentiam testium probatoriorum de crimine objecto.

Sed hic nota quod Reus potest petere ab actore proponente corruptionem testium juramentum quod credit se posse probare subornationem prædictam alioquin dictæ exceptiones contra dicta testium Rei non sunt admittendæ nisi in casu mentionato in § fallit tamen, sed dato quod præstito hoc juramento de corruptione testium pars eandem allegans non probavit corruptionem probavit tamen directè dictos testes falsum deposuisse & perjuros fuisse, num in isto casu succumbit Actor quie etiam non probavit subornationem? puto quod non, quia probata falsitate corruptio præsumitur saltem ita adjudicari novi sed quære.

Titul. CLIIII.

Quoties proponi possunt exceptiones contra testes & corroboratorij, personarum, & dictorum testium.

SI Actor produxerit testes super libello, licet Reo excipere tam contra dicta quam contra personas hujusmodi testium, qui testes Rei, dicuntur testes reprobatorij testium probatoriorum, contra hujusmodi testes reprobatorios. Actor potest etiam excipere tam contra personas quam contra dicta testium, isti verò testes dicuntur testes reprobatorij testium reprobatoriorum probatoriorum, Actor si non corroberaverit dicta & personas testium corrobatoriorum sive primo loco sive secundo loco per eum productorum, potuit simul una cum dictis exceptionibus datis contra testes Rei reprobatorios vel sucessivè postquam ipse Actor dederit exceptiones prædictas corroborare dicta & personas testium probatoriorum, Reus verò prohibetur excipere contra hos testes reprobatorios per Actorem productos quia tunc admitterentur testes reprobatorij reprobatoriorum probatoriorum, quod prohibetur in communi & generali illa regula. *In testem testes & in hos sed non datur ultra.* Sed tamen Reus poterit corroborare dicta & depositoines testium ex parte sua productorum super exceptionibus seu reprobatorijs datis per eum contra testes probatorios Actoris, dummodo id sit ante publicationem testium productorum per actorem super exceptionibus prædictis per eum datis contra testes exceptivos Rei, saltem ita vidi practicatum.

TITVL. CLV.

De productione teſtium, poſt publicationem ſuper primo poſitis ex Capite quod de novo pervenerant ad producentis notitiam.

SI pars actrix vel Rea produxerit teſtes, & eorum dicta publicare obtinuerit & eadem percontata fuerit, tamen ſi poſt publicationem & percontationem hujuſmodi de novo (id eſt,) poſt publicatas attestationes pervenerit ad ejus notitiam quoſdam alios teſtes fuiſſe ſibi admodum neceſſarios poterit (re integra exiſtenti,) id eſt, ante concluſionem in cauſa ſi fuerint præſentes in judicio eos producere & ſunt recipiendi & admittendi. Sed ſi hujuſmodi novi teſtes recuſaverint comparere niſi compulſi pars principalis, & non Procurator (nam ejus Procurator in mandato ſuo generali Procuratorio non habet ad infra ſcripta ſufficiens mandatum) debet comparere judicialiter & allegare ut ſequitur. Ego *N.* citra revocationem Procuratoris mei vel ſub proteſtatione de non revocando procuratorem alias per me conſtitutum. Allego *M. N.* & *O.* fuiſſe & eſſe teſtes parti meæ admodum neceſſarios ad probandum contenta in libello, & quod pervenit ad meam notitiam eos fuiſſe mihi teſtes neceſſarios citra publicationem teſtium alias ex parte mea in hac cauſa productorum & non antea, ac de ſuper offero me promptum & paratum ad faciendam fidem & ideo peto hos teſtes hic præſentes in judicio quos in teſtes producо, recipi

admitti & juramento onerari de fideliter deponendo ſuper contentis in libello alias per me dato, vel ſic ſi teſtes fuerint requiſiti ad intereſſendum & non venerint allego me hujuſmodi teſtes requiſiviſſe ad comparendum iſtis die & loco ad perhibendum teſtimonium in hac parte & quod obtuli eis eorum ſumptus & expenſas viaticas, & de ſuper etiam offero me promptum & paratum ad faciendam fidem, unde peto hujuſmodi teſtes compellendos fore decerni ad comparendum aliquo die ad perhibendum teſtimonium, *&c.* Tunc Iudex, niſi pars adverſa docuerit partem petentem hos novos teſtes admitti, habuiſſe notitiam vel ſcientiam ſaltem probabilem eorundem teſtium, ante publicationem dictorum priorum teſtium vel quod cauſa in qua iſta admiſſio teſtium requiritur ſit ejus naturæ, quod teſtes de novo pervenientes ad notitiam non ſunt admittendi debet eos admittere ſi ſunt præſentes in judicio vel decernere compulſorium ſi ſunt abſentes, facta tamen prius fide per petentem admiſſionem teſtium tam quod dicti teſtes ſunt neceſſarij & quod de novo poſt publicatus atteſtationes ad jus notitiam primo pervenit eos fuiſſe teſtes ſibi neceſſarios quam etiam quod eoſdem teſtes requiſivit & eis expenſas viaticas obtulit, Reus ego diſſentio & proteſtor de nullitate petitionis dicti procuratoris ſeu partis & allego eam non concludere in jure nec concedi deberi & quod publicatio teſtium alias facta per partem adverſam & percontatio eorundem obſtat quamvis admittantur & quod ſubeſt maximus timor ſubornationis teſtium referendo me ad jura & acta Curiæ,

TITUL.

TITVL. CLVI.

De Causis quæ impediunt productionem testium post Publicationem.

PRobabilis causa scientiæ dicitur in causa testamentaria si testes alias producti deposuerint partem petentem novos testes fuisse præsentem cum hujusmodi testibus quos dicit de novo ad ejus notitiam pervenisse tempore conditi testamenti. Similiter in causa diffamationis si primi testes deposuerint verba diffamatoria fuisse prolata in præsentia actoris & testium (quos petit de novo produci) & sic in omnibus similibus casibus, hæcque probabilis scientiæ est causa sufficiens ad impediendam prædictam petitionem de novis testibus admittendis nisi pars ipsa petens hanc novam testium productionem, scientiam hanc seu potius scientiæ vehementem præsumptionem purgaverit suo juramento expresse jurando quod testes hos non videbat vel de eorum præsentijs non recordatus fuerit tempore quo alios produxerat testes & eorum dicta publicari obtinuerat, Nam in testamentaria causa fieri potest & aliquando contingit quod aliqui testes fuerunt in proximo cubiculo vel per parietes auscultando quid actum fuerit per testatorem circa conditionem testamenri & quod licet testes alias producti norunt & forsan videbant dictos testes sic auscultantes pars tamen novos testes prædictos producere conans eos nec videbat nec eos ita auscultantes noverat.

Similiter in causa Diffamationis si verba diffamatoria libellata prolata fuerint in loco aliquo publico utpote in Ecclesia vel platea ubi communis habetur po-

puli concurſus ſepiſſime contingit tranſeuntes audire, & notare verba diffamatoria & etiam teſtes primo loco (ut præfertur) productos hujuſmodi tranſeuntes vidiſſe & ideo de eorum præſentijs depoſuiſſe quamvis pars principalis ita ratione prolationis verborum diffamatoriorum commotus non videbat teſtes; Et hijs addi poteſt quod ſi verba prolata fuerint per plures menſes ante inſtitutionem actionis quod actor poſſit probabiliter obliviſci præſentiam omnium teſtium licèt eos tunc videbat & quod jam recordatur eos præſentes fuiſſe quia teſtes alias per eum producti de eorum præſentijs depoſuerunt, ſed ut ſupradictum eſt de his Actor tenetur expreſſe præſtare juramentum ſrab adverſario petatur, quia ut etiam antedictum eſt ex præmiſſis præſumitur ejus ſcieneia.

TITVL. CLVII.

De productione teſtium in cauſa Matrimoniali poſt publicatas atteſtationes, & de ſpeciali Prærogativa ſine privilegio cauſæ Matrimonialis.

LIcet generaliter non admittuntur teſtes poſt publicationem ſuper eiſdem, admittuntur tamen in cauſa matrimoniali etiam ſine juramento (quod teſtes de novo pervenerunt ad notitiam partis poſt publicatas atteſtationes) & dato etiam quod in cauſa matrimoniali lata ſit ſententia contra Actorem quod deficit in probatione libelli & Reus abſolvatur tamen Actor in eodem judicio ſeu in alio poteſt de novo inſtituere novam cauſam matrimonialem contra eandem perſonam non ſolum ex novo aut ſecundo contractu, ſed ex priori & produ-

esse probationes sibi prius cognitas vel incognitas & in isto casu non obstat exceptio Rei judicati vel quod prædicta sententia transivit in rem judicatam quia sententia lata causa in matrimoniali contra matrimonium nunquam transit in rem judicatam & habet multa privilegia, Et quoties Ecclesia decipitur pronunciando sententiam contra matrimonium ex novis probationibus, etiam aliquando ex eisdem potest revocari prior sententia & ratio est ad evitandum peccatum & periculum animæ si injusta sententia sortiretur effectum & locum haberet.

TITVL. CLVIII.

De alia productione testium super prius positis post publicationem.

SI Actor produxerit duos testes aut plures ad probandum libellum & postea Reus per viam exceptionis repulit eosdem vel saltem eorum aliquos ita quod non sint relicti duo fide digni & concordes testes tunc si hujusmodi testes fuerunt *infamati* per tales exceptiones de quibus non constat partem eos producentem habuisse notitiam potest per viam corroborationis priorum testium vel directe super libello alios quoscunque producere testes & ratio est quia omnis homo præsumitur honestus donec contrarium probatur & jura dicunt quod regulariter duo testes sufficiunt, & ideo Actor producendo duos potuit probabiliter cogitare eos sufficere.

dendum in aliquo consistorio cum monitione ad exhibendum eadem coram commissarijs in eodem loco & non in ipsis Archivis quod ab Antiquo cum exhibita & munimenta fideliter custodita fuerint in loco publico ad hoc specialiter constitutis fieri non solebat & in eo casu si originalia exhibita mentionata in allegatione seu commissione facta seu concessa pro hujusmodi scrutinio faciendo, comperta fuerint per commissarios scrutantes in registro sine Archivis hujusmodi multo majorem fidem faciebant quam si adducta fuissent ex Registro ad alium quemcunque locum, Nam in hoc casu quomodo probatur hujusmodi exhibita seu munimenta allagata fuisse in archiva vel in Registro fideliter custodita (sanè nullo modo) nisi tantum in eo quod solus Registrarius & plerunque ejus Clericus eadem exhibendo verbo suo sive juramento ita asserit, tutissimum igitur esse litigantibus credo de cætero curare ut omnia scrutinia fiant in ipsis Archivis.

TITVL. CLIX.

De tenere munitionis ad exhibendum Archivâ seu munimenta coram commissarrijs ad effectum ea scrutandi.

CUrabit Procurator petens scrutinium monitionem prædictam & sigillari Sigillo Judicis & exequi contra personas penes quos hujusmodi munimenta remanent & tunc coram Commissarijs quamprimum in loco assignato judicialiter sedent, certificanda est hujusmodi monitio cum certificatorio authentico ut in cæteris causis

TITVL.

TITUL. CLVX.

De modo petendi ſcrutinium.

I in aliquo Regiſtro ſeu publicis Archivis aliqua inſtrumenta ſeu ſcripta remaneant facientia ad probationem contentorum in propoſitis ex parte Actoris vel Rei, allegandum & petendum eſt ut ſequitur. Ego *N.* Allego diverſa inſtrumenta ſive munimenta & ſi poſſit ea ſpecificare neceſſario facientia ad probationem contentorum in propoſitis & exhibitis ex parte mea remanere in Regiſtro ſeu publicis Archivis Reverendi Patris *N.* vel alterius perſonæ penes quem remaneant (& hic nominanda eſt perſona penes quam remanent) unde peto ſcrutinium decerni *M. N.* & *O.* perſonis in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutis conjunctim & diviſim ad perſcrutanda Archiva & dicta munimenta talibus diebus ac in tali loco (qui locus ſolebat eſſe ille locus in quo eadem munimenta cuſtodiuntur) & *N.* partem adverſam ſeu potius Procuratorem moneri ad intereſſendum hujuſmodi ſcrutinio, nec non monitionem decerni contra dictum Reverendum Patrem *&c.* vel alios quoſcunque penes quos hujuſmodi munimenta remanent ad exhibendum eadem coram dictis commiſſarijs diebus & loco prædictis ad effectum ut ſcrutari poſſint: Iudex decernimus & monemus ut petitur.

In his ſcrutiniis petendis & decernendis per aliquot annos nuper retroactos error ſurrepſit (ſaltem mea opinione quære igitur à peritis) in eo quod commiſſio pro ſcrutinio faciendo petitur & decernitur ad ſe-

dendum

Titvl. CLXI.

De forma procedendi in dicto ſcrutinio.

Um Commiſſarij & Notarius præſentes ſint die & loco pro ſcrutinio faciendo aſſignatis dicet Procurator, vel ejus ſubſtitutus exhibens primo eandem ſubſtitutionem, Ego ex parte venerabilis viri Domini officialis almæ Curiæ *Cantuar.* vel alterius Judicis qui conceſſit ſcrutinium ut in titulo, *De modo exequendi commiſſionem in partibus*, Præſento vobis has literas commiſſionales de ſcrutinio faciendo & peto quatenus dignemini acceptare in vos onus executionis hujuſmodi commiſſionis & decernere procedendum fore juxta tenorem ejuſdem, Tunc Commiſſarij facient commiſſionem publicè legi & lecta dicent: Nos ob reverentiam vel honorem (ſi Archiepiſcopus ſit committens) acceptamus in nos onus commiſſionis hujuſmodi & decernimus fore procedendum juxta vim formam tenorem & effectum ejuſdem & hunc Notarium publicum hic præſentem in Actorum noſtrorum ſcribam in hac parte aſſumimus, & tunc facienda eſt publica præconizatio pro Procuratore partis adverſæ & in omnibus eſt procedendum qu. ad ejus contumaciam ſi non comparuerit, ut in Titulo, *De expeditione commiſſionis pro teſtibus*,

Si pars adverſa vel ejus Procurator comparuerit tam in caſu quo ſcrutinium non eſt faciendum in ipſis Archivis dicet pars petens ſcrutinium, exhibeo mandatum originale cum certificatorio & acculo contumaciam *M*, *N*, & *O*, monitorum juxta tenorem dicti mandati

mandat ad exhibendum iſtis die & loco munimenta in literis veſtris commiſſionalibus mentionata : & tunc Regiſtrarius ſeu cuſtos hujuſmodi munimentorum dicet, ex parte *N.* (hoc eſt Judicis cujus ſunt munimenta) & mei Regiſtrarij ſive Regiſtri cuſtodis ſatisfaciendo hujuſmodi monitioni, exhibeo talia ſcripturas ſive talia inſtrumenta aut tales libros, &c. & tum petens ſcrutinium dicet, & ego eadem munimenta exhibeo quatenus faciunt pro parte mea & peto eadem diligenter legi, perſcrutari & inſpici ac copias veras earundem conferibi & ſcripturas fideliter collationari cum ipſis originalibus ; ac facta collatione tranſmitti domino commiſſionem concedenti die & loco atque juxta tenorem commiſſionis prædictæ. Quæ omnia Commiſſarij facient & decernent in præſentia partis adverſæ & Notarij publici adhibiti & aſſumpti & certificabunt eadem prout commiſſio pro teſtibus eſt certificanda.

Sed nota ut ſupra quod ſi pars adverſa nec per ſe nec per Procuratorem comparuerit tunc omnia facienda exhibenda & decernenda ſunt in panam contumaciæ partis præconizatæ acculatæ & pro contumaciæ primo pronunciatæ, ut in titulo, *De expeditione commiſſionum*, &c. Et tit. ſequent. & ſi prædictum ſcrutinium faciendum fuerit in ipſis Archivis tunc dicti commiſſarij in præſentia partis adverſæ ſi præſens fuerit vel in panam contumaciæ, ut ſupra (ſi ſe contumaciter abſentaverit) Regiſtrum prædictum productis munimentis in commiſſione mentionatis in præſentia dicti Notarij aſſumpti ſcrutari facient & procedere & certificare tenentur, ut ſupra, ſed in his caſibus Regiſtrarius ſeu cuſtos dictorum munimentorum, pro tempore expeditione hujuſmodi ſcrutinij ſolet ostendere commiſſarijs dicta munymenta vel locum in quo reponi & cuſtodiri ſolent.

Sed hic quæri poſſit qualiter & quomodo procedendum ſit ſi Epiſcopus vel Regiſtrarius, ut ſupra, monuiti ad exhibendum dicta munimenta coram dictis commiſſarijs minimè tamen co nparuerint nec monitioni hujuſmodi ſatisfecerint, (*viz.*) utrum poſſint per dictos commiſſarios propter eorum contumaciam excommunicari, vel alias facto certificatorio authentico per hujuſmodi commiſſarios Iudici concedenti dictam commiſſionem de omnibus per eos geſtis eidem Iudici ſignificari ut idem Iudex procedere poſſit contra hujuſmodi contumaces in cauſa contemptus, & eos per cenſuras Eccleſiaſticas punire de hac quæſtione ad triginta annos elapſos maximè controverſum & diſputatum fuit inter peritiſſimos Advocatos, (ſed de ea quæſtione non memini fuiſſe interloquutũ) periti tamen & exercitati Procuratores hanc tenebant ſententiam (*viz.*) dictos Commiſſarios non potuiſſe excõmunicare Epiſcopum vel Regiſtrarium quamvis ut ſupra monitos ad exhibendum dicta munimenta, quia in commiſſione de ſcrutinio faciendo non data fuit, ſaltem non ſolet dari poteſtas (*nec verbo equipollentia*) dictis commiſſarijs, excommunicandi non exhibentes dicta munimenta, ad evitandum igitur hanc quæſtionem de facto; curet Procurator petens ſcrutinium ut in eadem commiſſione poteſtas excommunicandi monitos ad exhibendum munimenta, & non exhibentes; commiſſarijs concedatur; quæ clauſula ſeu poteſtas in omni hujuſmodi commiſſione non inſeri aut inſciri per hos plurimos annos ſolebat.

Titus

TITVL. CLXII.

De exhibitione instrumentorum coram Judice facientium ad probationem contentorum in propositis Actoris sive Rei.

EGo in subsidium probationis contentorum in libello vel in tali materia vel allegatione, &c. exhibeo quasdam indenturas vel tale scriptum, &c. sic incipiens (hic prima linea est inserenda) & sic terminans (& hic sex vel quatuor ex ultimis verbis sunt scribenda) & allego hujusmodi exhibita esse subscripta & sigillata respectivè manibus & sigillis in eisdem mentionatis, & fuisse per personam seu personas in eisdem nominatas & pro eorum seu ejus facto tradita & deliberata, & allego contenta in eisdem esse vera ac habita & gesta prout in eisdem continetur, quam allegationem pono conjunctim & divisim ac eandem admitti peto ac jus ac justitiam mihi & parti meæ ministrari. Qua allegatione per judicem admissa & per partem eandem proponentem & judicem in vim positionum & articulorum reperita Procurator exhibens dicta exhibita poterit jurare se fideliter hujusmodi allegationem posuisse, & exhibita, & petere juramentum ab adverso Procuratore præstari de fideliter correspondendo eisdem sub juramento in proximum in scriptis. Sed si dicta exhibita sunt privata scripturæ ita ut Procurator ea exhibens non sperat seu credit se posse relevari ex Procuratoris partis adversæ responsis tunc petat pro parte principali ut in cæteris causis.

Sed nota quod ſi exhibita ſigillantur ſigillo alicujus authentico utpote ſigillo magno *Angliæ* vel alicujus Epiſcopi ſeu Judicis Eccleſiaſtici tunc petantur reſponſa Procuratoris partis adverſæ quia in his caſibus veriſimile eſt Procuratorem adverſarij melius eſſe inſtructum quid credit (quoad ſigilla allegata) quam ejus clientem. Si pars actrix vel Rea habuerit antiqua munimenta ſeu libros pervetuſtos exhibendos facientes ad neceſſariam probationem contentorum in propoſitis ex parte ſua, dicat exhibeo quoſdam antiqua & pervetuſta ſcripta ſeu libros ſic incipientes & ſic terminantes ut ſupra, & allego eoſdem eſſe antiquos & fuiſſe fideliter conſervatos penes talem (aliquem videlicet publicum officiarium vel perſonam publicam) & eſſe tales quibus fides plena tam in judicio quam extra ſolet adhiberi ac fuit & eſt adhibenda tunc propoſita dicta allegatione conjunctim & diviſim eaque admiſſa & repetita, præſtet juramentum, &c. & petat etiam juramentum à Procuratore adverſo dari de reſpondendo ut ſupra, vel petat ut ſupra pro parte principali. Et nota quod ſi prædicta ſeu libri prædicti exhibiti ſint prolixi ut Regiſtrarij non poſſint ſine magnis expenſis eadem exſcribere; Tunc Procurator curabit veram copiam illius partis exhibitorum (qua facie pro intentione Domini ſui) exſcribi & tunc dicet, exhibeo ut ſupra, hoc addito & prædictas clauſulas talem ſeu talia verba in tali linea inſtrumenti, vel in tali folio libri exhibiti una cum vera copia earundem clauſularum ſeu verborum: Et peto collationem fieri cum ipſis copijs & clauſulis ſive verbis prædictis exſcriptis una cum ipſis originalibus & facta collatione & Regiſtratione clauſularum ſeu ſententiarum prædictarum cum dictis originalibus, eadem originalia reddenda decerni, & tantam fidem eſſe adhibendam copijs collatis & Regiſtratis quam ipſis originalibus; Tunc Judex

decernimus; pars tamen exhibens præmiſſa ad finem ut procurator vel pars adverſa poſſit inſpicere hujuſmodi exhibita, & ita ſe informare quid credat aut reſpondeat ſolet dimittere hujuſmodi exhibita originalia penes Regiſtrarium, donec procurator adverſarij vel pars principalis reſponderit, & in iſto caſu exhibens præmiſſas tenetur ſolvere Regiſtrario ſolum modo pro Regiſtratione illius clauſulæ quam extraxit ex indenturis ſeu libris exhibitis, Nam notandum eſt nulla exhibita (de quibus in actis mentio ſit facta) eſſe danti exhibenti retradenda, niſi primo eadem fuerint ad perpetuam Rei memoriam Regiſtrata, *Caveat igitur Procurator præmiſſa exhibens ut petat Judicis decretum de retradendis exhibitis cum fuerint Regiſtrata;* Nam alias ſine Judicis decreto Regiſtrarius non tenetur neque debet eadem retradere quamvis fuerint Regiſtrata.

TITVL. CLXIII.

De Proteſtatione Procuratoris adverſæ partis contra exhibita.

EGo diſſentio exhibitioni hujuſmodi prætenſorum exhibitorum & proteſtor de nullitate & in authenticitate eorundem, & allego eadem exhibita eſſe ſcripturas privatas & inauthenticas, ac tales quibus nulla fides eſt adhibenda, & ideo peto eaſdem rejici, ſed ſi aliquod inſtrumentum ſit exhibitum ſub ſigillo Regio non eſt tutum procuratori illud inficiari aut proteſtari quod ſit privata ſcriptura ut ſupra.

Et nota quod ſi aut ex inſpectione exhibitorum tempore exhibitionis eorundem aut aliundè conſtare poſſit, eadem in aliquo facere pro parte adverſa tunc dicet ejus Procurator accepto hujuſmodi exhibita, & exhibitionem eorundem quatenus faciunt pro parte mea & quatenus faciunt contra diſſentio & proteſtor ut ſupra in principio iſtius tituli.

Denique notandum eſt quod expedit Procuratori adverſæ partis acceptare exhibita & exhibitionem adverſarij, quamvis neſcitur utrum in aliquo faciunt pro parte ſua, nam ſi in aliquo faciunt pro parte ſua & ille tamen eadem non acceptaverit, ſed eadem fuiſſe talia quibus nulla fides fuerit adhibenda allegaverit, & fuiſſe vera inficiatus fuerit, exhibens poteſt hujuſmodi exhibita ſubducere quandocunque ante acceptationem quod facere non poteſt ſi acceptata fuerint per adverſarium, concludo igitur prodeſſe poſſe acceptationem & abeſſe non poſſe.

TITUL. CLXIV.

De forma concipiendi reſponſa Procuratorum allegationi vel exhibitis quibuſcunque adverſarij.

RESponſa Procuratoris de quibus in ſupradictis tituli facta eſt mentio debent concipi in ſcriptis idque in prima perſona (*viz.*) reſponſa mei *N* Procuratoris *N.* ſacta poſitionibus allegationis & exhibitorum ex parte *O*, tali die, & dominus ſi ad dictam allegationem & exhibita reſpondeo, & credo pront veritas ſe habet & procurator in ſua conſcientia verum eſſe credit, & ſi allegata vel materia cui reſpondere tenetur ſit articulata tenetur articula-

tim eiſdem reſpondere, ſi diverſa inſtrumenta fuerint exhibita procurator tenetur ſpecificè per verba credo vel non credo cuilibet parti allegationis & ſingulis exhibitis diſjunctim reſpondere, nam generalis reſponſio negativa (quod eſt quotidianum non inſpectis his quibus reſpondetur) non eſt ex ſtylo curiæ admittenda quamvis reſpondetur per hæc verba ad talem allegationem, & ad exhibita in eadem mentionata reſpondeo quod non credo eadem eſſe vera in aliquo.

TITVL. CLXV.

De comparatione literarum qua communiter habetur in Curia Prærogativa ad probandum manum Teſtatoris.

I contenditur utrum teſtamentum litigioſum ſit ſcriptum vel ſubſcriptum manu teſtatoris vel utrum aliquod inſtrumentum (utpote) indentura locationes & literæ obligatoriæ (quæ communitèr incidenter tamen & non principalitèr) exhibentur ad probandum intentionem Actoris vel partis Rez fuerint ſcripta vel ſubſcripta manu propria perſonarum in eiſdem nominatarum. Si teſtes Teſtamentarij & inſtrumentarij defuncti fuerint ante hujuſmodi litem motam vel non producentur in teſtes. Tamen ſi pars habuerit alia ſcripta (quamvis omninò impertinentia ad cauſam inſtitutam) ſub manu teſtatoris vel aliarum perſonarum in dictis exhibitis mentionatarum, & teſtes qui potuerint deponere quod viderunt teſtatorem vel partes prædictas ſubſcribentes hujuſmodi ſcriptis, &c. Tunc procurator illa ſcripta exhibebis

fol

in ſubſidium probationis contentorum in allegatione teſtamenti ſeu alterius ſcripti antedicti, & allegare debet hæc verba (*viz.*) verba quæ continentur in exhibitis datis in ſubſidium probationis contentorum, ac nomen ac cognomen teſtatoris vel perſonarum ante dictarum fuiſſe & eſſe ſcripta, & exarata manu propria teſtatoris vel perſonarum prædictarum ipſa (*viz.*) & eadem manu, cum qua teſtamentum ſeu alia prædicta exhibita primo loco data, ſcripta & exarata fuerunt & ſunt, ponenda eſt hæc allegatio conjunctim & diviſiam & admittenda ut in cæteris cauſis, ac producendi ſunt teſtes ſupra hujuſmodi allegatis & exhibitis & facta publicatione earum depoſitionum ſi pars præmiſſa exhibens probaverit hujuſmodi allegata dicet procurator, allego intentionem meam in allegatione & exhibitis per me tali die datis (iſta ſunt exhibita quæ primo loco data fuerunt) fuiſſe & eſſe ſufficienter fundatam ex exhibitis & depoſitionibus teſtium per me ultimo loco datis & productis referendo me ad eorum dicta & depoſitiones ac reſpectivè exhibita prædicta, & ad jura & ideo peto comparationem fieri inter hæc verba (ſpecificando verba quæ per teſtes deponuntur fuiſſe ſcripta per teſtatorem vel per perſonas prædictas) & hæc verba (ſpecificando) illa verba quæ allegantur in primis exhibitis fuiſſe ſcripta per teſtatorem vel perſonas antedictas & peritos in arte ſcribendi elegi & juramento onerari de fideliter comparando præmiſſa & de referendo eorum judicium tali die, Tunc Judex ſi ſibi conſtiterit probata eſſe exhibita prædicta quæ ultimo loco data fuerint in ſubſidium probationis prius exhibitorum ac fuiſſe ſubſcripta manu teſtatoris vel perſonarum in dictis *priuis* exhibitis mentionatarum dicet, decernimus comparationem fieri & *N*, *M* *O*, & *P*, (hoc eſt quatuor vel ſex ex ſenioribus procuratoribus & peritioribus in arte ſcribendi) juramento

onerari de fideliter comparando reſpectivè exhibata prædicta, & de referendo eorum judicium tali die, iſtos comparatores curabit pars petens comparationem convenire in aliquem locum utrique parti indifferentem ad faciendam comparationem, & etiam curabit ut Regiſtrarius interſit ad oſtendendum comparatoribus hujuſmodi omnia exhibita ac actum habitum ſuper decreto dictæ comparationis ut poſſit eiſdem comparatoribus conſtare de & ſuper quibus facienda ſit comparatio, & licitum etiam eſt parti adverſæ vel ejus Procuratori intereſſe hujuſmodi comparationi, & ex actis vel exhibitis ipſis informare comparatores de diſſimilitudine vel ſimilitudine anonum vel characterum reſpectivè exhibitorum.

Si per comparationem factam comparatores invenerint & retulerint ad eorum judicium & veredictum, quod dicta reſpectivè ſcripta (*viz.*) ſcripta tam primo quam ſecundo loco exhibita eſſe una & eadem manu exarata & ſcripta ita eorum judicium virtute eorum juramenti dicto ad hoc conſtituto referre tenentur in ſcriptis una cum ſcriptione eorum reſpectivè manuum relationem hujuſmodi & pars petens dictam comparationem debet hujuſmodi relationem exhibere in ſubſidium probationis contentorum in allegatis & exhibitis prædictis primo loco datis. Procurator vero partis adverſæ diſſentiat & proteſtetur de nullitate ejuſdem.

Si comparatores facta diligenti comparatione prædictorum retulerint ſcripta reſpectivè prædicta non eſſe una & eadem manu ſcripta ſed diſſimilia, ita eorum eſt referendum judicium; Procuratore adverſarii acceptante hujuſmodi relationem pro parte ſua & Domini ſui.

TITVL. CLXVI.

De modo probandi teſtamentum in judicio contradictorio ut ſententia poſſit ferri pro viribus ejuſdem quamvis nulli teſtes fuerint adhibiti tempore conditionis ejuſdem.

Oopiſſimè contingit quod defunctus ſanæ exiſtens memoriæ ſcripſit teſtamentum ſuum manu ſua propria vel forſan illud per alium de ejus mandato ſcriptum, manu ſua propria ſubſcripſit, & ante quam illud coram teſtibus publicavit agnovit aut approbavit facie ceſſit. Si tamen in iſto caſu teſtatore mortuo ejus Executor vocatus fuerit ad probandum hujuſmodi teſtamentum per teſtes, ſi idem Executor poſſit probare per duos teſtes idoneos dictum teſtamentum fuiſſe immediatè vel tam citò quod non potuit ſcribi in tempore tam angusto inter mortem teſtatoris & repertum teſtamentum post mortem teſtatoris, repertum in ciſta ſeu capſa ſerata teſtatoris in qua extra ejus ſcripta magni momenti reponere ſolebat, etſi etiam per computatores in caſu prædicto mentionato in proximo præcedenti titulo inventum & compertum fuerit teſtamentum allegatum fuiſſe ſcriptum vel ſubſcriptum manu propria teſtatoris, pronunciandum eſt pro viribus hujuſmodi teſtamenti ita ſæpiſſimè adjudicari vidi & obtinui ſaltem ſi hoc teſtamentum ſit teſtamentum inter liberos vel ad pias uſus.

Similiter

Similiter si unus testis deposuerit de conditione testamenti ex sua certa scientia & competenti intelligentia per comparationem literarum illud esse scriptum vel subscriptum manu propria testatoris, sufficiunt hæc duæ semiplenæ probationes ad pronunciandum pro viribus dicti testamenti intellige de testamento inter liberos vel ad pios usus.

Similiter etiam si duo testes deposuerint quod testator in eorum præsentijs fassus est se condidisse testamentum, licet non declaraverint contenta ejusdem, nec penes quem aut quo in loco remanebat, si etiam per comparationem compertum fuerit fuisse scriptum vel subscriptum manu propria testatoris & repertum fuerit in capsa testatoris ut supra, quamvis non statim, sed interjectis quibusdam diebus, valebit hujusmodi testamentum, saltem in causis prædictis pijs & inter liberos, & ita vidi tape adjudicatum.

TITVL. CLXVII.

De commissione pro testibus examinandis sub mutuæ vicissitudinis obtentu.

Aliquando contingit quod diversi testes Actoris seu Rei habitant extra provinciam *Cantuariensem* ita quod non possunt compelli ad comparendum coram Judicibus istius Archiepiscopi ad perhibendum testimonium quia nemo cogendus est ad comparendum coram non suo Judice, pars quæ intendit uti testimonio horum testium dicet *Domine Judex*, allego *N*, *M*, & *O*, esse parti meæ testes necessarios ad probandum contenta in libello vel cæteris propositis ex mea parte datis & quod habitant in tali Diœcesi extra pro-

vinciam *Cantuarienſem* cujus prætextu non poſſunt compelli ad comparendum in hoc judicio ad perhibendum teſtimonium in hac cauſa & offero me promptum & paratum ad faciendam in hac parte fidem juxta informationem mihi à Domino meo traditam quam credo eſſe veram & ideo peto commiſſionem decerni ſub mutuæ viciſſitudinis obtentu ac injuris ſubſidium Reverendo Patri *M*, Epiſcopo illius Diœceſi in qua teſtes habitant & *N*, cujus Vicario in ſpiritualibus generali & officiali principali conjunctim & diviſim eoſque rogandos fore in juris ut præfertur ſubſidium & ſub mutuæ viciſſitudinis obtentu ad compellendos eoſdem teſtes ad comparendum coram eo ſeu eorum altero tali die & tali loco ad perhibendum teſtimonium in hac cauſa & vices dominationis veſtræquantum in vobis eſt eiſdem committi conjunctim & diviſim ad recipiendum & examinandum teſtes hujuſmodi cum etiam requiſitione ad prorogandum dies & locum ſi fuerit neceſſarium; eoſque rogandos fore ad certificandum & tranſmittendum eorum dicta & depoſitiones ac totum eorum proceſſum in ea parte faciendum coram vobis tali die & peto Procuratorem partis adverſæ moneri ad tunc intereſſendum ſi ſua putaverit intereſſe. Tunc Iudex, decernimus ut petitur & monemus dictum procuratorem ad intereſſendum ut petitur, hic etiam nè labatur terminus probatorius ante commiſſionis tranſmiſſionem petenda & decernenda eſt prorogatio termini probatorij in ſequentem Curiam dies aſſignati ad tranſmittendum.

TITVL.

TITVL. CLXVIII.

De modo exequendi commiſſionem ſub mutua vicinitudinis obtentu.

Oncipienda eſt hujuſmodi commiſſio ad effectus reſpective in præcedenti titulo mentionatos, & præſentanda Epiſcopo ſeu Vicario illius & procedendum eſt in omnibus in præſentia partis adverſæ ſi comparuerit vel in pœnam contumaciæ ſi non comparuerit ut in titul. *De modo expediendi commiſſionem in partibus, & productione teſtium*, & quatuor titulis ſubſequentibus & hujuſmodi commiſſio certificanda eſt prout in titulo *De exhibitione hujuſmodi commiſſionis coram Judice concedente commiſſionem.* Et eſt notandum quod ſi teſtes requiſiti ad perhibendum teſtimonium & comparendum coram Domino Epiſcopo ſeu ejus Vicario, *&c.* recuſaverint comparere quod idem Epiſcopus ſeu ejus Vicarius poſſunt eos compellere & contumaces excommunicare, ſed in eorum citatione ſeu decretis compulſoriis debent mentionem facere de pendentia litis in Curia & coram judice concedente dictam commiſſionem, & quod idem Epiſcopus ſeu ejus Vicarius hoc decernit decretum æquipollens per eundem Judicem in ſubſidium juris.

TITVL. CLXIX.

Quòd omnes Executores ſunt vocandi in cauſa ſubtractionis legati.

I teſtator plures conſtituerit Executores & hi omnes probaverint teſtamentum & legatarius citaverit ſeu egerit contrà unum tantùm Executorem in cauſa legati, ille Executor quamvis ad purgandam contumaciam comparere tenetur tamen in die comparitionis ſuæ poterit allegare defunctum plures nempe tales conſtituiſſe Executores & quod omnes probarunt teſtamentum & acceptarunt in ſe onus Executionis ejuſdem quodque ſuperſtites ſunt & ideo ſe non teneri reſpondere in cauſa nec litem illam in ſe ſuſcipere niſi vocata integrâ parte hoc eſt omnibus exteris Executoribus, ſed hæc allegatio ponenda eſt ante litis conteſtationem, alias allegari non poteſt, quia Reus conteſtando litem in ſe ſuſcepit defenſionem cauſæ & renunciavit beneficio exceptionis, ſed dato quod teſtator tres vel plures Executores conſtituerit, & quod omnes probaverint teſtamentum, & poſtea mortem obierunt (uno excepto) legatarius tamen non poterit agere in cauſa legati contra Executores ſeu Adminiſtratores eorundem Executorum, ſed contra Executorum ſuperſtitem, Et ſi omnes Executores ſatis ceſſerunt ante ullam hujuſmodi litem inſtitutam legatarius tenetur agere contra Executorem ſeu Adminiſtratorem ſuperſtitis ſeu ultimo viventis Executoris, Ratio in hiſce caſibus eſt quia præſumitur

mitur bona defuncti non Administrata per exteros Executores penes ultimum viventem Executorem remansisse, Et si non remaneant, per eundem ultimum superstitem Executorem stetisse, quo minus; (quia mortuis exteris Executoribus) superstes Executor poterat contra Executores demortui pro restitutione bonorum non Administratorum coram Iudice Ecclesiastico in causa temerariæ Administrationis bonorum agere vel si nulla bona de mortui Executoris penes Executorem hujusmodi remaneant in ipsis speciebus tunc vocare hos secundos Executores ad reddendum computum de bonis primi *testatoris* quæ ad manus demortui Executoris pervenerint.

TITUL. CLXX.

De necessariâ allegatione per Executorem proponendâ ad evitandam condemnationem in legato si nulla bona præter nomina defuncti remaneant penes Executorem.

SI Executor sciens bona defuncti penes se remanentia non sufficere ad præstationem legati petiti, habet tamen nomina partim sperata partim dubia, & desperata, quam primum agitur per legato (ad lites amputandas, & expensas evitandas) producat & exhibeat judicialiter literas obligatorias sive billas dictorum debitorum sub hac forma; Ego *N*, id est, pars principalis, vel ejus legitimus Procurator animo evitandi litem redimendi injustam vexationem & futuras expensas realiter exhibeo quasdam literas obligatorias specificandas nomina creditorum, & cedo

parti

parti agenti vel suo procuratori omnem actionem pro debitis hujusmodi recuperandis & offero me promptum & paratum ad idoniè cavendum me non relaxasse nec relaxaturum debita hujusmodi ac offero & trado pro facto meo parti agenti (si sit præsens vel ad ejus usum si sit absens) literas atturnatorias nomine meo tibi factas & concessas ad agendum & recuperandum (ad solum usum & opus dicti legatarij debita hujusmodi, & etiam offero me promptum & paratum ad idoniè cavendum quid in posterum non revocabo hujusmodi literas atturnatorias, Si Actor non vult oblata recipere sed in lite procedere & in eventu litis non probaverit alia bona remansisse in manibus Executoris, Executor est absolvendus & dimittendus cum expensis factis à die quo oblatio prædicta facta fuit; & è contra si legatarius probaverit bona sufficientia aut aliqua alia præter nomina oblata, quamvis non integra ad solvendum legatum petitum remansisse penes Executorem, Executor est condemnandus non solum in legato petito, saltem quoad quantitatem bonorum penes se remanentium verum etiam in expensis totius litis.

Sed nota quod si nomina oblata per Executorem sunt sperata, Executor tenetur exponere ex bonis defuncti (si ad hoc extendunt) expensas litis in foro seculari pro dictis nominibus recuperandis, sed si bona defuncti sufficient ad persolvendas expensas perdictas in foro seculari non remanent penes Executorem non tenetur ex suis propriis has expensas errogare tamen expedit ut tempore oblationis literarum obligatoriarum perdictarum si acceptatæ fuerint per legatarium, ut Executor specificè protestetur quod bona sufficientia ad supportandum expensas dictæ litis in foro seculari non remaneant penes se.

TITVL. CLXXI.

De petitione Executoris ut legatarius ſide jubeat pro ejus indemnitate.

I teſtator ſtipulatus fuerit pro alio de ſolvendo aliquod debitum ad annos quoſdam futuros poſt ejus mortem, vel de quibuſdam conventionibus ſeu contractibus imposterum perimplendis licèt in hoc caſu Executor ejus habuerit in manibus ſuis bona ſufficientia ad præſtationem legatorum, tamen ſi dicta ſumma (pro qua ut ſupra) obligatus fuerit dictus teſtator, non fuerit ſoluta, veldictæ conventiones non fuerint impletæ ſeu obſervatæ, ita ut creditor poſſit habere actionem in foro ſeculari contradictum Executorem pro debito prædicto, vel propter non obſervatas conventiones prædictas, In iſto caſu Executor pro ejus indemnitate poterit offerre judicialitèr legatum petitum ſub hac conditione ut legatarius idoneè primò caveat de conſervando eundem Executorem indemnem quoad debita & conventiones antedictas ſaltem pro rata parte ſeu portione legati debiti & petiti, & forſan adjudicati) habitâ ratione & juſta computatione cæterorum legatorum. Et in iſto caſu ſi legatarius negaverit præmiſſa (id eſt) nullas tales ſtipulationes aut conventiones captas aut interpoſitas fuiſſe, Executor debet exhibere hujuſmodi aſſignationes & inſtrumenta & (ſi negatæ fuerint per legatarium) ſigillationem & traditionem eorundem per teſtes probare tenetur, quibus probatis ſi legatarius ad effectus prædictos ca-

vere recuſaverit, Judex non ſolet cogere Executorem ad præſtationem legatorum, dimittat tamen Executor legatum prædictum ſub conditionibus prædictis penes Regiſtrum. Tamen vidi practicatum in caſu prædicto ſufficere ſolam allegationem debitorum & conventionum prædictarum & exhibitionem in judicio eorundem inſtrumentorum deſuper confectorum cum fide juratorio ejuſdem partis de veritate eorundem, quia in his non requiritur plena & exacta probatio.

TITVL. CLXXII.

De æquali diviſione bonorum inter legatarios ſi bona teſtatoris non ſufficiant ad ſolvendum integra legata.

SOlutis debitis & funeralibus defuncti, cæteriſque expenſis ordinariis, ſi defunctus non habuerit bona ſufficientia ad ſolvendum integra legata, facienda eſt æqualis rata & porro cuilibet legatario juxta quantitatem legati. Duo tamen hic notanda ſunt; primo quod ſi bona defuncti ſufficiant ad ſolvendum omnia legata relicta in hujuſmodi teſtamento in ſpecie non tamen ad præſtationem legatorum in genere, tunc integra legata in ſpecie ſunt ſolvenda, nulla facta deductione reſpectu legatorum in genere: ſecundo quod ſi lis fuerit inſtituta per unum legatarium (cui forſan pingue legatum in genere fit donatum) contra Executorem, & Executor per ſententiam Judicis competentis fuerit condemnatus ad illud ſolvendum priuſquam cæteri legatarij (quibus legata in genere relicta ſunt)

ſunt) ullam litem inſtituerint aut petitionem fecerint pro eorum legatis, ſi poſteà dicti cæteri legatarij in genere litem inſtituerint pro eorum legatis & (dicto legato pingui in genere ſoluto) nulla alia bona remanſerint ad ſolvendum cætera legata in genere, Executor non eſt cogendus ad præſtationem hujuſmodi legatorum in genere nec ad æqualem diviſionem antedictam, ſed liberabitur beneficio plenæ adminiſtrationis & ſententia Iudicis, ſed quæ.

TITVL. CLXXIII.

De oblatione ſummæ, nomine decimarum ad evitandas lites.

SI quis fuerit citatus ad reſpondendum in cauſa decimarum, & cupit evitare condemnationem expenſarum, fiat oblatio veri valoris earundem in initio litis ante oblatum libellum, ſeu ſaltem ante litem conteſtatam in hunc modum, exhibeo Procuratorem meum pro dicto *N.* citato & facio me partem pro eodem, & animo evitandi litem & redimendi injuſtam vexationem, & futuras expenſas, realiter offero in judicio *M*, Procuratori partis agentis talem ſummam pro omnibus & ſingulis decimis per Dominum meum *N*, Actori hujuſque de jure vel conſuetudine parochiæ de *O*. debitis & ſolvendis, unacum expenſis de jure debitis & per Dominum meum taxandis; Si Actoris Procurator petierit inducias ad conſulendum Dominum ſuum, utrum velit recipere ſummam oblatam in plenam ſolutionem aut in partem, concedendæ ſunt hujuſmodi inducie in proximum vel in ſecundum

Iuridicum, juxta Iudicis arbitrium in quo caſu dimittenda vel deponenda eſt ſumma oblata apud acta penes Regiſtrarium, nè forte in poſterum dicatur hanc oblationem fuiſſe verbatim tantum & non realem. Et nota quod hæc depoſitio apud acta ex longo uſu & ſtylo omnium Curiarum habet eandem vim & eundem effectum, ac ſi ea ſumma conſignata fuiſſet & depoſita, ac proindè ac ſi omnes aliæ ſolemnitates in hoc caſu, de jure in hujuſmodi oblationibus faciendis acquiſitæ, adhibitæ & obſervatæ fuiſſent.

TITVL. CLXXIV.

De acceptatione oblationis in plenam ſolutionem, & condemnatione Rei in expenſis.

I Actor aut tempore oblationis ſummæ prædictæ, vel in die dato pro inducijs ad conſulendum, &c. acceptaverit ſummam oblatam in plenam ſolutionem, tunc petat ut offerens condemnetur in expenſis; Iudex: condemnamus & tunc poſtea ſchedulâ expenſarum Iudex hujuſmodi expenſas taxabit, ac decernet monitionem ad ſolvendum, ut ſupra in tit. *De petitione & decreto monitionis ad ſolvendum expenſas.*

TITUL:

TITVL. CLXXV.

Quod Actor poterit recuſare oblationem generalem pro omnibus decimis debitis ante datum libellum.

QUamvis Reus vocatus ad reſpondendum in cauſa ſubtractionis decimarum animo evitandi litem & futuras expenſas, ante oblatum libellum, quandam ſummam pro omnibus decimis debitis obtulerit una cum expenſis, ut in penultimo titulo continetur, & Actor ſi in die dato pro inducijs ad conſulendum, an voluerit recipere ſummam oblatam in plenam ſolutionem, recuſaverit eandem ſic recipere, & dederit libellum continentem quaſdam decimas non extendentes ad valorem ſummæ oblatæ & in lite proceſſerit & non probaverit plures ſibi deberi decimas, obtinebit ſententia pro decimis libellatis ſeu pro valore earundem per eum probato, & expenſis litis, non obſtante dicta generali oblatione pro omnibus decimis vel pro integro debito. Nam ſi diverſæ ſpecies decimarum, utpote grani, fœni, agnorum & ſimilium debitæ fuerint. Actor poterit pro quacunque harum ſpecierum inſtituere actionem ad ratam, & cum unam inſtituerit actionem non tenetur liberare Reum ab omnibus actionibus, ad evitandum igitur hujuſmodi cautelam & condemnationem, quam primum Actor dedit libellum, offerat Reus de novo ſpecificè, id eſt, talem unam pro tali decima, & talem pro tali, aut ſummam prius oblatam (ſi extendit ad valorem decimarum libellatarum) aut aliam pro decimis libellatis cum expenſis, & tunc ſi recuſata aut acceptata fuerit obla-

tio, facienda eſt expenſarum condemnatio vel abſolutio ab expenſis, ut in Tit. ſequentibus.

Sed tamen annis præteritis, contrariam tenebant ſententiam Advocati, (& aliter adjudicatum fuit,) hiſce inducti rationibus, (*viz.*) Si Reus ante oblatum libellum animo evitandi lites ac redimendi injuſtas vexationes & futuras expenſas, ſummam quandam nomine omnium decimarum debitarum obtulerit, cum expenſis (ut ſupra) & Actor habuerit tempus ad deliberandum utrum velit eandem recipere in plenam ſolutionem, ſeu potius induciis ſibi dari ad conſulendum petierit. Si in eodem die recuſaverit ſic accipere, & poſteà dederit libellum & in lite proceſſerit conando probare majorem ſibi deberi ſummam pro decimis ſubtractis, & non probaverit plures ſibi deberi decimas vel majorem ſummam nomine decimarum, quam ſummam prædictam prius oblatam ſed in lite proceſſerit uſque ad ſententiæ prolationem, quod Actor licèt recuperet ſummam oblatam & expenſas uſque in diem oblationis, tamen condemnandus eſſet in expenſis totius litis à die oblationis prædictæ.

Et notandum eſt quod ex antiquo ſtylo Curiarum facta oblatione decimarum (quamvis generali) Actor tenebatur aut recipere in plenam ſolutionem omnium decimarum vel recuſare ſic recipere. Si verò Actor recuſaverit & libellum dederit ac litem proſecutus fuerit & non probaverit majorem ſibi deberi ſummam reddit ſe in malâ fide & ideo condemnandus eſt, ut ſupra in expenſis à die oblationis.

TITUL.

TITVL. CLXXVI.

In quo caſu offerens decimas non eſt condemnandus in expenſis.

SI ſumma oblata recepta fuerit in plenam ſolutionem & recipiens petit offerentem condemnari in expenſis, ſi offerens allegaverit, & (ſi negatum fuerit ab adverſario) probaverit ſe eandem ſummam obtuliſſe ante litem motam à tempore executionis citationis, ſaltem ante diem relationis, ejuſdem & comparationis Rei, & quod Actor oblata recuſavit ſeu plus juſto deſtulit recipere ſummam oblatam; tunc offerens eſt abſolvendus ab expenſis ac actor recuſans condemnandus eſt in expenſis factis circa probationem hujuſmodi oblationis. Sed nota quod in iſto caſu non ſufficit probare ſummam fuiſſe oblatam & recuſatam ante litem motam & denuo fuiſſe oblatam in die comparationis Rei, ad excuſandum offerentem ab omni ſolutione expenſarum, quia per executionem citationis intenditur & præſumitur Actorem jam alterius eſſe ſententiæ, & interpellaſſe ac per executionem citationis requiſiviſſe ſummam oblatam, & ideo ſi non ſit denuò oblata Actori ſi conveniri poſſit alioquin apud ædes ſuas coram teſtibus vel coram miniſtro Eccleſiaſtico ut veriſimiliter actor poſſit habere notitiam hujuſmodi oblationis tempore executionis citationis vel ante diem comparationis Rei, Reus eſt in morâ & ultima mora nocet. Nam ſi Reus obtuliſſet hujuſmodi ſummam modo præmiſſo, Actor non ſalariaſſet ejus Advocatum & Procuratorem

curatorem, nec ſolviſſet feodum Procuratori & certificatori dictæ citationis. Tamen in iſto caſu moderandæ ſunt hujuſmodi expenſæ quia malitia talis qualis videtur eſſe in Actore.

TITVL. CLXXVII.

De condemnatione tam Rei partis offerentis decimam poſt datum libellum in expenſis quam Actoris recuſantis recipere in plenam ſolutionem.

SI oblatio facta fuerit poſt litem conteſtatam ſeu potius, poſtquam Judex decreverit procedendum fore ſummariè & de pleno pro omnibus decimis libellatis, & actor eandem receperit in plenam ſolutionem tunc adjudicanda eſt ſumma oblata actori per ſententiam definitivam, & offerens eſt condemnandus in expenſis factis ante hujuſmodi oblationem, unà cum feodo ſententiæ definitivæ, quia Actor (lite ut ſupra conteſtatâ) non potuit nec obtinere ſummam oblatam ſibi decerni nec Reum in expenſis condemnari niſi per Iudicis ſententiam ſeu decretum interlocutorium. Sed ſi Actor oblationem hujuſmodi in plenam ſolutionem recipere recuſaverit & proceſſerit & perſtiterit in lite, conando probare majorem deberi ſummam, ſi defecerit, eſt condemnandus in quibuſcunque expenſis factis per Reum à die oblationis, & Reus ut ſupra dicitur eſt condemnandus in expenſis factis uſque in diem oblationis unà cum feodo ſententiæ Iudicis.

TITVL.

TITVL. CLXXVIII.

De alia recuſatione oblationis factâ ante oblatum libellum in plenam ſolutionem omnium decimarum debitarum.

I Actor credit plures ſibi deberi decimas, extendentes ad majorem ſummam quam ſummam oblatam, dicat Procurator ejus in die dato pro inducijs, accepto oblationem per Reum factam & ſummam oblatam quatenus facit pro parte mea & Domini mei & quatenus facit contra, diſſentio; & proteſtor de nullitate ejuſdem & offero me promptum & paratum ad recipiendum ſummam oblatam in partem ſolutionis & non aliter, & do libellum & peto procedendum fore ſummarie & de plano. Tunc Reus poterit reaſſumere ſummam oblatam. (Sed cautius eſt durante lite ut apud acta remaneret) dicendo in actis quia actor recuſavit recipere ſummam oblatam in plenam ſolutionem, eandem reaſſumo, ſed nota quod in his oblationibus decimarum ſi diverſæ decimæ diverſorum generum debeantur, conſulendi ſunt juris periti de forma oblationis hujuſmodi decimarum (*viz*) an offerens tenetur ſpecificè declarare pro quibus decimis, ac quæ & qualis ſumma pro ijſdem ſit offerenda, nam aliqui ex Advocatis modernis ſunt iſtius ſententiæ, quod non valet (ut ſupra dicitur) generalis oblatio & quod actor poteſt recuſare ſine ſuo damno ſummam oblatam propter generalitatem oblationis, ſed ego (quod memenit) nunquam vidi hoc practicatum aut adjudicatum à

majoribus, nam per hos quadraginta annos retroactos (ſalvis quibuſdam annis nuper elapſis) oblatio hujus modi fieri ſolebat generaliter. (*viz.*) talis ſumma pro omnibus decimis, & tunc opinio practicantũ fuit quod tutius eſſet Reo offerre ſummam groſſam ſeu generalem pro omnibus decimis ut ſupra, quam particulares ſummas, nè forte offerens non offerret juſtum valorem cujuslibet particularis decimæ & ita condemnaretur in expenſis. Tamen ex antiqua praxi ſi Actor petierit ut Reus ſpecificet pro quibus decimis offerat illam generalem ſummam Reus tenebatur ſpecificare pro quibus ſaltem ſi Actor allegaverit quod intendit agere pro decimis in ſpeciè & obtinere ſententiam eaſdem in ſpecie deberi, & non pecuniam aut aliud quicquam intuitu earundem.

TITUL. CLXXIX.

In quo caſu expedit reo ſpecificare pro quibus decimis facta ſit oblatio

SI libellus fuerit datus ante oblationem decimarum & Actor in eodem petierit decimam lactis, caſeorum vel ſimilium quæ non ſunt de conſuetudine Parochiæ in ipſis ſpeciebus perſolvenda ſed certa quædam ſumma intuitu eorundem in ipſis ſpeciebus ſibi adjudicari, tunc ſi Reus obtulerit ſummam groſſam, nomine omnium decimarum & Actor eandem acceptaverit in plenam ſolutionem videtur oblationem fuiſſe factam pro decimis in ſpecie juxta petita in libello. In iſto igitur caſu fiat oblatio in hunc modum pro lacticinio vaccarum juxta conſuetudinem Parochiæ pro qualibet vacca

vacca duos denarios & pro qualibet acra depaſta per animalia ſterilia quatuor denarios juxta conſuetudinem Parochiæ & ſic de cæteris rebus pro quibus decimæ non ſunt in ſpecie perſolvendæ. Tunc Actor ſi oblationem in hunc modum factam acceptaverit agnoſcat conſuetudinem Parochiæ: Caveat igitur Actor nè hanc oblationem acceptet quamvis offeratur verus valor decimarum, nam per acceptationem oblationis agnoſcit Actor conſuetudinem Parochiæ, quemadmodum Reus per generalem oblationem pro omnibus decimis libellatis videtur recedere à conſuetudine & agnoſcere decimas deberi in ſpecie.

TITVL. CLXXX.

Quod Actor ſi oblationes particulares factæ fuerint, poterit unam recipere & litigare de reliquis.

SI oblatio fuerit facta ſpecificè pro tali & tali decima (ſpecificando decimas) Actor poterit recipere unam aut alteram ſummam oblatam & ſi lis fuerit conteſtata ante hujuſmodi oblationem petere eandem ſibi per ſententiam Judicis decerni & pro jure ſuo in ea parte pronunciari & poterit litigare pro reliqua ſumma oblata, quia verus valor vel omnes decimæ libellatæ non offeruntur, & obtinebit expenſas totius litis, ſi probaverit majorem ſummam ſibi deberi quam ſumma oblata & per eum recuſata ſeu non acceptata, (vel alias, aut plures deberi decimas,) & è contra, ſi non probaverit, condemnabitur in expenſis ut ſupra in titul. *De condemnatione tam Rei offerentis decimas*, &c.

TITVL. CLXXXI.

De alia etiam oblatione decimarum ad evitandum pœnam in Statuto.

SI Reus in litem fuerit vocatus pro decimis prædialibus utpote grani vel fœni, ſi non ſeperaverit decimam partem, nec compoſuerit cum Rectore ſeu alio jus percipiendi decimas habente, pro iſſdem offerre tenetur triplicem valorem decimarum, vel ſi Reus ſeperaverit decimas ſuas & tamen prohibuerit aut impedimento fuerit Rectori ſeu alij jus habenti in eiſdem quo minus potuit eaſdem colligere & aſportare, facienda eſt oblatio duplicis valoris decimarum, & hoc cavetur per ſtatuta, id eſt, triplex vel duplex valor in caſibus prædictis.

TITVL. CLXXXII.

De oblatione legati.

SImiliter oblatio facienda eſt in omnibus, ut oblatio in cauſa decimarum (exempli gratia) ſi ſumma centum librarum fuerit legata & tamen Executor habuerit ex bonis teſtatoris ſummam tantum decem librarum ſolvendam quam realiter offerat in judicio cum expenſis, ſi hæc oblatio recuſata fuerit ac actor non probaverit majorem deberi ſummam condemnandus eſt actor in expenſis ſcilicèt Executor ante diem oblationis, & actor à die recuſationis, ſi non probaverit majorem deberi ſummam ut in præcedenti titulo, & è contra, ſi probaverit.

TITVL.

TITVL. CLXXXIII.

De particulari ſpeciali & verbali oblatione legati.

SI legatarius cui ſupellectilia oves, boves vaccæ, aut equi vel aliud quodcunque legatum non protabile (quæ dicuntur catalla) legantur qnæ egerit contra Executorem pro hujuſmodi legatis in ſpecie, & Executor intendit ſolvere ipſa legata in ſpecie & non offerre pretium ſeu valorem earundem nè fortè de vero valore hujuſmodi contenderetur inter eum & legatarium; hujuſmodi oblatio facienda eſt in hunc modum. Ego *N.* animo evitandi litem & redimendi injuſtam vexationem & futuras expenſas offero me promptum & paratum ad deliberandum & tradendum parti Actrici talia legata (*viz.*) legata pro quibus iis eſt inſtituta, *&c.* in ædibus in quibus remanebant tempore mortis teſtatoris, vel ſi ab eodem loco fuerint remota in aliquo loco indifferenti, Iudicis arbitrio deſignando, quocunque die etiam per Iudicem conſtituendo, & offero me promptum & paratum ad ſolvendum quaſcunque expenſas de jure debitas, & per Dominum Iudicem taxandas, ſi acceptata fuerit oblatio hujuſmodi vel reculata, eo modo eſt procedendum ut in titulis *De oblatione ſumma nomine decimarum & de acceptatione oblationis*, & duobus titulis ſequentibus, hoc excepto quod in iſto caſu ſufficit verbalis oblatio ante litem motam, & prædicta oblatio eſt judicialis ante datum libellum, quia hujuſmodi legata non poſſunt realiter in judicio offerri.

Titvl. CLXXXIV.

Quod legatarius quamvis Executor obtulerit tam antè litem motam, quam judicialiter verum valorem quorundam legatorum poterit ſine damno recuſare hujuſmodi oblationem.

SI defunctus legaverit filio ſuo quædam ſupellectilia aut equum talem, aut annulum aureum (habentem inſignia patris ſui & forſan quæ defunctus ut res hæreditarias relinquere proponit filio ſuo & cupit in ſpecie habere, poteſt recuſare valorem oblatum & inſiſtere pro rebus legatis in ſpecie (ſaltem ſi extant) & ſi Executor perſiſtat in hujuſmodi lite, eſt ad reſtitutionem earundem in ſpecie cogendus, & in expenſis condemnandus, quamvis obtulit verum valorem. Et nota quod in omni ſententiâ in hoc caſu ferendâ, Iudex ſolet condemnare partem in legatis in ſpecie ſi extant, alioquin in eorum vero valore. Et etiam nota ſimiliter quod agens pro decimis poteſt ſi vult inſiſtere pro ipſis decimis in ſpecie ſi extent, & recuſare ſummam oblatam, & ita etiam in omni ſententia ferenda in tali cauſa, ſolet Iudex condemnare ſubtrahentem decimas in decimis ſi extant (nam ex hoc infertur quod ſi extant, tunc in ſpecie ſunt perſolvendæ & adjudicandæ) alioquin in vero valore.

Titvl.

TITVL. CLXXXV.

De reſtitutione in cauſa decimarum verſus terminum lapſum.

IN cauſa decimarum licèt terminus probatorius fuerit lapſus. Et nulli fuerint producti teſtes, tamen Actor ſi hoc petierit eſt reſtituendus verſus lapſum termini hujuſmodi allegando ut ſequitur. Ego allego hanc cauſam eſſe cauſam Eccleſiæ & quòd per negligentiam Domini mei non curantis producere teſtes infra terminum probatorium Eccleſia eſt enormiter læſa quare peto partem meam reſtitui verſus lapſum termini probatorij. Tunc Iudex : nos ad tuam petitionem reſtituimus verſùs lapſum termini probatorij & ad petitionem ejuſdem partis, aſſignabit novum terminum probatorium in præſentia Procuratoris partis adverſæ diſſentientis & proteſtantis de nullitate petitionis & decreti Iudicis ac allegantis hujuſmodi reſtitutionem fieri non debere referendo ſe ad jura. Sed nota quod hæc reſtitutio ſolet fieri cum Clericus & non Laicus agit pro decimis : & in caſu cum jus Eccleſiæ, id eſt, cum reus pertendit nullas omnino decimas deberi aut ſũmam quandã nomine decimarũ & non decimas in ipſa ſpecie, & non jus particulare aut privatum commodum Rectoris fuerit per Reum negatum. Tamen ſi Laicus probaverit ſe eſſe firmarium & Reus negaverit decimas Eccleſiæ (cujus eſt firmarius) ſolvi deberi, tunc Laicus eſt reſtituendus ut Rector, & vidi hanc reſtitutionem ex ſola allegatione prædicta fuiſſe in contradictorio judicio bis aut ter in unâ cauſâ obtentam ; tamen ſi reſtitutio facta fuerit

ſæpius

ſepius quam ſemel, ſolet Iudex condemnare partem petentem reſtitutionem ſecundo tempore in expenſis retardati proceſſus à die primæ reſtitutionis uſque in diem ſecundæ reſtitutionis. Ius particulare ſeu privatum commodum (de quo ſupra fit mentio) dicitur quando Laicus vel Rector in caſu prædicto non probavit quantitatem ſeu valorem decimarum petitarum, nec quod ſit Rector vel Laicus firmarius.

TITVL. CLXXXVI.

De juramento partis principalis ſuppletorio.

SI Actor non plene ſed plus quam ſemiplenè aut ad minus ſemiplenè probaverit intentionem ſuam, comparere poteſt coram Judice, ſub forma ſequenti, & ſequens præſtare juramentum (nam Procurator non poteſt hoc juramentum ſubire, quia non habet in Procuratorio generali mandatum ſpeciale ad id præſtandum,) Ego *N.* citra revocationem Procuratoriæ meæ allego me probaſſe intentionem meam in libello, *&c.* vel in tali allegatione plus quam ſemiplenè ſaltem ſemiplenè ad minus, referendo me ad acta Curiæ & ad jura, & ideo peto juramentum ſuppletorium mihi deferri, ac peto jus & juſtitiam. Tunc Procurator partis adverſæ dicet, inficior allegata hujuſmodi eſſe vera, & proteſtor de nullitate eorundem & allego hujuſmodi juramentum non eſſe deferendum, referendo me ad jura. Tunc Judex aſſignabit ad audiendam voluntatem ſuper hujuſmodi petitionem & ad informandum. Et ſi ei conſtare poſſit quod vera ſint

ſint quæ petens juramentum allegat (id eſt, intentionem eſſe plus quam ſemiplenè aut ad minus ſemiplenè probatam) tenetur deferre hujuſmodi juramentum in caſibus in quibus jura admittunt, conſule igitur peritos in quibus caſibus hoc juramentum eſt deferendum & pars præſtans hujuſmodi juramentum jurabit quod de ejus certa ſcientia, vera ſunt, ſuper quibus petit juramentum ſibi deferri.

Sed duo hic notanda ſunt, primum, quod hoc juramentum debet peti ante concluſionem in cauſa & ſi tunc non deferatur, debet iterum peti poſt concluſionem, nam in iſto caſu Judex, poteſt hoc juramentum deferre ante vel poſt concluſionem, ſecus non.

Secundo ſi pars contra quam petitur juramentum allegaverit & probaverit partem petentem juramentum ſuppletorium eſſe infamem criminoſum aut nullius reputationis vel eſtimationis tunc hujuſmodi juramentum non eſt deferendum in aliquo caſu.

TITVL. CLXXVI.

De admiſſione in forma pauperis.

ACtor ſeu Reus initio ſeu quacunque parte litis admittendus eſt in forma pauperis his obſervatis & præſtito juramento ſequente, comparuit perſonaliter N. ac citra revocationem Procuratoris ſui allegavit ſe non valere in bonis ſuis proprijs ære alieno deducto ſummam quinque librarum, & deſuper obtulit ſe promptum & paratum ad faciendam fidem, ac petijt ſe admitti in forma pauperis (quo juramento præſtito) dicet Iudex, admittimus. Sed ſi id ab adverſario petatur, tenetur ipſe pauper præſtare juramentum de

ſolvendis expenſis, & ſorte principali, ſi agitur prō legato, decimis, Procurationibus, *&c.* (nam iſta dicuntur ſortes principales) cum ad uberiores fortunas pervenerit. Et nota quod iſta admiſſio non extendit ad expenſas præteritas ſed ad futuras tantum: limita etiam quod ſi adverſa pars voluerit, ante præſtitum juramentum prædictum, allegare & offerre ſe promptum ad probandum quod pars allegans paupertatem valet in bonis ſuis propriis ultra ſummam quinque librarum eſt admittendus ad hoc probandum, & petens admitti in forma pauperis non eſt admittendus niſi allegans ſufficientiam, detecerit in probatione. In Curijs inferioribus utpote in conſiſtorio *London*, & Curijs Archidiaconorum *London*, *Middleſexiæ* & *Surriæ* quæ tenentur in civitate *London*, vel Suburbijs ejuſdem præſtari ſolet juramentum quod petens admiſſionem in forma pauperis non valet quadraginta ſolidos.

TITVL. CLXXXVIII.

De modo probandi & allegandi ſufficientiam bonorum ad impediendam admiſſionem in forma pauperis.

PArs allegans ſufficientiam bonorum debet ſpecificare dictam generalem allegationem in hunc modum, item quod Dominus *N.* habuit tempore litis inſtitutæ in hac cauſa ac in præſenti habet & poſſidet (ſeu dolo malo per fraudulentam alienationem bonorum poſt litem inceptam deſijt habere & poſſidere in bonis mobilibus, *viz.*) in ſuppellectilibus ac alijs ornamentis & rebus non neceſſarijs ad veſtitum dicti *N.* ad valorem, 10, 8 ſex ſeu quinque librarum ac in cæteris bonis utpote locationibus Cattallis & nominibus ad

valorem

lorem (ut ſupra) vel in bonis immobilibus ad annuum reddditum 5, 4, trium duarum vel unius libræ monetæ *Anglie* (nam terræ annui valoris viginti ſolidorum valet quinque libras) ac objiciens hujuſmodi poterit ſpecificare quæcunque alia bona, & deinde allegare quod apud notos & vicinos ſuos publice & communiter habetur & reputatur pro homine divite ſaltem valente in bonis ſuis propriis ſummam viginti, quindecem, librarum, ſeu quinque librarum ad minus & ponit hanc allegationem conjunctim & diviſim, *&c.* & admiſſa hac allegatione ſufficientiæ (ſi probatur) tunc petens admitti in forma pauperis eſt repellendus & in expenſis factis circa huiuſmodi motionem & probationem condemnandus, & notandum eſt quod Clericus beneficiatus ſi beneficium fuerit annui valoris quinque librarum non eſt admittendus in forma pauperis niſi probaverit ſummam paupertatem.

TITVL. *CLXXXIX.*

De modo probandi inſufficientiam bonorum.

SI petens admiſſionem in forma pauperis replicando allegationi adverſarij allegaverit & probaverit per teſtes quod ſit lapſus facultatibus, & quod deductis debitis (in quibus abnoxius eſt) non valet quinque libris, eſt admittendus in forma pauperis etiam quoad præteritas expenſas, præſtando tamen eſt juramentum ut ſupra, quod ſolvet expenſas taxatas & adjudicatas vel adjudicandas & ſortem principalem cum ad uberiores fortunas pervenerit: non habebit tamen iſte admiſſus in forma pauperis expenſas

per eum factas ratione retardati proceſſus per Actorem in probatione paupertatis, quia Actor ſi probaverit Reum fuiſſe in bonis quibuſcunque, ut ſupra dicitur ad ſummam quinque librarum & quod communiter reputatus fuit pro homine valente ad minus tantam ſummam non fuit in mala fide, & habuit probabilem cauſam ignorantiæ debitorum. Sed nota quod allegans paupertatem debet ſpecifice allegare debita, *&c.* (*viz.*) quæ & quibus debeantur ut poſſit conſtare utrum debita excedant vel extendant ad valorem bonorum.

TITVL. CXC.

De aſſignatione Advocatorum & Procuratorum tam admiſſis in forma pauperis quam alijs & refrenanda numerum Advocatorum & Procuratorum.

SI admiſſus in forma pauperis petierit à Iudice Advocatum & Procuratorem ſibi aſſignari, Iudex debet ita ad ſtatim aſſignare, qui gratis ac ſine ulla ſpe receptionis feodorum ei conſilium dabunt, conſimilis etiam aſſignatio Advocatorum & Procuratorum fieri debet ſi una pars litigantiũ ſalariavit plures Advocatos & Procuratores idque de ſenioribus & communi opinione doctiſſimis: Iudex ad petitionem alterius partis hoc allegantis & addentis quod de veriſimili ſuccumbet in cauſa ob defectum Advocatorum & Procuratorum aſſignabit ſibi unum vel alterum ex Advocatis prædictis prius ſalariatis per alteram partem quibus pars ſtatim dabit feoda ſolita. Similiter ſi Actor ſit nobilis vel egregia perſona aliquando Advocati & Procuratores

Procuratores recuſant fungi eorum officio aut patrocinio contra hujuſmodi perſonas in iſto caſu hoc allegato & fide facta per partem ſe tales Advocatos & Procuratores convenifle & eis eorum feoda obtuliſſe & quod recuſarunt eorum feoda, & conſilium dare' Judex debet dictæ parti petenti, Advocatos &, Procuratores hujuſmodi aſſignare, coſque monere & compellere ſub pœna ſuſpentionis ab eorum officio ut ſint à conſilijs cum dicta parte, quæ etiam ſtatim debet ijs ſolvere eorum feoda; ſed in caſibus prædictis licet alicui habere tres Advocatos & duos Procuratores, atque nobili & Epiſcopo ſex Advocatos & tres Procuratores de Statutis ex ſtilo Curiæ de Arcubus, ex quibus Judex (niſi ob magnum defectum aliorum Advocatorum & Procuratorum) non debet illos aſſignare parti adverſæ; ſaltem ſi remanent tres vel quatuor docti & experti Advocati & Procuratores pro parte hanc petitionem faciente ſalariandi, & nota quod licet pars quæ tot (ut ſupra) ſalariavit Advocatos & Procuratores obtinuerit victoriam in cauſa, judex tamen in taxandis expenſis non ſolet allocare feoda pro omnibus ſed pro duobus aut ad ſummum tribus Advocatis, & totidem Procuratoribus; quia aliquando litigantes datâ operâ hujuſmodi multitudinem ſalariant ad gravandum adverſarium infinitis expenſis.

TITVL. CXCI.

De expenſis retardati proceſſus.

SI Actor vel Reus propoſuerit aliquam materiam defenſivam, allegationem, exceptiones, & ſimilia & eis admiſſis habuerit terminum ad probandum per quod proceſſus ſit retardatus, quia pendente hac dilatione pars adverſa nihil potuit petere, ut fieret concluſio in cauſa; ſi proponens hujuſmodi materiam defenſivam defecerit in probatione, lapſo die probatorio, dicet pars adverſa. Allego *N*, defeciſſe in probatione allegationis per eum datæ, tali die, & quod proceſſus eſt retardatus referendo me ad acta Curiæ, & ideo peto partem prædictam condemnari in expenſis retardati proceſſus & jus & juſtitiam fieri & miniſtrari. Si hoc conſtiterit Judici, debet condemnare ut petitur, ac correctâ ſchedulâ expenſarum, expenſas taxare, & decernere monitionem ad ſolvendum ut ſupra, quoad expenſas litis, *&c.* præſtito juramento, ut ſupra (*viz.*) quod neceſſario hac occaſione tantas expoſuit expenſas. Si hæc petitio de expenſis retardati proceſſus in ſingulis cauſis petita eſſet, lites amputarentur: Nam litigatores non darent toties frivolas & dilatorias allegationes ad lites protrahendas.

TITUL

TITVL. CXCII.

De objectione contra certificatorium & de abſolutione ab injuſta excommunicatione.

Compareat injuſte excommunicatus perſonaliter vel per ejus Procuratorem, ut ſequitur. Ego *N.* exhibeo Procuratorium meum pro *M*, ac facio me partem pro eodem & objiciendo contra certificatorium alias in hac cauſa introductum, allego quod eſt fictum, falſum, fabricatum, & dolo malo ac contra rei veritatem conceptum, præſertim in eo quod mandatarius in eodem nominatus omnino non fuit executus dictum mandatum ſaltem die prætenſo & loco in mandato prædicto ſpecificatis, & quod impoſſibile fuit hoc fieri eo quod dictus *M*, toto illo die ac per triduum ſeu per biduum eundem diem præcedens & ſubſequens: abfuit ab illa Parochia in qua (ſi èt minus verè) dicitur eum fuiſſe citatum & continuo fuit per idem tempus in tali loco diſtante per centum miliaria vel per tot miliaria à dicto loco, & etiam objiciens hujuſmodi poteſt allegare abſentiam mandatarij die & loco in quibus certificatur eundem mandatarium mandatum hujuſmodi executum fuiſſe, vel quaſcunque alias cauſas ad reprobandum hujuſmodi certificatorium, utpote quod mandatarius aliam citavit perſonam, & non perſonam nominatam in mandato, & quod mandatarius ſemel tantum & non pluries illud mandatum de facto executus fuit (nam negativa juncta cum affirmativa allegatione æquè benè probari poteſt atque affirmativa, & ſic in iſto caſu, præſentia in tali loco,

loco, tali tempore probata neceſſario includit abſentiam à quocunque alio loco) & etiam fieri potuit quod mandatarius quamvis primo per errorem aliam citavit perſonam tamen poſtea Reum citavit, admiſſa hac allegatione & dato termino ad probandum, excommunicatus debet præſtare juramentum de parendo juri & ſtando mandatis Eccleſiæ, & deponere expenſas contumaciæ apud acta; ſi probaverit allegata, non ſolum reſtituendæ ſunt dictæ expenſæ contumaciæ, verum etiam pars adverſa condemnanda eſt in expenſis factis ratione objectionis hujuſmodi, & è contra ſi defecerit, eſt non ſolum in expenſis condemnandus, verum etiam expenſæ contumaciæ depoſitæ apud acta, ſunt tradendæ adverſario, & de novo pro excommunicato denuntiandus, niſi ſatisfecerit id propter quod fuit primo excommunicatus.

Sed nota quod Iudex non debet abſolvere partem objicientem contra certificatorium à dicta ſententia niſi ad cautelam ſive uſque ad diem datum ad probandum objecta (ſi fuerit excommunicatus in non ſolvendo expenſas vel ſortem principalem & facta probatione ſimpliciter,) & eſt notandum (quamvis non ſemper inſcribitur) quod eſt cauti Procuratoris, ad evitandas expenſas, & lites, aut fateri allegata hujuſmodi adverſarij quoad objecta prædicta, (ſi vera ſint) vel diſſentire & inficiari allegata & proteſtari de nullitate earundem, & petere rejici.

TITVL.

TITUL. CXCIII.

De alia objectione contra injuſtam Excommunicationem.

SI aliquis fuerit excommunicatus per relatum certificatorium quod fuit quæſitus apud ædes ſuas in tali Parochia & quia latitavit, fuit citatus per affictionem mandati Iudicis in foribus dictæ Eccleſiæ; Si excommunicatus allegaverit & probaverit ſe non habitaſſe nec familiam foviſſe in dicta Parochia per medium anni proximè præcedentis nec prætentam afflictionem prædictã audiviſſe, ſed tali loco & omni tempore hujuſmodi habitaſſe & familiam foviſſe in tali Parochia eſt abſolvendus ut ſupra & obtinebit expenſas ſuas factas circa probationem hujuſmodi allegatorum. Similitèr ſi citatio vijs & modis fuerit conceſſa ex certificatorio primariæ citationis, vel alicujus decreti originalis & perſonalis, quod *N* fuit quæſitus apud tales ædes vel in tali Parochia quæ non ſunt ædes nec Parochiæ citandi, & ſi per hujuſmodi certificatorium Iudex decreverit citationem ſeu decretum vijs & modis, & pars obtinens hujuſmodi decretum illud curaverit exequi per edictum publicum (quamvis in Eccleſia parochiali Rei & deinde per certificatorium hujuſmodi mandati curaverit partem excommunicari; datur juſta cauſa appellationis (hoc obtinui in cauſa appellationis coram judicibus de legatis,) ſed in his caſibus ſi pars virtute hujuſmodi mandati vijs & modis fuerit excommunicata poterit coram eodem Iudice de hujuſmodi nullitate & injuſta excommunicatione querelari & obtinibit, ut ſupra.

Sed nota quod iſta appellatio debet interponi non ſolum à dicta ſententia excommunicationis, ſed etiam à conceſſione decreti vijs & modis ratione dicti falſi certificatorij *(viz.)* quod fuit quæſitus apud ædes ſuas, *&c.*) Nam idem eſt decernere partem citandam vijs & modis ex certificatorio, (quod talis fuit quæſitus in loco in quo nunquam habitavit) atque nulla præcedente primaria citatione, decernere citationem vijs & modis, & decernere quenquam (niſi fuerit fugitivus & talis qui nullum habet domicilium) citandum fore per edictum publicum vijs & modis, nulla (ut ſupra dicitur) præcedente primaria citatione, non eſt dubium quin ſit juſtum gravamen.

TITVL. *CXCIV.*

Quod excommunicatus ſive pro non ſolutione expenſarum ſive ſortis principalis non eſt abſolvendus donec depoſuerit apud acta eaſdem.

SI quis fuerit excommunicatus in non ſolvendo expenſas litis vel ſortem principalem (hoc eſt rem adjudicatam, utpote, legatum vel decimas adjudicatas quamvis forſan injuſtè) non eſt abſolvendus niſi depoſuerit apud acta condemnationem, & quamprimum probaverit hujuſmodi injuſtitiam, depoſita prædicta ſunt ſibi tradenda; hoc etiam locum habet, ſi excommunicatus allegaverit ſolutionem ſortis principalis ſeu expenſarum adjudicatarum. Ratio eſt quia cùm primò fuit monitus ad ſolvendum tali die, & deinde citatus ad comparendum tali die ad dicendam cauſam quare in non ſolvendo non debe-

ret

ret excommunicari, debuiſſet eodem die comparere & allegare ſolutionem, & ita ejus contumaciam purgare. Sed hoc probato, non ſolum depoſita prædicta ſunt retradenda verum etiam injuſtè excommunicatus obtinebit ſuas expenſas factas circa hujuſmodi allegationis probationem.

TITVL. CXCV.

Quod actor poteſt procedere in cauſa licèt Reus objiceret contra certificatorium citationis quod fuit injuſtè excommunicatus in non comparendo.

QUamvis Reus omnino non citatus ad reſpondendum in tali cauſa fuerit de facto excommunicatus in non comparendo; Si excommunicatus hujuſmodi per ſe vel ejus Procuratorem comparuerit & objicerit contra certificatorium ut ſupra, ad obtinendam abſolutionem; tamen pendente termino ad probandum objecta hujuſmodi, Procurator Actoris poteſt ſi vult, in præſentia dicti Procuratoris Rei procedere in cauſa principali & dare libellum. Ratio eſt, quia non admittantur (de antiquiſſimo ſtilo curiarum ad evitandas lites infinitas) procuratoria limitata, id eſt, ad talem effectum tantum, ſed quilibet Procurator comparens tenetur exhibere Procuratorium generale (in omnibus cauſis motis vel movendis, ut ſic ſimul procedi poſſit tam quoad cauſam principalem quam quoad objectionem contra certificatorium. Sed ſi objiciens objecta probaverit habebit expenſas, ut in titul. *De objectione contra certificatorium*, ſecus ſi defecerit.

Titvl. CXCVI.

Quod femina ſit ſequeſtranda in cauſa matrimoniali, & de petitione ejuſdem.

SI Actor perſonaliter fecerit fidem quod femina contra quam agit, remanet cum ſuis parentibus vel conſanguineis vel amicis qui admodum adverſantur matrimonio allegato & quod dicta *N.* non gaudet liberis ſuis habenis ita ut non auſa ſit veritatem in hac cauſa fateri, & ideò petierit eam ſequeſtrandam fore decerni in locum aliquem indifferentem, Iudex debet eam ſequeſtrare ſumptibus petentis hujuſmodi ſequeſtrationem per quoſdam dies ſuo arbitrio deſignandos, ante ejus examinationem ſuper poſitionibus libelli vel alterius materiæ Actoris; & ſi ita viſum fuerit Iudici ex cauſa emergente, ex reſponſis rei, vel probationibus, cuſtodiri decernet eam in ſequeſtro durante lite, & licitum erit parti actrici vel ejus Procuratori debito tempore conuenire puellam ſequeſtratam, & ei legere articulos ſuper quibus examinabitur & eam admonere, ut reſpondendo, veritatem dicat, & devitet perjurium (hoc eſt cutiſſimum nam his diebus cum relaxantur à ſequeſtro, convolare ſolent ad ſecundas nuptias lite pendente) & nota quod ſæpe decernitur iſta ſequeſtratio per ſolum juramentum Procuratoris de credulitate allegando ut ſupra, & nota quod Iudex poteſt & ſolet juramento onerare ſequeſtrandam judicialiter, cum ipſa ſit producta ante quod fuerit ſequeſtrata de fideliter reſpondendo libello vel materiæ, &c. non tamen examinabitur donec ſubi-

verit

verit ſequeſtrum. Solet etiam Iudex, ſi hoc ab eò petatur ex ſuper abundanti inhibere feminæ: nè lite pendente (ut in in citatione ordinaria in cauſa matrimoniali) aliunde matrimonium contrahat & ſi de facto contraxerit, quod illud in facie Eccleſiæ ſolemnizari non procuret.

TITVL. CXCVII.

De alia ſequeſtratione mulieris in cauſa Matrimoniali.

SI mulier contra quam agitur in cauſa matrimoniali non obſtante pendentia litis & inhibitione quod lite pendente non convolaret ad alias nuptias, matrimonium ſolemnizaverit vel matrimonium contraxerit cum alio, hoc allegato, & probato eſt ſequeſtranda ſumptibus petentis, lite pendente, & etiam tam ipſa quam vir ille (ſi notitiam habuerit dictæ pendentiæ litis) cum quo matrimonium hujuſmodi contraxerit, ſunt arbitrio Iudicis puniendi & publicè corrigendi.

TITVL. CXCVI II.

De intimatione & inhibitione generali in cauſa Matrimoniali.

QUamvis in ſupradicto titulo dicitur fœminam ſi (lite pendente & inhibitione in cauſa non obſtante) convolaverit ad alia vota matrimonialia eſſe ſequeſtrandam lite pendente; tamen dicunt & tenent quidam docti & ita adjudicari novi & obtinui, quod ſi vir qui ſolemnizavit matrimonium cum dicta fœmina non fuit ſcitolus hujuſmodi inhibitionis vel litis pendentiæ, ſed fuit in bona fide, (id eſt, ſolemnizaverit matrimonium nihil ſciens aut prudens de lite vel inhibitione prædicta, quod in iſto caſu propter delictum mulieris ille non ſit puniendus, (id eſt,) ejus uxor non eſt ab eo ſequeſtranda) ad evitandum igitur vujuſmodi dolum (qui ſæpiſſimè hiſce caſibus contingit) quamprimum citatio & inhibitio ſit Executa contra mulierem, curet Actor ut intimatio & inhibitio decernatur in genere contra omnes & ſingulas perſonas primo intimando talem cauſam inter tales perſonas pendere coram tali Iudice, deinde intimande eiſdem nè (pendente lite) quicquam faciant aut attemptent in præjudicium pendentiæ litis prædictæ, & ſiant hujuſmodi intimatio & inhibitio per decretum vijs & modis & publicentur in Eccleſia parochiali ſolita habitationis dictæ mulieris tempore divinorum, & tunc in iſto caſu ſi quis contraxerit matrimonium cum dicta Rea, non poteſt prætendere ignorantiam ejuſdem dictæ litis, nam ſcientia præſumitur, & non eſt puniendus ſolum ut contemptor, ſed mulier eſt ſequeſtranda ut in titul: prædicto & hæc intimatio & inhibitio poſſunt exequi tempore quo primaria citatio in cauſa matrimoniali executa fuit vel poſtea ante relationem ejuſdem.

TITVL

Titvl. CXCIX.

De puniendis perſonis ſolemnizantibus vel contrahentibus matrimonium clandeſtinum lite pendente ac contra inhibitionem Iudicis.

QUotidianum eſt quod quamprimùm agitur in cauſa matrimoniali ſi Reus ſive mulier ſive vir credit agentem poſſe probare contractum allegatum, ſaltem ita plenè, quod ſi aliud matrimonium non ſit ſolemnizatum vel contractum Actor obtinebit in cauſa, Reus non obſtante litis pendentia & inhibitione Judicis aliunde contrahere ſolet matrimonium illudq; e etiam ſolemnizari procurare, his rationibus ſequentibus inductus. Primo quod credit ejus adverſarium nolle (ſaltem volenter) obtinere ſententiam adjudicatoriam pro mliere (ſua ſententia) defiorata vel ab alio cognita, & ex eo velle facilius cauſam componere vel à lite deſiſtere. Secundò quod de veriſimili Iudex non vult ex officio ſuo nullo ſe inſtigante, aut ejus officium promovente, procedere contra contemptorem hujuſmodi. Tertiò quod licèt Actor non vult componere cauſam tamen Reus poſſit ita protrahere litem, aut per frivolas allegationes, & exceptiones, aut per appellationes, ut interim aut mors faciat finem cauſæ, aut regia generalis condonatio punitionem contemptus aboleat, his igitur omnibus obviabit Iudex, & ut ea nè in poſterum (ſaltem tam frequentèr) committantur curabit, ſi immediatè poſtquam poſſit ei conſtare vel de eo notitiam habuerit de hujuſmodi contemptu, proceſſerit contra hujuſmodi contemptores, nullo habito reſpectu nec ad probationes adverſarij nec ad perſonas contemnentes,

temnentes, ſed ſolummodo ad ipſum contemptum nam contemptus juris & Iudicis non eſt minor neque major ſi probatus vel non probatus fuerit contractus allegatus; evitabit etiam Iudex hos quotidianos contemptus ſi in interrogatorijs quæ miniſtrabit contra hos contemptores interroget, utrum aliquis Advocatus vel Procurator ſeu Procuratoris Clericus, vel aliquis alius præſertim Curiæ ſuæ miniſter dederit conſilium ut hujuſmodi fieret matrimonij ſolemnizatio vel contractus, & ſi aliquis Advocatus vel Procurator fuerit in hac parte juſte ſuſpectus (juſta enim eſt ſuſpitio ſi per confeſſionem proprij clientuli hoc appareat) ut ſuſpendatur ab officio ſuo donec de hac ſuſpitione ſe legitime purgaverit & ſi convictus fuerit ut ſuſpendatur per annum vel durante Iudicis arbitrio.

Titvl. CC.

Quod Matrimonium contractum vel ſolemnizatum lite pendente, non gaudeat eiſdem privilegijs quibus matrimonium bona fide ſolemnizatum.

Licet omnis contractus matrimonialis quem quis prætendit ad diſſolvendum matrimonium alias bona fide ſolemnizatum & conſummatum & diuturna cohabitatione confirmatum deberet probari per duos ad minus teſtes omni exceptione majores, tamen hoc ſingulare privilegium indultum non eſt conceſſum perſonis mala fide, (id eſt, pendente lite & contra inhibitionem Iudicis) clandeſtinè matrimonium ſolemnizantibus nam ſi hoc permiſſum & indultum eſſet vel jura prædicta locum haberent

derent in his clandestinis matrimonijs, justa causa daretur personis litigantibus contrahere etiam & solemnizare matrimonium (lite pendente) cum post publicatas attestationes sui adversarij intelligant ferri debere sententiam pro contractu allegato si non convolaverint ad secundas nuptias, & hoc est quotidianum. Sed jura etiam prædicta in his clandestinis matrimonijs locum habere, multi Advocati & Iudices tenuerunt his annis posterioribus, sed contra hanc opinionem, (*viz.*) quod matrimonium solemnizatum pendente lite non gaudeat ijsdem privilegijs quibus matrimonium bona fide solemnizatum, ad triginta octo annos elapsos, Iudices quidam communi omnium sententia doctissimi & Reverendi Patres ex mea certa scientia (quia interfui & audivi in causis gravissimis & inter egregias personas) tulerunt sententias, quorum Iudicum unus cum quam sæpissimè audivisset eruditissimos quosdam Advocatos (numero ad minus octo) hinc inde solatiatos de hac juris quæstione, (*viz.*) utrum matrimonium solemnizatum pendente lite & contra inhibitionem Iudicis gauderet ipsis & ejsdem privilegijs atque matrimonium bona fide & ante ullam litem institutam contractum) disputantes, ac statueret sententiam definitivam ferre in causa haberetque utrasque sententias in manibus suis (hoc est tam Actoris quam Rei sententiam) percontatus est Advocatum præ reliquis eruditissimum partis quæ pendente lite solemnizavit matrimonium ut sincere (prout coram Iudice altissimo) responderet, publicè diceret quam dictarum sententiarum ille advocatus, si Iudex in ea causa esset, pronuntiare voluit, qui Advocatus paululum ut (videbatur quid responderet dubitans tandem respondebat quod si hoc secundum matrimonium solemnizatum non fuisset sententiam ipse pro Actore merito tulisset. id est, pro matrimonio allegato seu libellato pronuntiasset. Tunc

illico dicit Judex antedictus, approbo Domine Doct. ſententiam tuam & cum ita ſit qua conſcientia qua ratione commoverer habere rationem hujus clandeſtini & furtivi (ut ipſum nuncupare placuit) matrimonij & contra meam conſcientiam ferre ſententiam pro eodem prædicto matrimonio, & ſtatim rejecta illa ſententia (viz. ſententia porrecta per ſolemnizantem matrimonium lite pendente) tulit ſententiam pro actore, caſſando & pro nullo declarando illud ſecundum matrimonium. Sed de hac quæſtione conſule peritiſſios Iudices & Advocatos certè ſi privilegium juſti legitimique matrimonij his nuptijs clandeſtinis jura negarent non toties litigantes lite pendente, & contra Iudicis inhibitionem convolarent ad ſecundas nuptias.

TITVL. CCI.

De ſequeſtratione fructuum beneficij pendente lite, ſive de titulo beneficij, ſive de jure decimarum.

SI litigatur de beneficio (*viz.*) an talis vel talis ſit Rector vel Vicarius tunc Procurator ſive Actoris ſive Rei, poteſt in hunc modum allegare, allego quod pendente lite decimæ & fructus beneficij litigioſi diſſipantur; & quod veriſimilitèr timetur nè convolet ad arma circa collectionem decimarum hujuſmodi, & quod hujuſmodi beneficium eſt inofficiatum ratione litis hujuſmodi. Quare ad evitandas cauſas hujuſmodi peto fructus hujuſmodi beneficij ſequeſtrandos fore decerni durante pendentia litis & ſequeſtrum cõmitti aliquibus perſonis indifferentibus. Tunc Iudex ſi ex actis conſtiterit utroſque, id eſt, tam Reum quam Actorem fuiſſe inſtitutos ad beneficium controverſum licèt non conſtiterit ſibi cui verum jus competit vel ſi

lata

lata fuerit ſententia pro jure unius & contra jus alterius licèt ab eadem ſententia appellatum) vel ſi contenditur inter duos Rectores ad quem decimæ talis fundi ſpectant. Iudex poterit ex cauſis prædictis decernere ſequeſtrationem prædictam, & committere ſequeſtrum gardianis ſeu aliquibus perſonis dictæ Parochiæ (interpoſitâ prius ab ijs cautione idonea de colligendis decimis hujuſmodi & de fideliter cuſtodiendo eaſdem ad uſum jus habentis, & ad reddendum computum de collectis cum requiſiti fuerint) interpoſita hac ſequeſtratione Iudex ſolet conſtituere miniſtrum ad deſerviendum curæ (pendente lite prædicta) & mandare ſequeſtratoribus ad præſtandum ei ſalarium per Iudicem aſſignandum ex dictis fructibus, Iſtam ſequeſtrationem curabunt ſequeſtratores publicari in Eccleſia Parochiali tempore divinorum ut Parochiani habeant notitiam ejuſdem.

Et nota quod hæc petitio ſolet fieri per illam partem quæ non eſt in poſſeſſione beneficij, ſed hoc non obſtat, quia & ipſa pars poſſidens poteſt etiam illud ſequeſtrum petere ex cauſis prædictis. Et nota quod finita hac lite ſequeſtratio eſt relaxanda & fructus collecti ſunt victori reſtituendi & ſi ſequeſtratores eos ſolvere recuſaverint vocandi ſunt ad reddendum computum de receptis hujuſmodi & ita per cenſuras Eccleſiaſticas cogendi ad præſtationem receptorum ſi in ipſis ſpecibus maneant, ſi non, tunc veri valoris eorundem, & ſi per frivolas dilationes & forſan appellationes plus juſto diſtulerint litem & non redderint computum, poteſt agi contra eos in foro ſeculari pro foriſfactura cautionis interpoſitæ tempore conceſſionis ſequeſtrationis ſi Iudici placuerit coram quo interpoſita fuit cautio. Qui Iudex dabet parti gravatæ & literas obligatorias & atturnatorias ad agendum pro pœna & recuperanda pœnam ſtipulatam ad uſum partis gravatæ.

TITVL. CCII.

De modo revocandi errorem in nomine ſeu cognomine Actoris ſeu Rei vel cujuſcunque verbi per vitium ſcriptoris inſerti in libello vel aliquibus alijs propoſitis.

I error in nomine vel cognomine Actoris vel Rei fuerit ex ipſo proceſſu in cauſa apparens, ſi error fuerit in quocunque calculo ſcribendo centum vel è contra cum viginti ſcribi debuiſſet ſi in nomine Eccleſiæ pro qua contenditur inter duos Clericos, vel pro cujus decimis controvertitur vel in quocunque alio (dummodo ut præfertur) error hujuſmodi ex ipſo proceſſu & cæteris actis in cauſa habitis conſtare poſſit, Procurator allegabit ut ſequitur, allego quod per vitium ſcribentis libellum vel ſaltem talem materiam aut allegationem ex parte mea datam, hoc nomen (*Johannes*) vel hoc vocabulum (*Rector*) nominando verbum vel ſententiam in quo erratum eſt, inſcriptum & inſertum eſt in tali articulo ſive poſitione dicti libelli vel materiæ vel allegationis & in tali linea ejuſdem (à capite vel calce computandam) ubi in rei veritate hoc verbum ſeu nomen (*Thomas*) vel hoc vocabulum ſeu hæc verba inſeri & inſcribi debuiſſent prout ex proceſſu & cæteris actis Judicialibus in hac cauſa habitis ad quæ me refero) liquet & apparet. Quare ad omnem iuris effectum hujuſmodi errorem revoco & ſubduco atque pro revocato & ſubducto haberi volo ac peto ac loco dicti verbi ſeu nominis (*Johannes*) vel dictarum dictionum, &c.

inſeri

inferi peto hoc verbum (*Thomæ*) vel hoc verbum (*Vicarius*) & ſic de exteris verbis erratis, Iudex, decernimus ut petitur.

Licèt hoc decretum Iudicis de errore revocando interponi ſolet & poſſit valet tamen revocatio & ſubductio per Procuratorem tantum facta, ſi vitium ſeu error ſcriptoris ſit in proceſſu ut prædicitur apparens.

TITVL. CCIII.

De revocatione confeſſionis judicialis partis principalis ſeu Procuratoris etiam acceptatæ per adverſarium.

SI pars principalis per errorem quicquam in reſponſis ſuis perſonalibus confeſſa fuerit, tenetur perſonalitèr comparere coram Iudice & hujuſmodi errorem revocare (nam Procurator in generali Procuratorio ad lites non habet ſpeciale mandatum ad hujuſmodi errorem revocandum, poteſt tamen pars ad hujuſmodi effectus concedere Procuratori mandatum ſpeciale, quæ pars vel Procurator comparendo coram Iudice in præſentia Procuratoris partis adverſæ dicet ut ſequitur. Ego *N*, primò & ante omnia ſubduco & ad omnem juris effectum revoco confeſſionem ſeu reſponſa mea tali die facta ad talem articulum libelli vel materiæ, *&c.* & hujuſmodi reſponſa mea pro ſubductis & revocatis haberi volo & peto. Et docendo de errore hujuſmodi & rem vel veritatem ſe alitèr habere ad omnem juris effectum allego hujuſmodi confeſſionem ſeu reſponſa mea emanaſſe per errorem manifeſtam & veritatem ſe alitèr habere (exempli gratia)

licèt in reſponſis meis perſonalibus prædictis reſpond quod credebam *M.* fuiſſe annis & menſibus libellatis vel tali anno firmarium Rectoriæ, pro cujus decimis agitur, vel quod habui tali anno octo acras hordei cum in Rei veritate habui tantum quatuor & forſan nihil omnino hordei & tamen in Rei veritate non fuit tunc firmarius ejuſdem Rectoriæ quia ante annos libellatos (*viz.*) talibus anno die, & menſe, dictus *M.* Actor vendidit, tranſtulit, ſeu alienavit totum & omne jus, titulum & intereſſe ſua in decimis prædictis, cuidam *D.* cujus prætextu idem *D*, & non dictus *M.* fuit dictis annis confeſſatis verus & legitimus firmarius dictæ Eccleſiæ, ac omnium & ſingularium decimarum quarumcunque ad eandem qualitercunque ſpectantium, & quod præmiſſa fuerunt mihi incognita tempore emanationis dictæ erroneæ confeſſionis. Si hujuſmodi error fuit ſive per legitimas probationes ſive per confeſſionem partis adverſæ probatus, tunc petat pars ſeu Procurator hujuſmodi reſponſa erronea per Iudicis decretum revocari præſertim ſi reſponſa prædicta fuerint acceptata per adverſarium priuſquam fuerint revocata; Sed ego exiſtimo quod etiam in iſto caſu (id eſt, ſi reſponſa ſint acceptata) valet hujuſmodi revocatio quamvis Iudex non interpoſuerit ſuum decretum, quia in eo quod probatur rem & veritatem aliter ſe habere, pars adverſa non poteſt aliquod commodum reportare ex dicta erroneâ confeſſione etiam acceptatâ.

TITVL

TITVL. CCIV.

De petitione Procuratoris ſi adverſarius non plenè reſponderit alicui poſitioni libelli vel materiæ.

ALlego *N.* non plenè reſpondiſſe tali poſitioni vel talibus poſitionibus referendo me ad reſponſa hujuſmodi & dictas poſitiones & ad jura; & ideò peto partem adverſam vocandam forè decerni ad talem diem ad plenè reſpondendum dictis poſitionibus. Tunc Iudex ſi ita allegans habuerit in judicio reſponſa partis & poſitiones libelli vel materiæ, quibus reſpondebat, ità ut conſtare poſſit ad ſtatim Iudici non eſſe plenè reſponſum decernet partem vocandam ut petitur alioquin poteſt aſſignare ad audiendum partem in proximum; & tunc (receptis informationibus facti & juris) decernere vel rejicere petita; Et ſi Iudex decreverit pro plenioribus reſponſis ſtatuendus eſt dies citrà quem debet plenè reſpondere, & decernenda eſt citatio ad comparendum tali die & ſeipſum excommunicari viſurum caſu quo non plenè reſponderit; & ſi ante diem conſtitutam non reſponderit nec in die ad quem citatus fuerit comparuerit, eſt excommunicandus: ſed ſi pars ſic citata comparuerit, nullam tamen allegaverit cauſam ſufficientem ob quam non reſponderit non eſt de novo jurandus ad reſpondendum ſed monendus, jubendus & cogendus eſt ad plenè reſpondendum ut ſupra, virtute juramenti alias præſtiti, ante proximam Curiam ſub pœna declarationis pro confeſſo, vel ad comparendum in proximum ad videndum ſe pro confeſſo declarari & pronuntiari.

TITVL.

TITVL. CCV.

De pronuntiatione pro confeſſo ſi pars principalis recuſat plenè reſpondere, vel non plenè reſpondit.

I pars principalis producta ſuper libello vel aliqua alia materia & examinata, non reſponderit plenè, vocanda & monenda eſt ut ſupra, plenè ad reſpondendum; & tunc ſi plenè non reſponderit, denuo eſt vocanda ad comparendum perſonaliter tali die ad plenè reſpondendum: ſed ſi placet Iudici poteſt hoc quod ſequitur decernere in primo die quo decreverit partem vocandam eſſe ad plenè reſpondendum ut ſupra, virtute juramenti alias præſtiti, & ſi tunc comparuerit eſt ad petitionem partis petentis reſponſa pleniora per Iudicem interroganda, monenda, & jubenda ad plenè reſpondendum ad ſtatim, ſub pœna declarationis pro confeſſo, & tunc ſi non reſponderit, dicet Iudex, quia *N.* præſens in judicio interrogatus, juſſus & monitus ad plenè reſpondendum non curaverit plenè reſpondere, pronuntiamus ipſum contumacem & in pœnam contumaciæ ſuæ hujuſmodi ad petitionem *M.* declaramus eum pro confeſſo ſuper his quibus non plenè reſponſum eſt, id tutius eſt ut Iudex non pronuntiaret ita generaliter ſuper his ſed ſuper tali articulo vel tali parte articuli.

TITULI

TITVL. CCVI.

De modo procedendi tam contra partem principalem recusantem subire juramentum ad respondendum positionibus libelli vel alia materiæ quam contra ejus Procuratorem respondere. etiam recusantem.

I pars principalis recusaverit subire juramentum de respondendo positionibus libelli vel cujuscunq; materiæ cui de jure teneatur respondere vel frivolas aliquas causas allegaverit ob quas hoc juramentum subire non teneatur; non est pronunciandus pro confesso ut supra, quamvis fuerit sæpius monita, rogata, & jussa ad præstandum juramentum, sed est propter ejus contumaciam excommunicanda, denunciandus Regiæ Majestati pro excommunicata significanda, incarceranda, & ibidem detinenda donec subiverit hujusmodi juramentum. Similiter in causis plenarijs, Procurator habens ex assignatione Judicis ad respondendum libello, si recusaverit seu plus justo distulerit respondere & litem contestari negative vel affirmative, est monendus ad respondendum, & si tunc non responderit est excommunicandus, & non pronuntiandus pro confesso, nam hæc pronunciatio pro confesso non habet locum (saltem in casibus instantiarum) nisi pars seu Procurator fuit primò juratus de respondendo, (quanquam novi accusatum de hæresi & articulis objectis respondere recusantem pronunciatum fuisse pro confesso) & ulterius nota quod simpliciter (ut in principio præcedentis tituli) est petendum & procedendum contra Procuratorem juratum ad respondendum positionibus libelli vel cujuscunq; alterius materiæ, & non curantem omnino respondere, vel non plene respondentem.

Titul. CCVII.

De Petitione Procuratoris ſi teſtes adverſarij non plenè reſponderint interrogatorijs ex parte eijuſdem Procuratoris miniſtratis.

PUblicatis atteſtationibus teſtium tui adverſarij, ſi hujuſmodi teſtes non plenè reſponderint alicui interrogatorio per te contra eoſdem miniſtrato, vel forſan teſtes hujuſmodi, tempore eorũ examinationis ſuper interrogatoriis per te ut præfertur miniſtratis, recuſaverint reſpondere eiſdem vel reſponderint ſe non teneri talibus interrogatorijs reſpondere. Dicat Procurator (hujuſmodi interrogatoria miniſtrans) ego allego talem teſtem ſeu tales teſtes ex parte adverſarij utcunque productos non plenè vel omnino non reſpondiſſe talibus interrogatorijs, per me miniſtratis, referendo me ad reſponſa hujuſmodi, ad dicta interrogatoria & ad jura, unde peto eos vocandos fore decerni ad plenè reſpondendum eiſdem. Tunc Iudex ſi fuerit informatus non eſſe plenè reſponſum & quod interrogatoria ſunt pertinentia ad cauſam ac talia quibus teſtes tenentur reſpondere, decernat ut petitur. Vel ſi non fuerit in ea parte informatus aſſignet ad audiendam ejus voluntatem in proximum juridicum. Si verò recepta informatione conſtiterit reſponſa prædicta non eſſe plena, decernet pro plenioribus, ſecus rejiciet petitionem aut tacite procedendo ad alia huic petitioni contraria, vel expreſſe, nè iterum hæc petitio repetatur ante interpoſitum decretum hujuſmodi; dicat Procurator adverſarij inficior allegata eſſe vera & allego petita hujuſmodi fieri non debere, & ſi Iudex petita decreverit, diſſentiat, ut ſi injuſta ſint, ab eiſdem poſſit appellare.

TITVL. CCVIII.

De aſſignatione ſeu datione curatorum ad lites minori ſeptem annis.

SI legatum ſit relictum minori ſeptem annis tunc pater ſive proximus conſanguineus hujuſmodi minoris adiit Iudicem coram quo incendat hanc cauſam legati proſequi & allegabit talem defunctum condidiſſe teſtamentum & ejuidem teſtamenti conſtituiſſe Executorem & quod legavit *B*: ejus filio in minori ætate, id eſt, infra ſeptimum ætatis annum quædam legata & quod ratione hujuſmodi ætatis dictus minor non habet perſonam agendi aut ſtandi in judicio pro recuperatione legati hujuſmodi & Iudicis officium in ea parte implorabit petetque curatores ad lites dari & aſſignari dicto minori ad agendum contra hujuſmodi Executorem pro legato antedicto. Tunc Iudex ſolet aſſignare dictum patrem vel conſanguineum ac notum vel plures ex Procuratoribus ſuæ Curiæ conjunctim & divisim in curatores ad lites dicto minori ſeptem annis & aſſignare poteſt curatores non petentibus minoribus, ſecus minoribus excedentibus ſeptem annis.

TITVL. CCIX.

De aſſignatione curatorum minori ultra ætatem ſeptem annorum.

AGendum & allegandum eſt ut ſupra in proximo præcedenti titulo (hoc excepto) quod minor ſi exceſſit ſeptimum ætatis annum tenetur perſonaliter comparere coram Iudice & allegare & petere ut prius, alioquin non valet hujuſmodi aſſignatio curatorum & obſtet poteſt contra hujuſmodi curatorem quod non ſit legitimus curator ſeu legitimè in curatorem datus.

TITVL. CCX.

De aſſignatione curatorum vigore commiſſionis.

SI minor ultra ſeptem annos habitaverit in partibus à loco judicij remotis, ita quod non ſolum ſine magnis expenſis verum etiam periculo minoris commodè ad locum Iudicij adduci queat, Iudex ſolet ad petitionem patris vel proximi conſanguinei dicti minoris allegantis ut ſupra, & adductus per diſtantiam loci & diſcrimen itineris concedere commiſſionem ad partes aliquibus viris in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutis & proximis vicinis dicto minori ad ſumptus ut profertur parcendos, vel poteſt Iudex committere vices ſuas ordinario illius loci niſi habitaverit longè à loco

loco quo verſatur minor, ad aſſignandum curatores hujuſmodi & coram hujuſmodi commiſſarijs, ſeu commiſſario, comparebit dictus minor ac allegabit ut in titulo de aſſignatione Curatorum ad lites minori ſeptem annis, & commiſſarius ad petitionem minoris aſſignabit curatores ut ſupra, deinde relato certificatorio judici concedenti commiſſionem prædictam de aſsignatione curatoris, Curator poteſt obtinere citationem nomine ſuo Curatorio contra Executorem in cauſa ſubtractionis legati, & valet hæc aſsignatio.

TITVL. CCXI.

De conſtitutione Procuratorij per minorem ad petendum curatores aſſignari.

MOderni juris conſulti tenent quod minor ultra tamen ſeptem annos poteſt conſtituere ſpecialem Procuratorem ad petendum curatores ſibi dari & quod valet hujuſmodi Procuratorium & aſsignatio curatoris ad petitionem dicti Procuratoris; controverſum fuit tamen in quadam cauſa alicujus momenti utrum hujusmodi Procuratorium ac conſtitutio Procuratoris de jure valebat ſed adjudicatum fuit valuiſſe & ita etiam in his caſibus practicatur, retroactis tamen temporibus hujuſmodi procuratoria & aſsignatio curatorum vigore ejuſdem non fuerint in uſu.

Titvl. CCXI.

De forma concipiendi libellum & ſcribendi actum poſt datum curatorem.

IN exordio ſeu ut dicunt præambulo cujuſcunque libelli ita deſcribitur ſeu narratur cauſa, parsprobi viri *N* Curatoris ad lites *M.* minotis legitimè aſsignati, dico allego & in his ſcriptis in jure propono, *&c.* ut in cæteris libellis ordinarijs & poſt quam communes & uſuales articuli libellorum in cauſis legatorum ſcripti ſint, particularis & ſpecialis articulus ſcribendus eſt, *(viz.)* quod dictus *N.* fuit & eſt in curatorem ad lites dicto *M.* minori legitimè aſsignatus & datus pro ut ex actis hujus Curiæ, ad quæ ſe refert pars iſta, liquet, in deſcriptione verò omnium actorum in hac cauſa expedienda, primò nomen curatoris ſcribendum eſt, deinde nomen minoris, tertio nomen rei, hic admonendus eſt curator ut quamvis ut ſupra dicitur aſsignatio curatorum per commiſſarios in partibus vigore commiſsionis tranſmittenda ſit judici concedenti commiſsionem, tamen quia hujuſmodi commiſsio introducta & exhibita fuit in abſentia partis adverſæ, curet eandem ex ſuperabundanti exhibere (in ſubſidium probationis contentorum in libello) tam in præſentia partis reæ quam ante concluſionem in cauſa.

TITVL. CCXII.

De ſolutione legati curatori factâ.

I Executor ſolverit curatori legitimo legatum debitum minori, liberatur ab ulteriori ſolutione ejuſdem, minori, cum ad legitimam ætatem pervenerit, quamvis curator legatum hujuſmodi non ſolverit minori, quia forſan non ſit ſolvendo, ratio eſt quia Executor ſolvebat hoc legatum interveniente Iudicis decreto, id eſt, quia Iudex conſtituit talem curatorem ad agendum & recuperandum legatum hujuſmodi: caveat igitur Iudex quem conſtituit in curatorem, admonendus tamen eſt Executor ad evitandum debitum quod oriri poſſit de hac queſtione (*viz.*) utrum liberetur à ſolutione legati minori cùm ad legitimam pervenerit ætatem per ſolutionem ejuſdem curatori, ut non ſolvat hoc legatum priuſquam dictus curator inſtituat contra eum actionem nomine curatorio pro legato hujuſmodi, qua actione inſtituta & executore citato, afferat legatum judicialiter illudque dimittat apud acta Iudicis & tunc liberatur Executor & Iudex oneratur, in iſto caſu Iudex non ſolet nec tenetur tradere curatori legatum oblatum, ad uſum minoris, niſi primò ædita cautione per curatorem idonea pro Judicis & Executoris in ea parte indemnitate & de ſolvendo illud minori cum ad legitimam ætatem pervenerit.

TITVL.

Titvl. CCXIII.

De cautione petenda per Procuratorem aſſignatum in curatorem pro ejus indemnitate.

Liquando contingit quod in cauſa curatorio nomine pro legatis inſtitutis, ſententia ferenda eſt contra curatorem, præſertim ſi Executor allegaverit & probaverit inſufficientiam bonorum ad ſolutionem legati, in quo caſu curator, id eſt, Procurator & non pupillus ſive minor eſt condemnandus in expenſis. Caveat igitur Procurator ut habeat ſecuritatem idoneam pro ejus liberatione & indemnitate ab hujuſmodi expenſis, caſu quo condemnetur in eiſdem & ſuccumbat in cauſa, Nam quamvis Judex (ut ſupra dicitur) aſsignaverit patrem vel conſanguineum minoris in curatorem una cum aliquo ſuæ Curiæ procuratore, tamen omnia geri & expediri ſolent nomine iſtius Procuratoris & non curatoris.

Titvl.

TITVL. CCXIV.

In quo caſu nec Curator ad lites nec legatarius condemnandus eſt in expenſis & in quo caſu ſit condemnandus in expenſis.

SI Curator vel legatarius probaverit defunctum teſtamentum condidiſſe in quo legatum petitum continetur & Executorem hujuſmodi teſtamentum probaſſe & legatum petitum non eſſe ſolutum, licet Executor, ad evitandum condemnationem in legato petito, ſe planè adminiſtraſſe ante litem motam omnia & ſingula bona defuncti in debitis funeralibus & alijs oneribus neceſſarijs perſolvendis allegaverit & compucum de & ſuper hujuſmodi adminiſtratione ſua exhibuerit & in eo apparuerit defunctum fuiſſe ita ære alieno gravatum ut non habuerit ſufficientiam bonorum ad ſolutionem legati petiti, ſi curator vel legatarius inſpecto hujuſmodi computo deſiſtat à lite non cogendo Executorem ad probandum ſeu juſtificandum hujuſmodi computum per teſtes, curator & legatarius liberantur ab expenſis (ſed quære quid ſit juris, tamen ſtilus eſt omnium curiarum.) Secus ſi poſt exhibitum computum curator vel legatarius coegerint Executorem ad computum prædictum juſtificandum per teſtes & Executor eundem debitè probaverit, ratio ſtili & conſuetudinis Curiæ in hoc caſu, de expenſis ſolvendis, eſt, quia curator vel legatarius inſpecto computo hujuſmodi potuiſſent informari per contando creditores in computo nominatos de veritate ejuſdem ſi non ad ſtatim ſaltem datis ſibi inducijs ad deliberandum & conſulendum de veritate quæ inducias ſolent dari parti eaſdem petenti.

Titvl. CCXV.

De citatione contra Decanum & capitulum vel præpoſitum ſocios & ſcholares collegij vel aliquam aliam communitatem.

SI cui competit actio aut legati ſui ſubtractionis decimarum vel conſimilis cauſæ contra Decanum & capitulum vel præpoſitum ſocios & ſcholares collegij vel aliam quamcunque communitatem qui ratione multitudinis facile conveniri aut citari (ſaltem perſonaliter) non valeant, concipienda eſt in his caſibus citatio in hunc modum, citetis venerabilem virum *N.* Decanum Eccleſiæ cathedralis *M.* & ejuſdem Eccleſiæ capitulum vel ſic *N*, præpoſitum ac ſocios & ſcholares collegij *M.* vel ſic majorem & communitatem civitatis *London* per affixionem præſentium in foribus domus capitularis Decani & capituli. Similiter in foribus exterioribus illius collegij contra cujus præpoſitum, *&c.* cauſa ſit inſtituenda, quoad majorem, *&c.* per affixionem in prætorio ſeu loco ſolito (qui dicitur *Guild-hall*,) & uſitato ad jus dicendum vel in foribus exterioribus excambij ubi communiter habetur recurſus civium etiam Aldermanorum dicti civitatis, adjectis etiam in omni citatione hujuſmodi his verbis aliiſque vijs & modis quibus melius notitia hujuſmodi citationis ad citandorum aures de veriſimili pervenire poſſit. Solent tamen litigantes contra hujuſmodi perſonas ex gratia & urbanitate ante executionem hujuſmodi citationis intimare hanc citationem Decano vel alij ex capitulo nec non præpoſito collegij vel majori aut recordatori civitatis, & ſignificare quod intendunt hujuſmodi litem contra eos inſtituere,

&

& ſi hac intimatione non obſtante non comparuerit per eorum legitimam ſyndicum proximo juridico, liti prædictæ reſponſare, tunc poteſt exequi modo præmiſſo hujuſmodi citatio.

Syndicus eſt ille qui mandatum habet à Decano & capitulo ſeu communitate ad negotia & lites, & plerunque ad conſtituendum procuratorem exercentem illius curiæ in qua inſtituitur actio, poſſunt etiam hujuſmodi perſonæ hunc procuratorem eorum ſyndicum conſtituere, & notandum eſt quod in omni citatione hujuſmodi perſonæ reſpectivæ prædictæ citandæ ſunt non quod compareant perſonaliter ut in citatione ordinaria ſed quod compareant per eorum ſyndicum ſufficienter inſtructum & conſtitutum, nam quoad has perſonas non valet generale aut uſuale procuratorium de quo in titul. *Quid ſit Procuratorium in lites, ſit mentio.*

TITVL. CCXVI.

De reſponſis perſonalibus dandis per Decanum & capitulum Præpoſitum ſocios & ſcholares collegij ac communitatem poſitionibus libelli ſeu cujuſcunque materiæ adverſarij.

SI Actor in quacunque cauſa tangente perſonas in præcedenti tit. mentionatas cupit habere reſponſa perſonalia partium ſuperius nominatorum poſitionibus libelli, &c. decernendus eſt pro partibus principalibus hujuſmodi, quod compareant tali die & loco per eorum ſyndicum ſufficienter inſtructum ac legitimè conſtitutum poſitionibus

prædictis in vim juramenti ac in animam perſonarum prædictarum reſponſurum erga diem comparationis tenentur prædicti citati deſtinare ſyndicum cum ſpeciali Procuratorio ad reſpondendum articulatim virtute eorum juramenti & in eorum animas cuilibet poſitioni libelli prout magis ſpecificè declaratur in ſequenti titulo, nam procuratorium de quo in proximo præcedenti titulo fit mentio quamvis ſit authenticum non eſt ſufficiens ad hos effectus, & ſi citati, ut ſupra, hoc non fecerint excommunicandi ſunt ut cæteræ quæcunque perſonæ per hæc nomina generalia, (*viz.*) Decanum & capitulum, omnes & ſingulos, *&c.* & ſic de cæteris perſonis mentionatis in præſenti titulo.

TITVL. CCXVII.

De forma reſpondendi poſitionibus libelli & virtute ſpecialis Procuratorij.

SI Epiſcopus, Decanus, & capitulum, præpoſitus collegij, ſocij & ſcholares communitatis, vel quæcunque alia egregia vel privilegiata perſona vocati fuerint ad perſonaliter reſpondendum, mittere tenentur ſpecialem procuratorem vel quemcunque alium ſyndicum habentem procuratorium ſpeciale & authenticum, nam ad hunc finem tantum admittitur ſpecialis Procurator non obſtantibus iſtis quæ notantur de ſyndico in præcedenti titulo eorumve procuratore generali exercenti in cauſa reſpondendum eorum nominibus, & in eorum animas poſitionibus hujuſmodi, ſed in hujuſmodi Procuratorio

rio non ſolum poſitiones omnes & ſingulæ quibus reſpondere tenentur, verùm etiam ſeparata & diſtincta reſponſio cuilibet poſitioni hujuſmodi per verba credo, vel non credo ſunt inſerenda; aliàs non valet nec dicitur hujuſmodi reſponſio eſſe ſufficiens & plena reſponſio.

TITUL. CCXVIII.

De forma exhibendi & reſponſa virtute ſpecialis Procuratorij.

PRocurator exhibebit hujuſmodi procuratorium ſpeciale dicendo, exhibeo procuratorium meum ſpeciale pro *B*, & facio me partem pro eodem & nomine Domini mei reſpondeo & credo in omnibus & per omnia prout in dicto Procuratorio ſpeciali continetur, atque manimam ejuſdem Domini mei juro ad hæc ſancta Dei Evangelia hujuſmodi reſponſa eſſe vera juxta informationem Domini mei & credulitatem ejus Procuratoris in his quæ concernunt factum alienum, & de ſcientia Domini ipſius mei in his quæ concernunt factum ejus proprium.

TITVL. CCXVIII.

De proteſtatione Procuratoris adverſarij tempore exhibitionis hujuſmodi ſpecialis Procuratorij & reſponſi.

ACcepto contenta in hujuſmodi Procuratorio & reſponſa in eodem quatenus faciunt pro parte mea, & Domini mei, & quatenus faciunt, contra diſſentio, & proteſtor de de nullitate, & inauthenticitate eorum & allego non eſſe plenè nec ſufficienter reſponſum referendo me ad hujuſmodi Procuratorium, & ad reſponſa & ad jura. Et tunc ſi inſtat dies comparitionis (ſive ex certificatorio tunc introducto ſive in eundem diem continuato, vel ex pœna reſervato) partis dantis dicta reſponſa, dicat Procurator petens reſponſa exhibeo mandatum originale, *&c.* & peto excommunicari, *&c.* ut ſupra in titulo, *De exhibitione citationis coram Judice.* Si reſponſa hujuſmodi non ſunt authentica ob defectum Procuratorij authentici, vel ſi jura non admittunt reſponſa Procuratoris, vel reſponſa ſunt inſufficientia, & (data opera) facta animo differendi litem, plus juſto vel aliquando faciendi judicium fruſtratorium de his conſtiterit judici excommunicanda eſt pars non obſtantibus reſponſis prædictis. Sed nota quod ſi Judex deliberaverit ſuper petitione hujuſmodi (*viz.*) an reſponſa ſunt admittenda, vel pars dans eadem excommunicanda, continuandum eſt certificatorium dicti perſonalis decreti uſque in diem, in quem Judex aſſignavit ad audiendam voluntatem ſuam, nam alias diſcontinuato & circumducto dicto mandato pars non reſpondens non poteſt excommunicari, ſed eſt de novo ad effectum, ut prius citanda.

TITVLVS CCXIX.

De aſſignatione termini ad proponendum omnia quæ conſiſtunt in facto ad evitandas dilationes.

SI Reus quærit ſuptterfugia, & dilationes (quod in veritate Reo eſt quotidianum) & non vult proponere omnes materias defenſivas ſimul, ſed nunc unum, nunc alium, (*viz.*) nunc exceptiones, nunc materiam defenſionis, tunc actoris Procurator has dilationes evitabit, & amputabit isto modo, quamprimum Reus dederit unam materiam & terminus probatorius fuerit lapſus, ac poſtea ante pendente termino probatorio hujuſmodi vel eo lapſo dederit materiam aliam, Procurator actoris dicet, Domine Judex allego *N* Reum propoſuiſſe materiam quandam, & probatorium terminum ei ad eandem probandum aſſignatum, eſſe lapſum, & quod jam dat alteram ad litem hanc protrahendum quare ad lites hujuſmodi amputandas peto terminum competentem dicto Reo aſſignari ad proponendum omnia quæ conſiſtunt in facto tali (*viz.*) ad binos vel trinos juridicos proximè ſequentes juxta qualitatem & gravitatem cauſæ; Judex ita aſſignare ſolet, & ſi in eodem die vel antea Reus non propoſuerit omnes ſuas defenſiones non poterit poſtea quicquid allegare aut proponere, & de ſuper petere terminum probatorium (ſaltem quoad teſtes) ſibi aſſignari niſi alia emergens cauſa inter diem in quo hujuſmodi aſſignatio ad proponendum omnia, & diem in vel ad quem ita fuit aſſignatum interceſſerit hoc eſt niſi actor aliquam allegationem defenſionis vel materiam

materiam exceptivam contra teſtes adverſarij dederit, vel quia pendente termino hujuſmodi ad proponendum aſſignato, cauſa mutuo partium conſenſu fleterit in compromiſſo vel alia defenſio neceſſaria pervenerit ad partis notitiam poſt lapſum diem datum ad proponendum omnia, nam tunc in his ſimilibus caſibus licitum eſt reo replicare, & contrariam materiam proponere non obſtante dicta aſſignatione ad proponendum omnia; ſimili etiam modo ſi actor unam propoſuit materiam & lapſo termino dato ad probandum aliam dedit, Reus poteſt ſimiliter petere ut actori aſſignetur terminus ad probandum omnia quæ conſiſtunt in facto & Iudex debet aſſignare ita, & generaliter in cauſa matrimoniali (quæ eſt cauſa favorabilis, & privilegiata) dicta aſſignatio ad probandum omnia non obſtat quin proponi poſſunt defenſiones & teſtes produci ut ſuperius notatur in titulo *De productione teſtium in cauſa matrimoniali.*

Titul. CCXX.

Quod appellans à rejectione materiæ concludentis & debito termino dato non obtinebit in appellatione & in quo caſu obtinebit, & de oblatione probationis in continenti.

SI Iudex materiam concludentem, & ad cauſam inſtitutam pertinentem (*viz.*) ſolutionem legati & decimarum, vel exceptiones contra teſtes & ſimilia rejecerit expreſſè vel tacitè procedendo ad alia huic petitioni contraria, & pars quæ eadem admitti petierit propter non admiſſionem appellaverit, ſi in appellatione non probaverit veritatem propoſitorum & rejectorum ſuccumbet in cauſa quia

quia præsumendum est pro Judice, i. e. Judicem scivisse præmissa allegata non fuisse vera, & eadem fuisse proposita animo tantum differendi litem. Sed si in casibus prædictis pars proponens præmissa, i. e. materiam sive allegationem de jure concludentem, fecerit fidem coram Judice se eadem non proposuisse animo malitioso, nec deferendi litem plus justo, & quod credit se posse probare, & obtulerit se promptum & paratum ad probandum eadem, statim & incontinenti, & tamen Judex ea admittere recusavit expresse vel tacitè ad alia hujusmodi admissioni contraria vel præjudicialia procedendo, vel plus justo distulerit, prævalebit & obtinebit appellans in hac causa, licet in appellatione non probaverit veritatem contentorum in propositis rejectis, & hoc obtinui in judicio contradictorio ad viginti sex elapsos annos, & jam ita quotidiè practicatum est coram delegatis Regijs.

Titvl. CCXXI.

De modo objiciendi & probandi excommunicationem contra Actorem ut nihil decernatur ad ejus petitionem.

EXcommunicatus non potest agere, nec quicquam decernendum est ad ejus petitionem, si igitur ad hunc finem Reus objiciat Actori quod sit excommunicatus, & ideò non habet personam standi in judicio, nec quicquam decernendum est ad ejus petitionem, probanda est hujusmodi excommunicatio ad statim per exhibitionem literarum excommunicationis sub sigillo Judicis excommunicantis, vel saltem probanda est hac excõmunicatio infra octo dies à tempore objectæ hujusmodi excom-

municationis, & ita eſt communiter practicatum, & hac excommunicatione probata ſiſtendus eſt proceſſus ad inſtantiam partis excommunicatæ; valent tamen geſta ante hujuſmodi excommunicationem, ut in ſeq. titulo.

TITUL. CCXXII.

Quod geſta per perſonam excommunicatam ante objectam & probatam excommunicationem valent & non ſunt ipſo jure nulla; & quod geſta poſt probatam excommunicationem non valent.

QUamvis in præcedenti titulo dicitur excommunicatum non habere perſonam ſtandi in judicio, nec quicquam eſſe ad ejus petitionem decernendum, tamen ſi actor excommunicatus plurimos & diviſos in cauſa ſua expedierit actus, utpote dederit libellum & litem conteſtari obtinuerit, etiam teſtes produxerit priuſquam ejus adverſarius hanc excommunicationem propoſuerit, valent omnia hujuſmodi geſta & non reddantur nulla, quia excommunicatio reddit gerenda poſt objectionem, & non geſta ante objectionem nulla ſed ſæpe à doctiſſimis audivi, ſed (quod memini) nunquam ad judicatum novi partem Ream quamvis excommunicatam ſe defendere, & pro juſta defenſione ſua materiam proponere & probare poſſe.

TITUL.

TITVL. CCXXIII.

De modo ſiſtendi proceſſum Vtlegatus quicquam petierit.

QUemadmodum excommunicatus non habet perſonam ſtandi Iudicio, nec quicquam decernendum eſt ad ejus petitionem, ita ad petitionem utlegati, ut hominis banniti nihil decernendum eſt. ſi igitur utlegatus vel ejus Procurator aliquam petitionem fecerit, dicat adverſarij Procurator nihil ad ejus petitionem eſſe decernendum, quia fuit & eſt utlegatus, & ad ſtatim producat & exhibeat breve Regium de utlegatione, & tunc ſolet Iudex ſuperſedere in cauſa tam quoad actorem, quàm quoad Reum, nam Reus in hoc caſu nullo modo ſe defendere admittendus eſt, ut ſupra *de Reo excommunicato* Tit. præcedenti. Sed ſæpe Nam breve Regium hujuſmodi, de ſe, ſine ulla probatione plenam facit fidem.

Titvl. CCXXIV.

Quod teſtes poſſunt rejici vel admitti in die aſſignato ad proponendum omnia in plenarijs & in die prima aſſignationis ad audiendam ſententiam in ſummarijs.

I in die aſſignato ad proponendum omnia in plenarijs, ſeu in die primæ aſſignationis ad audiendum ſententiam in ſummarijs pars actrix, ſeu Rea habuerit teſtes neceſſarios præſentes in judicio & juraverit eos eſſe teſtes parti ſuæ neceſſarios Iudex eos admittere, jurare, & examinare poteſt, quamvis ex adverſo dicatur Rem non eſſe integram, ac jus eſſe parti ſuæ acceſſum & acquiſitum per dictam aſſignationem ad proponendum omnia in plenarijs, & ad audiendum ſententiam in ſummarijs, & hæc allegatio, ſive objectio proponenda eſt per Procuratorem adverſæ partis cum in hoc caſu teſtes producuntur, tamen relinquitur Iudicis arbitrio an voluerit hujuſmodi teſtes admittere vel rejicere, & neutri partium datur juſta cauſa appellandi, hoc obtinui in judicio contradictorio ad annos triginta elapſos.

Titvl.

TITVL. CCXXV.

De concluſione in cauſa plenaria.

IN die aſſignato ad probandum omnia, dicat Procurator qui ſperat obtinere in cauſa, ego exhibeo omnia acta, inactitata, deducta, allegata, propoſita & exhibita, probata & confeſſata in hac cauſa quatenus faciunt pro parte mea, & peto terminum aſſignari ad concludendum in proximum, altera vero pars ſi cauſæ ſuæ confidat, dicat, exhibeo ſimiliter omnia acta, &c ut ſupra, quatenus faciunt pro parte mea, & nè diſſentiat aſſignationi ad concludendum; ſi verò cauſæ diffidat diſſentiat exhibitioni actorum & propoſitioni eorundem & aſſignationi ad concludendum, hæc exhibitio omnium actorum, & aſſignatio ad concludendum inducit concluſionem in cauſa & etiam inducitur concluſio non ſolum per ipſorum actorum exhibitionem ſive aſſignationem ad concludendum verum etiamſi nihilo minus factum fuiſſet in die ad proponendum omnia ut in Tit. *Quid faciet Reus ad impediendum concluſionem in cauſa.*

Titvl. CCXXVI.

De petitione in die aſſignato ad concludendum

IN die aſſignato ad concludendum dicat Procurator ad cujus petitionem aſſignatum fuit ad concludendum, Domine Iudex concludo in hac cauſa cum dominatione veſtra, & peto per eandem mecum concludi; Iudex: concludimus tum parte concludente. Deindè dicat Actor peto terminum aſſignari ad audiendum ſententiam in proximo die juridico, Iudex: aſſignamus, Reus ſi cauſæ ſuæ diffidat, dicat, diſſentio concluſioni hujuſmodi: & aſſignationi prædictæ. Secus concludat cum parte, & Iudice, & nè diſſentiat aſsignationi ad audiendum ſententiam præmiſſa dici, petique poſſunt per Procuratorem adverſæ partis quamvis non fuerit ad ejus petitionem aſsignatum ad concludendum, nam aliquando petens ad proponendum omnia vel ad concludendum ſapiori uſus conſilio nollet, i. e. conſilio Advocati in cauſa.

TITVL. CCXXVII.

De concluſione in cauſa ſummaria.

IN die aſsignato ad audiendum ſententiam petat ille ad cujus petitionem ita aſsignatum fuit, ut aſsignetur ad idem in proximo, diſsentiat, aut taceat adverſa pars ut in caſu prædicto & ſi ante hujuſmodi ſecundam aſsignationem ad audiendam ſententiam neutra partium dederit materiam ſeu allegationem vel exceptionem contra teſtes, iſta ſecunda aſsignatio inducit concluſionem in cauſa, Et nota, ut ſupra, quod ſi in dicto primo die aſsignato ad audiendum ſententiam i. e die ad quem aſsignatum fuit ad audiendam ſententiam nihil actum ſit quod tunc eo ipſo dicitur eſſe concluſum in cauſa, ut in Titul. *Quid faciet Reus ad impediendum concluſionem in cauſa.* Quamprimum concluſum ſit in cauſa etiam in ipſo & eodem actu, concluſionis petenda & aſsignanda eſt dies ad informandum judicem tam in facto quam in jure. Hic vero dies informationis ſolet fieri in aliquo die non juridico & in cenaculo Advocatorum, & aliquando ex cauſa, in ædibus judicis etiam ſolent intereſſe hujuſmodi informationibus Procuratores ſalariati in cauſa quia ſunt prompti ad informandum Advocatos de Actis expeditis in cauſa nam in illis magis experti & verſati ſunt quam Advocati, non ſolum quia acta per eos in judicio communiter concipiuntur verum etiam ſcribere ſolent acta hujuſmodi in quodam libro ad hoc ſpecialiter apto, tamen aliquando in arduis & gravioribus cauſis Advocati concipiunt Acta.

TITVL.

Titvl. CCXXVIII.

De informationibus dandis Iudicibus.

ADvocatus Actoris in præſentia Advocati Rei primo leget libellum Iudici, qui ſummatim ſcribet effectum ejuſdem, deinde leget reſponſa partis principalis, quæ etiam Iudex ſcribet, & ſi intentio Actoris non ſit plenè probata ex hujuſmodi reſponſis, tunc dicta teſtium legenda ſunt, deindè audiendus Advocatus alterius partis qui etiam leget materiam defenſionis ſuæ ac probationes quaſcunque, quibus ſic geſtis ſolent hujuſmodi Advocati informare ex facto hinc inde oſtenſo juris quæſtiones, & ſi de hujuſmodi quæſtionibus Advocati inter ſe non convenerint Iudex in ea parte ſolet interponere ſuas partes & deſignare quas & quales juris quæſtiones diſputabunt pro his vero juris quæſtionibus & aliquando etiam pro facto ſeu meritis cauſæ alij utque alij dies aſsignandi ſunt priuſquam judici fuerit in ea parte ad plenum ſatisfactum quæ omnia Iudex ſummariè ſcribere ſolet.

Titvl. CCXXIX.

De forma prolationis ſententiæ & proteſtationis ad appellandum.

PRocurator ſperans obtinere ſententiam eam concipiet in ſcriptis erga diem aſſignatum ad audiendum ſententiam eamque porriget judici dicendo *peto ſententiam ferri*, & juſtitiam fieri pro parte mea, (ſed ex longo uſu in curia de arcubus actorum ſcriba per inſtructiones ſibi datas ab Advocatis vel, Procuratoribus ſolet ſententias concipere, & data ſententia Iudici, ſi Iudex intendit ferre eandem, leget eam uſq; ad hæc verba, parte vero Domini *N.* (*viz.*) parte contra quam intendit ferre ſententiam, & interrogare ſolet eandem partem quid ſit dictura vel petitura, quæ reſpondere communiter ſolet peto juſtitiam, quod verbum juſtitiam, ſi contenderetur de ſententia lata, (*viz.*) utrum Iudex hanc vel illam tulerit, Iudex inſpecto illo verbo juſtitiam, manu ſua ſcripto facile hanc controverſiam finire poteſt, Iudex ſemper ſcribit manu ſua propria in omni ſententia, nam in omni ſententia ferenda locus ſeu ſpatium ſolet relinqui pro ſcriptione illius verbi (juſtitiam) quo verbo per Iudicem in ſententiam ſcripto, procedit ad finalem lectionem ejuſdem ſententiæ, qua lecta dicet ille pro quo lata eſt ſententia, benedicamini propter juſtitiam, & requiro te Notarium publicum, i. e. actorum ſcribam ad conficiendum mihi inſtrumentum publicum ſuper prolatione hujuſmodi ſententiæ, ac teſtes hujuſmodi præſentes ad perhibendum teſtimonium, & notarius tenetur in actu ſuper probatione hujuſmodi ſententiæ

concepto ſcribere nomina & cognomina teſtium præſentium tempore prolationis ejuſdem, pars verò contra quam lata eſt ſententia ſi non intendit appellare judicialiter vel apud acta ab eadem poſtea coram Notario in ſcriptis dicat diſſentio prolationi hujuſmodi ſententiæ & proteſtor de nullitate ejuſdem, ac de gravamine & de appellando ab eadem infra tempus de jure indultum, & de his appellationibus plenius tractatur, ut in titulis ſequentibus.

TITULUS CCXXX.

De prolatione duarum ſententiarum in una cauſa, & de condemnatione in expenſis & expenſarum compenſatione.

Appellatur à gravaminibus illatis ante prolationem ſententiæ & poſtea à ſententia definitiva & hujuſmodi ſeparatæ appellationes contineantur in una, & eadem inhibitione, ac in uno accumulantur libello. Si appellans defecerit in probatione libelli quoad gravamina libellata, & juſtificaverit appellationem quoad cauſam principalem, i. e. probaverit ſententiam latam per Judicem à quo fuiſſe injuſtam vel nullam, vel è contra: Judex ſolet in his caſibus duas ferre ſententias, unam pro appellante, alteram pro parte appellata, ſed in hoc caſu quoniam appellans probavit libellum in parte, & non in toto non obtinebit expenſas appellationis, ſed facienda eſt expenſarum compenſatio, i. e. quia frivole & injuſtè appellavit aut quoad gravamina, aut quoad ſententiam, & pars appellata obtinuit

tinuit ſententiam pro parte ſua, quoad unam aut alteram appellationem hujuſmodi & in eo obtinere debuiſſet expenſas ſuas quoad appellationem illam, facienda eſt igitur, ut ſupra dicitur, expenſarum compenſatio. Sed dato, partem appellantem plures ſeu majores expenſas erogaſſe in appellatione à gravaminibus quam pars appellata probaverit ſe expoſuiſſe in juſtificando, ſeu confirmando ſententiam Judicis à quo quoad juſtitiam cauſæ, exempli gratia, appellans à verbis comminatorijs, i. e. quando Iudex à quo minatur parti ſe velle ſententiam ferre contra eam quæ in proceſſu ejuſdem Iudicis à quo, tranſmiſſo ad Iudicem, ad quem, non conſtat, tenetur hujuſmodi verba probare, alias cadet in cauſa.

Similiter appellans in cauſa correctionis, ſi Iudex inferior gravatus fuerit quenquam ante latam ſententiam, vel per ſententiam, aut forſan poſt ſententiam, gravatus in hoc caſu (quamvis potuiſſet appellationem in hac parte interponere quoad Iudicem tantum, & eam quoad eundem Iudicem proſequi, tamen ob reverentiam Iudici debitam in appellatione dicet gravamina à quibus appellatur fuiſſe illata ad petitionem, inſtantiam, promotionem, ſeu inſtigationem alterius perſonæ non nominatæ in actis Iudicis à quo. Et hanc appellationem quoad hujuſmodi perſonam, & non quoad Iudicem proſequitur, appellans tenetur per teſtes probare gravamina hujuſmodi inflicta & illata fuiſſe ad petitionem, inſtantiam, promotionem vel inſtigationem dictæ partis appellatæ alias ſuccumbit in cauſa.

Similiter ſi appellatur à nimia & exceſſiva taxatione expenſarum, ſi exceſſus hujuſmodi non apparuerit ex ipſo proceſſu tranſmiſſo (quod ſæpe accidet præſertim cum exceſſivæ expenſæ tam pro ſolicitatione cauſæ quam pro expeditione commiſſionis in partibus

pro teſtibus examinandis petuntur) tenetur appellans probare exceſſus hujuſmodi per teſtes, In his omnibus caſibus appellatus ſi obtinuerit ſententiam pro ſe in cauſa gravaminis obtinebit tam ordinarias expenſas factas in proſequendo appellationem hujuſmodi, quam expenſas factas in probandis gravaminibus prædictis per teſtes, conſimili etiam ratione ſi appellans per novas probationes parti appellatæ cognitas obtinuerit in appellatione à ſententia diffinitiva, & ſuccubuerit in cauſa gravaminis, obtinebit expenſas appellationis. Secus quoad probationes incognitas parti adverſæ, Nam in eo caſu propter malitiam non producendo teſtes in prima inſtantia condemnandus eſt in expenſis, obtinebit tamen pars appellata expenſas aliquas nempè illas quas expoſuit ratione ſententiæ quam obtinuit ferri pro parte ſua (*viz.*) pro feodo ſententiæ & executione ejuſdem & feodis Advocati & Procuratoris pro informationibus datis, & actis expeditis in & circa eandem ſententiam quam pars appellata obtinuit hoc ita judicari novi propter malam fidem in appellante & in appellato, Nam qui non produxit teſtes ſuos in prima inſtantia fuit in mala fide, & qui ſcivit ejus adverſarium habuiſſe teſtes ad probandum ejus intentionem, & tamen obtinuit ſententiam non eſt exceſſandus à mala fide.

TITVL.

TITVL. CCXXXI.

Quod appellans à gravaminibus illatis ipso & eodem tempore quo lata fuerit sententia diffinitiva habebit integras expensas & quod sententia quamvis quoad justitiam causa juste lata fuerit retractabitur tanquam iniqua licet ab eadem non fuerit appellatum.

SI ipso & eodem tempore quo lata fuerit sententia Iudex ante prolationem ejusdem gravatus fuerit partem contra quam lata fuerit sententia, rejiciendo testes vel materiam, defensionis de jure admittendæ, appellans in hoc casu si justificaverit appellationem a gravaminibus obtinebit sententiam cum integris suis expensis, & sententia diffinitiva quamvis quoad merita causæ justa fuerit tamen quia lata fuit infra tempus ad appellandum à dictis gravaminibus eodem tempore illatis indultum; revocabitur tanquam attemptatum seu per viam attemptationis, etiamsi ab eadem sententia non fuerit appellatum, pars tamen in hoc casu appellata poterit coram Iudice appellationis petere & obtinere sententiam de novo ferri quoad causam principalem & obtinebit suas expensas factas in prima instantia, in omnibus, quemadmodum obtinuisset coram Iudice à quo omnino non fuisset appellatum, hoc adjudicatum novi, sed, quid sit juris quære.

TITVL. CCXXXII.

De forma pronunciandi ſententiam in panam contumaciæ Procuratoris vel partis principalis.

FActa concluſione in cauſa, ſi datæ fuerint informationes Judici tam in facto quam in jure, & Judex intendens hanc litem per ſententiam finire, aſſignaverit ad audiendum ſententiam tali die, cujus Procurator ſperans obtinere ſententiam, partem adverſam vel ejus Procuratorem moneri ad hunc intereſſendum ad audiendam ſententiam in cauſa & ſi in die aſſignato ad audiendum ſententiam nec pars nec ejus Procurator comparuerit dicet Procurator petens ſententiam, *ut ipſo contumaciam N. Procuratis parte adverſa (vel ipſius partis* (ſi pars & non Procurator fuerit monita) moniti ad intereſſendum iſtis die & loco ſententiam in dicta cauſa ferri & juſticiam fieri viſuri, & non curantis intereſſe, quare peto eum repatari contumacem & in panam hujuſmodi contumaciæ ſententiam ferri & juſticiam fieri. Tunc Judex præconizari faciet partem vel Procuratorem ut præfertur monitum trina vice & alta voce, & ſi neuter comparuerit pronunciabit eum contumacem, & in panam hujuſmodi contumaciæ decernet procedendum ad pronunciationem ſententiæ ſuæ diffinitivæ, deinde curabit Procurator petens ſententiam eandem in hunc modum corrigi ſeu ſcribi in exordio dictæ ſententiæ, (*viz.*) Parte dicti *N.* id eſt, partis petentis ſententiam per ejus Procuratorem coram nobis judicialiter & legitimè comparente, parte vero dicti *M*, (*viz.*) illius

 partis

partis abſentis contumaciter abſente (cujus abſentia Dei præſentia ſuppletur) parteque dicti *N*, petentis ſententiam ferri & juſtitiam fieri pro parte ſua Rimatoque primitus per nos toto & integro proceſſu, *&c.* ut in cæteris ſententijs.

TITVL. CCXXXIII.

Quod aſſignatio ad audiendum ſententiam facta in præſentia partis, eandem habet vim & eundem effectum ac monitio ſpecialis ad intereſſendum die aſſignato ad audiendum ſententiam.

SI in præſentia Procuratoris aut partis principalis Index aſſignaverit ad audiendum ſententiam in cauſa, tali die & loco ſine mentione ad intereſſendum, ut in præcedenti titulo: Tamen obſervatis præmiſſis ſi eſt, accuſata ejus contumacia factaque præconizatione in dicto titulo ſpecificatis, ſententia ferri poteſt in pœnam contumaciæ [illegible] competentis perindè ac ſi pars adverſa ſeu procurator ejus [illegible] fuiſſet ad intereſſendum ad videndum [illegible] ſententiam ferri, nam hæc aſſignatio ad audiendum ſententiam facta in præſentia partis habet eandem vim & eundem effectum atque monitio ad intereſſendum, tamen quia abundans cautela non nocet, moneatur procurator adverſæ partis vel ipſa pars ad intereſſendum, ut ſanta, ad tollendam hac de re queſtionem. Notandum hic eſt quod ſi in dicto die aſſignato ad audiendum ſententiam Iudex quia non fuerit plenè informatus non pronunciaverit ſententiam, pars ad cujus petitionem aſſignatum fuit ad ſententiam audiendum non poteſt in pœnam contumaciæ

maciæ partis vel procuratoris abſentis petere ut Iudex aſſignet alium diem ad ferendam ſententiam in cauſa in pœnam contumaciæ, quia pars prædicta vel ejus procurator non fuit monitus ad aliquem alium actum ſeu effectum quam ad audiendum ſententiam ferri in cauſa & ideo non eſt contumax quoad quemcunque alium effectum, moneatur igitur in hoc caſu procurator vel pars ad intereſſendum non ſolum ad audiendum ſententiam, ſed ad videndum ulteriorem proceſſum fieri uſque ad ſententiæ diffinitivæ prolationem inclusivè ferendæ.

TITVL. CCXXXIV.

De appellatione Judiciali à ſententia diffinitiva quæ dicitur appellatio apud acta.

PArs contra quam lata eſt ſententia poteſt ipſo & eodem tempore quo lata eſt ſententia & antequam Iudex proceſſerit ad alia, viva voce apud acta coram Iudice ferente ſententiam, qui dicitur Iudex à quo, in hunc modum appellare, Ego diſſentio ſententiæ hujuſmodi prolationi & proteſtor de nullitate ejuſdem, & ab eadem, ſalva veſtra reverentia, Domine Iudex, tanquam nulla invalida & iniqua ac nullitèr, & inique lata, ad illuſtriſſimum in chriſto principem ac Dominum noſtrum Dominum *Iacobum*, &c. & ad curiam Cancellariæ, & ad eundem Dominum noſtrum Regem in curia ſua Cancellariæ appello, Apoſtoloſque peto (nam ſi Apoſtoli non fuerint petiti non valet appellatio) primo, ſecundo, & tertio, inſtanter, inſtantius & inſtantiſſimè mihi & Domino meo tradi dari & liberari

liberari eum effectu deque nullitate ejusdem æquè principalitèr querelor, & requiro vos Notarium publicum, id est, Registrarium vel actorum scribam ad conficiendum mihi instrumentum publicum super appellatione jam per me interposita ac testes hic præsentes ad perhibendum testimonium, actorum scriba tenetur in actu super prolatione cujuscunque sententiæ inscribere nomina testium præsentium.

TITVL. CCXXXV.

De appellatione à decreto interlocutorio habente vim sententiæ diffinitivæ.

AB omni decreto interloquutorio habente vim sententiæ diffinitivæ licèt appellare, sive viva voce apud acta Judicis, ut supra, in præcedenti titulo, sive infra quindecim dies in scriptis coram Notario, tamen in his appellationibus à decretis interloquutorijs, etiam habentibus vim sententiæ diffinitivæ ego communitèr Clariatus sum, idque ab alijs procuratoribus peritissimis practicari vidi appellare potius in scriptis quam apud acta quia in scriptis potero ita specificè narrare factum & ex actis præcedentibus actum in quo illatum fuit gravamen manifeste ad vivum declarare & deducere gravamen à quo appellatur, ut evidentèr constare possit, judicem intulisse gravamen, quod haud facile erit si appellatur à gravamine illato apud acta; præterea ex hujusmodi appellatione in scriptis interposita, sine aliqua difficultate etiam per mediocritèr practicatum concipi potest libellus; nam libellus in appellatione à gravaminibus debet esse conformis rescripto, id est, inhibitioni, inhibitio vero itidem appellationi, quia in inhibitione seu rescripto continetur verus tenor & effectus appellationis.

Quamvis superius dicitur omnem appellationem interponendam esse infra quindecim dies a tempore latæ sententiæ vel illati gravaminis, hoc tamen est intelligendum si de ijsdem notitiam habueris vel scientiam, secus non, nam currit tempus appellandi a tempore scientiæ seu notitiæ, & si sententia lata fuerit vel decretum interlocutorium habens vim sententiæ diffinitivæ interpositum fuerit nulliter utpote in absentia partis non monitæ, ut supra, tunc licèt appellare infra quindecim dies post notitiam ejusdem, vel de nullitate quærelari sive apud eundem judicem sive apud superiorem.

TITVL. CXXXVI.

In quo casu licet appellare ab eodem Iudice ad eundem.

SI Iudex ad universitatem causarum constitueret vel substitueret unum aut alterum ad procedendum in quacunque particulari causa vel certis quibusdam causis particularibus, vel si Iudex hujusmodi commiserit vices suas quibusdam clericis ad examinandum testes in partibus, ut in titulo, *De petitione & concessione commissionis*, &c. Si aliquod gravamen fuerit per hujusmodi substitutum seu commissarium particularem illatum, para gravata poterit ab eodem ad Iudicem delegantem substituentem vel committentem appellare & ita locum habet hæc generalis conclusio a delegato ad delegantem licèt appellare.

TITVL. CCXXXVI.

Quod licet appellare à Decano de Shoram *ac cæteris Decanis & commiſſarijs particularibus* Cantuarienſis *Archiepiſcopi, ad officialem de Arcubus vel auditorem curiæ Audientiæ.*

IN Titulo, *De judicibus moderni*, continentur cautæ ob quas officialis de Arcubus ab antiquo appellatur Decanus de Arcubus quamvis revera non ſit Decanus, ſed officialis; quia igitur Decanus non ſolum de Arcubus verum etiam de *Shoram* & *Croydon*, quamvis iſti ſint intra Dioceſim *London*, & *Nynton* ſunt tamen immediate ſubditi & ſubjecti Archiepiſcopo *Cantuarienſi* & eximus exempti a jurisdictione Dioceſani Epiſcopi, licèt ab eiſdem tanquam a judicibus particularibus & jurisdictiones limitatas & reſtrictas habentibus, ad Curiam de Arcubus vel audientiæ appellare. Nam ſtatutum editum de forma appellationum interponendarum, nullam de hujuſmodi appellationibus mentionem facit, relinquuntur igitur hujuſmodi appellationes diſpoſitioni juris communis, ſimiliter (ratione qua ſupra) licèt appellare a commiſſarijs Archiepiſcopi *Cant.* intra Dioceſin *Cant.* ad dictas curias de Arcubus & audientiæ.

Titul. CCXXXVII.

In quibus casibus expedit appellare tempore latæ sententiæ.

Si lata fuerit sententia, in causa matrimoniali, contra actorem, per quam absolvitur Reus a petitione actoris, sæpe contingit quod Reus credens per hujusmodi sententiam licere sibi aliunde matrimonium contrahere, illud plerumque contrahat, & etiam solemnizari procuret, similiter si inter duos clericos de beneficio eodem contendentes lata fuerit sententia, talem esse instituendum & inducendum, clericus pro quo lata fuit sententia curare solet se induci, seu ad minus in titul. etiam infra tempus de jure ad appellandum parti adversæ in talem, simili etiam modo si in curia prærogativa contenditur de testamento, & Judex tulerit sententiam pro testamento, vel si contenditur de administratione committenda, & Judex per sententiam commisit administrationem alteri partium litigantium, Executor vel Administrator colore harum sententiarum solet etiam pendente dilatione ad appellandum immiscere se in bonis defuncti, eaque alienare & aliquando debita relaxare & actiones in foro seculari pro debitis recuperandis instituere, in his omnibus casibus expedit parti contra quam lata fuit sententia statim appellare apud acta, ut supra dictum est; Nam si tempore latæ sententiæ in causa matrimoniali appellaveris, & tamen pars quæ eandem obtinuit sententiam post interpositam hujusmodi appellationem aliunde solemnizaverit matrimonium,

nium, ſolemnizantes hujuſmodi matrimonium ſunt per Iudicem appellationis primo & ante omnia ſequeſtrandi, atque etiam tanquam contemptores canonicè puniendi, non minus quam ille qui contra interdictum Iudicis, & lite pendente ſolemnizari procurat matrimonium, & in iſto caſu ſolemnizans matrimonium non poteſt prætendere ignorantiam hujuſmodi appellationis judicialis in præſentia ſui Procuratoris interpoſitæ. Quod ſecus prætendere poſſit ſi appellatum fuerit extrajudicialiter. Similiter ſi in cauſa beneficiali clericus qui obtinuit ſententiam (ſciens appellatum fuiſſe ab eodem tempore latæ ſententiæ ſeu averſe ſe inſtitui aut induci, hujuſmodi inſtitutio & inductio dicitur eſſe attemptata & per Iudicem ad quem ſunt primo & ante omnia tanquam attemptata revocanda. Similiter teſtamentarijs & adminiſtrationibus ſi in dictis cauſis appellatum fuerit judicialiter, tam poſſidem bona defuncti poterit ſine ſuo damno eadem retinere pendente lite ſuper hujuſmodi appellatione, quam etiam illi qui defuncto obligati fuerint, ſi inſtituatur actio contra eos per eum qui obtinuit ſententiam prædictam pro debitis ſeu bonis hujuſmodi, poterint uti beneficio hujuſmodi appellationis, quia per appellationem hujuſmodi tollitur ſeu ſuſpenditur omnis vis & effectus dictæ ſententiæ, donec finiatur appellatio perindè ac ſi nulla omnino lata fuit ſententia.

Titvl. CCXXXVII.

De dilatione appellationis & aſſignatione Apoſtolorum.

Iam primum appellatur coram Iudice a quo & Apoſtoli fuerint petiti, idem Iudex dicet (ſemoto pileo a capite) nos ob honorem & reverentiam Domino noſtro Regi debitum deferimus hujuſmodi appellationi, & loco Apoſtolorum, aſſignamus appellanti totum & integrum proceſſum, tunc pars quæ obtinuit ſententiam dicet, Domine Iudex, placebit ſtatuere parti prætenſæ jam appellanti terminos competentes, tam ad proſequendum hujuſmodi appellationem quam ad certificandum de profecutione ejuſdem; Iudex: aſſignamus ad proſequendum talem diem, ac talem, ad certificandum, quibus terminis pendentibus, nihil eſt attemptandum aut innovandum ad petitionem ejus qui obtinuit ſententiam in præjudicium appellantis.

Titul:

TITVL. CCXXXVIII.

De proteſtatione ad appellandum & de acceptatione ſententiæ in parte, vel quatenus facit pro parte contra quam lata fuit, & in quo caſu non expedit appellare tempore latæ ſententiæ.

SI pars contra quam lata ſit ſententia, credat quod ſi appelleret apud acta, Iudicem (aliquando in eum, eo quod appellavit offenſum) velle ſibi aſſignare terminos nimis breves, & incompetentes, ad proſequendum & certificandum appellationem per eum interpoſitam, infra quos non poſſit Hujuſmodi appellationem proſequi nec clientem ſuum certiorem reddere de prolatione hujuſmodi ſententiæ, & ejus intelligere intentionem utrum voluerit acquieſcere ſententiæ prædictæ vel appellationem alias interpoſitam proſequi, in iſto caſu non apud acta tempore latæ ſententiæ appellabit, ſed in ſcriptis coram Notario publico infra decem ſeu ad ſummum quindecim dies; Nam in iſto caſu lapſis dictis quindecim diebus ad appellandum de ſtatutis hujus Regni indultis vocanda eſt pars appellans vel potius ſolet & poſſit vocari (quia Actor communiter cupit ſententiam pro ſe latam exequi) ad dicendum cauſam quare ſententia non deberet executioni demandari priuſquam Iudex à quo, poterit aſſignare appellanti terminum ad proſequendum & certificandum appellationem. Smiliter ſi lata fuerit ſententia in cauſa decimarum & appellaveris tempore latæ ſententiæ Iudex poteſt ad ſtatim (& hoc

hoc cavetur per ſtatutum) ejus ſententiam executioni demandare quoad expenſas ac eaſdem taxare non obſtante appellatione, etiam ac inhibitione à ſententia diffinitiva (superioris Iudicis, ut in Titulo *De forma demandandi ſententiam executioni in cauſa decimarum*: Si igitur ab ſententia hujuſmodi appellaveris extrajudicialiter in ſcriptis, coram Notario, ſententia prædicta quoad expenſas prædictas non eſt demandanda executioni niſi vocata prius, (ut ſupra dictum eſt) parte contra quam lata fuit ſententia ad dicendam cauſam quare ſententia non deberet demandari executioni, & niſi pars (ſi comparuerit) allegaverit fuiſſe appellatum hoc etiam commodum reportabit appellans extrajudicialiter (*viz.*) poteſt clientem ſuum certiorem reddere de prolatione ſententiæ ac de appellatione interpoſita, ac ab eo certior fieri utrum voluerit hujuſmodi appellationem proſequi, vel aliam etiam interponere appellationem ſi exceſſive taxentur expenſæ.

Si tamen in caſibus prædictis non appellaveris tempore latæ ſententiæ; diſſentire tamen oportet eidem ac prolationi ejuſdem, ac proteſtari de nullitate ejuſdem ac de gravamine, ac de appellando ab eadem infra tempus de jure indultum: è alias videaris acquieſcere hujuſmodi ſententiæ, ſed ſi ſententia partim pro te & parti contra te lata fuerit, utpote, quia expenſæ ſint ab eadem, vel forſan pars obtinens ſententiam fuerit condemnata in expenſis parti tuæ, quod aliquando uſu venit in caſibus matrimonialibus ut apparet in Titulo, *In quibus caſibus Judex poteſt condemnare partem obtinentem ſententiam in expenſis*. Tunc pars contra quam lata fuit ſententia dicet, accepto hujuſmodi ſententiam quatenus facit pro parte mea præſertim in eo quod eſt condemnatoria partis adverſæ, (id eſt, obtinentis ſententiam) Domino meo in expenſis

vel quatenus condemnatio Domini mei in expensis parti obtinenti sententiam est in eadem sententia deleta vel in tali, & tali parte sententiæ quæ facit pro parte mea, ac acquiesco eidem sententiæ in ea parte, tamen, quatenus dicta sententia facit contra Dominum meum & ejus intentionem, dissentio eidem ac prolationi ejusdem, ac protestor de nullitate ejusdem, ac de gravamine, ac de appellando infra tempus de jure indultum, vel ab eadem tanquam nulla, & ej appello prout in præcedenti titulo,

TITVL. CCXXXIX.

De assignatione termini ad recipiendum apostolos,

SI quis appellaverit à sententia diffinitiva apud acta, & petierit apostolos sibi dari, & assignari, ac judex assignavit terminum juris ad apostolos recipiendum, appellans tenetur infra triginta dies à tempore latæ sententiæ computandos, de momento, ad momentum, ab hora diei in qua lata erat sententia, usque ad horam diei in qua petendi sunt apostoli, adire locum judicij, ac si præsentialiter judex habere possit, ab eo petere instanter, instantius, & instantissimè, apostolos dari, tradi, & deliberari. Et si judex ita interpellatus recusaverit dare apostolos, seu non assignaverit apostolos, datur justa causa appellandi, sed si in die, seu tempore, ac loco prædictis, in quibus appellans, ut supra, præsens & promptus fuerit ad petendum apostolos, Judex non fuerit etiam præsens, facienda est protestatio per appellantem coram Notario publico ac testibus, quod sit promptus

prus & paratus ad petendum apoſtolos, caſu quo habere potuiſſet præſentiam Iudicis, ac ad majorem cautelam coram eiſdem Notario & teſtibus petat apoſtolos, & requirat Notarium tunc præſentem, ad conficiendum inſtrumentum publicum ſupra proteſtatione & requiſitione hujuſmodi, ac teſtes tunc præſentes ad perhibendum teſtimonium. Et quemadmodum ad fundandam juriſdictionem Iudicis appellationis, appellans tenetur ante concluſionem in cauſa exhibere inſtrumentum appellationis, ita in caſu prædicto tenetur exhibere dictum inſtrumentum de petitione apoſtolorum, ac proteſtatione antedicta, facta coram Notario ac teſtibus, alioquin cadet & ſuccumbet in cauſa. Et hic notandum eſt, ſi appellans modo & forma prædictis non petierit apoſtolos, quod cadet in cauſa appellationis quamvis juſtam habuerit cauſam appellandi quoad negotium principale.

TITUL. CCXL.

De aſſignatione apoſtolorum refutatoriarum.

SI Iudex aut tempore latæ ſententiæ, cum appellatur apud acta, vel in caſu prædicto, in triceſimo die poſt latam ſententiam aſſignaverit apoſtolos refutatorios, vel petitioni tuæ, de apoſtolis dandis nihil decreverit aut ſtatuerit, quamvis appellaveris à ſententia diffinitiva, ſi etiam non appellaveris à denegatione, vel aſſignatione apoſtolorum refutatoriorum ſuccumbes in cauſa. (ſed quære; ita tamen vidi adjudicatum) & potes utraque appellationes hujuſmodi ſimul vel ſucceſſive (ſi ab utriſque appellaveris) proſequi ut in exteris cauſis appellationum à ſententia diffinitiva, & gravaminibus ſeu taxatione expenſa-

rum, & ſi non obtinueris in utriſque, poteris obtinere in una eorundem (*viz.*) appellatione & denegatione apoſtolorum, nam non obtinebis in appellatione à ſententia, ſi omnino non appellaveris à denegatione apoſtolorum.

TITVL. CCXLI.

Quotdua ſunt appellationis.

APpellatio vel eſt à gravaminibus (de qua ſuperius tractatur) vel à ſententia diffinitiva ſeu decreto interlocutorio, habente vim ſententiæ diffinitivæ, de modis & differentijs harum appellationum in titulis ſequentibus tractatur.

TITVL. CCXLII.

Quid ſit appellatio à gravaminibus.

APpellatio à gravaminibus dicitur quando Iudex inferior utpote Epiſcopus alicjus Dioceſis *Cantuar.* provinciæ, ſeu cujus officialis, vel Vicarius generalis, ſeu commiſſarius, in aliqua parte Dioceſis, vel Archidiaconus ſeu ejus officialis, intulit aliquod gravamen Actori, ſeu Reo, ante prolationem ſententiæ utpote in rejiciendo teſtes de jure admittendos, vel non admittendo materiam ſeu allegationes concludentes, & in ſimilibus, & è contra admittendo teſtes & materias de jure non admittendas; ſub hujuſmodi appellationibus hujuſmodi à gravaminibus ſpecificandis

de ſunt gravamina à quibus appellatur ſpecificè, Nam non ſufficit, dicere quod in tali cauſa Actor ſen Reus produxerit teſtes, & Iudex eos admittere recuſavit, vel dedit materiam concludentem quam Iudex rejecit ſed nomina teſtium & contenta in materia rejecta ſunt inſerenda in appellatione & ſic inſimilibus appellationibus à gravaminibus, alioquin non valet appellatio.

Et nota quod omnes appellationes à gravaminibus dummodo non ſunt gravamina habentia vim ſententiæ diffinitivæ debent interponi non viva voce apud acta, ſed in ſcriptis coram ipſo Iudice, vel ſi ejus præſentia commodè haberi non poteſt, coram Notario publico, adhibitiſque teſtibus, idque infra decem dies, nam dubitari poteſt, utrum ſtatutum in quo cavetur appellari poſſe infra quindecem dies locum habeat in appellationibus interponendis à gravaminibus vel tantum ſententijs diffinitivis, vel decretis a gravaminibus habentibus vim ſententiæ diffinitivæ, ſæpe tamen in hujusmodi caſibus ſolet appellari poſt decem dies, & infra quindecim dies, vide ſtatutum 28. *Hen.* 8. Cap. 19.

TITVLVS CCXLIII.

De appellatione à ſententia diffinitiva, vel decreto interloquutorio habente vim ſententiæ diffinitivæ.

QUemadmodum ut ſuperius dicitur de appellatione à decreto interlocutorio, licèt appellare, a ſententia diffinitiva vel a quocunque decreto interlocutorio habente vim ſententiæ diffinitivæ, apud acta Iudicis viva voce tempore latæ ſententiæ, ita etiam ut in præcedentibus titulis tractatur, licet appellare infra quindecim dies in ſcriptis coram Notario publico & teſtibus,

In

In hujuſmodi appellationibus in ſcriptis a ſententijs diffinitivis, ſi lata fuerit ſententia contra Actorem, ſolet appellans declarare in appellatione quod talis Iudex in tali cauſa, ac inter tales perſonas tulit quandam prætenſam ſententiam diffinitivam pro parte *N.* contra dictum *M*, per quam, inter cætera, præfatum *N.* Reum ab inſtantia & petitione dicti *M.* quoad deducta, & narrata in libello ex parte dicti *N* utcunque demiſit præfatumque *M* in expenſis prætenſis ex parte dicti *N*, utcunque factis & fiendis condemnavit. Si verò lata fuerit ſententia contra Reum tunc concipienda eſt appellatio in hunc modum, quod talis Iudex, *&c.* ut ſupra, per quam in cætera, condemnauit me non ſolum in quodam prætenſo legato vel decimis quibuſdam, ſed etiam in expenſis prætenſis, *&c.* Et quamvis non ſolum ex hodierno die, ſed etiam ex antiqua praxi, non ſolent appellantes in caſibus prædictis plura declarare aut ſpecificare, in appellationibus quam quæ ſupra recitantur. Tamen ego arbitror expedire appellantibus plura addere & ſpecificare, (*viz.*) ſequentia. Si actor appellaverit tunc dicere ſe probaſſe ſufficienter libellum ex parte ſua datum, & tamen Iudicem tuliſſe ſententiam abſolutoriam, ut ſupra. Si Reus appellaverit tunc quod quamvis Actor defecerit in probatione libelli, tamen Iudex tulit ſententiam condemnatoriam in legato vel decimis ut ſupra, Quæ vero inſerenda ſunt in appellatione a decreto interlocutorio lege tit. *initio hujus tituli nominatum.*

Titvl. CCXLIIII.

Quid ſit decretum interlocutorium habens vim ſententiæ diffinitivæ.

ILlud dicitur decretum interlocutorium habens vim ſententiæ diffinitivæ quando illud decretum eſt finale, & non ſperatur alia ſententia, ſeu aliud decretum ſuper illo articulo, re, vel cauſa ſed per illud imponitur finis illi rei de qua interloquutum eſt, utpote datur exceptio peremptoria ad impediendum litis ingreſſum vel allegavi proceſſum eſſe retardatum & petij expenſas retardati proceſſus, & Index hanc petitionem rejecit: datur etiam exceptio nomine excommunicati contra certificatorium eo quod fuit injuſtè excommunicatus, & objiciens probavit objecta, & petijt abſolutionem ſine expenſis contumaciæ, ac adverſarium condemnari in expenſis; Iudex tamen pronunciavit partem non probaſſe objecta prædicta ſed defeciſſe, vel ſaltem ſæpius interpellatus ad condemnandum adverſarium in expenſis hujus articuli objectionis contra certificatorium, recuſavit expreſſe vel tacite procedendo ad alia huic petitioni contraria quoad hos caſus, ſive articulos, non ſperatur alia ſententia, ideoque dicta ſententia ſive decretum interlocutorium habet vim ſententiæ diffinitivæ.

Titvl.

TITVL. CCXLV.

De appellatione & taxatione immoderata ſive exceſſiva expenſarum.

SI expenſæ exceſſivæ taxantur, i. e. ſi Iudex exceſſerit in taxatione, oportet appellantem in appellatione ſpecificè declarare, & deducere excessus hujuſmodi ac denotare, ac deſignare primo illas expenſas quæ de jure, & de ſtylo Curiæ ſunt allocandæ, & per partem expoſitæ, & deindè quoniam in ſchedula expenſarum per partem oblata, & per Iudicem taxata continentur tam juſtæ, quam exceſſivæ expenſæ, in hac appellatione mentio facienda eſt de tota hujuſmodi expenſarum ſchedula, & quia ſi ambæ ſchedulæ hujuſmodi, (*vi.*) dicta prima ſchedula in qua juſtæ ac debitæ expenſæ continentur atque etiam integra ſchedula data per partem & per judicem taxata inſerantur in ipſa appellatione & inhibitione (nam inhibitio continet tenorem totius appellationis, nimis longa & prolixa eſſet, ideo annectandæ ſunt hujuſmodi ſchedulæ appellationis his adjectis verbis prout in ſchedulis præſentibus annexis quas pro his lectis & inſertis haberi volo & peto ego Procurator antedictus ut liquet & apparet. Qua ſchedula ſecundâ ſic annexa denotandæ ſunt exceſſivæ illæ expenſæ quæ in eadem ſchedula continentur aut ſpecificè in ipſa appellatione vel per relationem ad tertiam ſchedulam annexam neceſſarium etiam eſt in eadem apellatione concludere, quod ſi hujuſmodi expenſæ exceſſivæ, (id eſt, intelligendum de expenſis in tertia.

ſchedula mentionatis) & non allocandæ, vel earum plures, ſeu aliquæ non fuiſſent per judicem in taxatione ſua generali allocatæ & taxatæ, ſumma ſic taxata non potuiſſet extendere ad tantam ſummam, & in hoc appellans ſolet ſe referre ad hujuſmodi reſpectivè ſchedulas aut expenſas atque taxationem per judicem factam, nam ſolet Iudex in fine ſchedulæ porrectæ taxare expenſas ad quandam certam ſummam.

TITVL. *CCXLVI.*

De deſertione appellationis, & petitione ſuper eadem.

Quia jura dicunt appellationem debere finiri infra primum fatal. (quod eſt annus) alioquin deſertam eſſe appellationem, caveat igitur appellans licèt debitis loco & tempore appellaverit, & partem appellatam ad reſpondendum in cauſa appellationis citari, & proceſſum Iudicis a quo tranſmitti & in cauſa concludi infra annum curaverit id eſt, inſiſtat, & Iudicem appellationis interpellat ad ferendum ſententiam ſuam, infra annum, vel de diligentia ſua in ea parte proteſtetur, quæ ſi non fecerit, pars appellata poterit allegare appellationem fuiſſe deſertam, & Iudex tenetur primo ſuper illo articulo deſertionis pronuntiare,

TITVL

TITVL. CCXLVII.

De modo procedendi ſi perſona in caſu prædicto excommunicata & incarcerata conſentit ſolemnizare matrimonium.

SI Reus excommunicatus & incarceratus in non ſolemnizando matrimonium juxta ſententiam Iudicis per Procuratorem ſuum comparuerit, & idem Procurator nomine Procuratorio ejuſdem Rei obtulerit ſe promptum & paratum ad præſtandum juramentum de parendo juri, & ſtando mandatis Eccleſiæ, & allegaverit eundem Reum fuiſſe, & eſſe promptum & paratum ad ſolemnizandum matrimonium quocunque die per Iudicem aſſignato, & ideo petierit eundem à ſententia excommunicationis ſaltem in diem, vel ad cautelam abſolvi, non tamen abſolvendus eſt donec ſufficiens cautio interponatur quod parebit juri, ſtabit mandatis Eccleſiæ, & ſolemnizabit matrimonium cum Actore die per Iudicem aſſignato. Qua cautione præſtita abſolvendus eſt in diem (*viz.*) in proximum diem Iuridicum proxime ſequentem diem aſſignatum ad ſolemnizandum matrimonium, & hic notandum eſt quod licet in cæteris cauſis & caſibus Reus excommunicatus propter aliquod crimen ſeu contemptum Eccleſiaſticum non ſit abſolvendus priuſquam ille Iudicis mandato ſatisfecerit propter quod fuit excommunicatus (exempli gratia) excommunicatus non ſolvendo expenſas, decimas, legatum, & procurationes, non eſt abſolvendus priuſquam ea perſolverit. Similiter excommunicatus in non reſpondendo

ſpondendo libello non eſt abſolvendus priuſquam ei reſponderit, quia tamen matrimonium non eſt ſolemnizandum per perſonas excommunicatas, ideo in iſto caſu interpoſita cautione antedicta ad diem ſeu ad cautelam, & præſtito juramento prædicto de parendo juri abſolvenda eſt pars prius excommunicata.

TITVL. CCXLVIII.

De particulari appellatione à rejectione materiæ ſive allegationis.

IN titulo quid ſit appellatio à gravaminibus dicitur inter cætera quod in hujuſmodi appellationibus à gravaminibus ſpecificanda ſunt hujuſmodi gravamina & quod non ſufficit appellanti dicere, aut in appellatione allegare, appellantem talem dediſſe materiam & judicem eandem rejeciſſe, ſed contenta in materia rejecta eſſe in eadem appellatione inſerenda dicto titul. adde ſequentia, quod etiam in hujuſmodi appellationibus à rejectione allegationis vel materiarum (quamvis concludentium) non ſufficit ut obtineas in appellatione, inſerere contenta in materia ſeu allegatione rejecta, in appellatione, ſed quod etiam probanda ſunt hujuſmodi contenta, nam alias ſuccumbes in cauſa quia præſumendum eſt pro Judice à quo, quod aut propoſita fuit hujuſmodi materia rejecta animo differendi litem plus juſto, aut quod pars non potuit eandem probare, adde etiam quodſi in materia rejecta continentur aliqui articuli ſive poſitiones aliquæ de jure non admittendæ, quia ſunt impertinentes ad cauſam, vel prius poſitæ, aut prius poſitis (ſuper quibus

bus testes fuerunt producti, jurati, examinati, & eorum dicta publicata, & per partes didiscita & percontata) contrariæ, & dato quod in appellatione probasti veritatem omnium hujusmodi articulorum, Iudex tamen appellationis non debet hos articulos admittere, sed reliquos pertinentes ac de jure admittendos, ac appellans in hoc casu est condemnandus in expensis saltem non obtinebit expensas, & si obtinuerit expensas, modicas tamen & exiguas obtinebit, ratio est quia semper in dubio præsumendum est pro Iudice & dici possit Iudicem à quo, hujusmodi allegationem, aut materiam rejecisse, ex eo quod continebat diversa capita, aut diversos articulos non admittendos vel quod Iudex hujusmodi materiam rejiciendo illos tantum rejicit articulos qui non fuerunt admittendi, sed quære, quia appellatus petendo totam materiam rejici & non consentiendo nec coram Iudice a quo, nec ad quem, ut ille positiones admitterentur, quæ de jure admitti debuissent fuit in mala fide & mora, & dedit occasionem seu causam appellandi a rejectione earundem, caveant itaque Procuratores quod in hujusmodi appellationibus a rejectione materiæ, si dubitant de aliquo articulo an sit admittendus ut potius omittant, quam inserant in appellatione, & ita omittendo articulos non admittendos, tollent omnem controversiam de expensis allocandis, & non allocandis, vel moderandis. Lege titul. *De oblatione probationis incontinenti.*

TITVL.

Titul. CCXLIX.

Quod in cauſa appellationis à gravaminibus illatis in cauſa correctionis judex à quo, poteſt citari ad reſpondendum in cauſa appellationis licet non appelletur ſpecificè quoad eum.

IN omni appellatione a gravaminibus præſertim in cauſa correctionis dicitur gravamina fuiſſe illata tam ex officio Judicis a quo appellatur, Quam ad inſtantiam *M.* & *N.* ſolent tamen appellantes in his caſibus (ob reverentiam Judicis debitam) petere citationem decerni contra dictos *M.* & *N.* & non contra Judicem ad reſpondendum in cauſa appellationis, ſi tamen in proceſſu tranſmiſſo non apparebit gravamina a quibus appellatum fuit illata fuiſſe ad inſtantiam partis, ſed ex officio Judicis, appellans poterit in hoc caſu petere a judice ad quem poſt litem conteſtatam cum parte appellata ut decernat citationem contra Judicem a quo ad reſpondendum in cauſa appellationis, & eo comparente novum dare libellum & ſtatim exhibere proceſſum ejuſdem Judicis alias per eum (*viz.*) per judicem a quo in dicta cauſa, & inter dictas perſonas tranſmiſſum & in præſentia ejuſdem judicis, ſeu ejus procuratoris procedere in cauſa ad ſententiam. Et ſi Judex a quo non poſſit juſtificare proceſſum ſuum, ferenda eſt ſententia abſolutoria pro appellante quoad objecta, per judicem a quo & idem judex condemnabitur in expenſis iſtius ſecundæ inſtantiæ; dimittenda tamen eſt primo pars appellata cum expenſis, hoc obtinui (*viz.*) judicem vocari in judicio contradictorio. Sed hic notandum eſt quod licet in præcedenti titul. dictum

ſit

sit quod si in processu transmisso gravamina non appareat fuisse illata ad petitionem partis appellatæ specificè nominatæ in appellatione & appellantem posse petere ut procedatur contra Judicem a quo, & ut vocetur idem Judex ad respondendum in causa appellationis tamen licet appellanti probare per testes partem appellatam officium Judicis promovisse vel Judicem a quo ad procedendum in dicto correctionis negotio instigasse non obstante quod ab eo nihil transmittitur in processu transmisso & hoc probato obtinebit contra utrosque, id est, contra partem primam appellatam & Judicem.

Titul. CCL.

De modo justificandi appellationem à taxatione expensarum.

RAro aut nunquam (quod memini) novi appellantes in isto casu obtinuisse, partim quia appellationes non fuerint concludentes nec specificè denotantes expensas excessivas, partim quia etsi Judex excesserit modum in taxatione, tamen appellantes in probatione istius excessus deficiant, ut igitur appellantes ab excessiva taxatione obtinere possunt hoc modo probandi sunt hujusmodi excessus, seu excessiva taxatio, si in schedula expensarum excessivæ expensæ petitæ fuerunt pro expeditione commissionis in partibus (quod communiter peti solet) producatur in testem notarius adhibitus vel assumptus pro expeditione commissionis hujusmodi, si ulla excessiva summa petita fuerit tanquam data commissarijs pro eorum laboribus circa expeditionem hujusmodi commissionis, si summa excessiva petita

rit pro vlaticis teſtium, vel alijs expenſis tam pro iiſdem teſtibus quam pro commiſſarijs utpote pro eorum cibarijs producantur dicti commiſſarij & teſtes, nec non illæ perſonæ in quarum ædibus commiſſarij & teſtes hujuſmodi cibaria habuerunt quæ perſonæ proculdubio deponere poſſunt de veris reſpective ſummis receptis & expoſitis. Si etiam in dicta expenſarum ſchedula major ſumma petita fuerit pro examinatione teſtium, pro copijs teſtium, pro feodo Procuratoris quam de ſtylo Curiæ debetur (in qua cauſa agitata fuit) ſtylus hujuſmodi & vera ſumma ex ſtylo debita, ſine allegandi & probandi per appellantem qu a hujuſmodi expenſæ non poſſunt probari ex inſpectione proceſſus Judicis a quo, ſed ſi in billa expenſarum prædicta pars eadem taxari obtinens, petierit feodi alia pro examinatione & copijs plurium teſtium quam examinati fuerint, vel ſi petatur pro feodis Procuratoris & Advocati vel ſollicitatoris pro termino aliquo, ante litem motam, vel cum nihil omnino actum fuerit in cauſa, quia cauſa ſteterit in compromiſſo per duos aut tres terminos, hujuſmodi exceſſus juſtificari poſſunt ex ipſis actis. Si deductis hujuſmodi expenſis exceſſivis & non allocandis conſtiterit, quod ſi hujuſmodi expenſæ exceſſivæ, vel earum aliquæ non fuiſſent per Judicem a quo in dicta generali taxatione ſua allocatæ, quod reliquæ ſummæ aut expenſæ in dicta expenſarum ſchedula ſpecificatæ non potuiſſent extendere ad ſummam taxatam, appellans obtinebit in appellatione. Sed notandum eſt, quod quamvis Judex appellationis reformabit decretum taxationis expenſarum interpoſitum per Judicem a quo, ac condemnabit appellatum in expenſis totius appellationis, tamen ſi hoc ab eo petitum fuerit idem Judex ad quem taxabit, ac parti appellatæ allocabit juſtas & debitas ſuas expenſas compelletque appellantem ad ſolvendum eaſdem ſi

appellatus

appellatum fuerit tantum ab excessiva taxatione, nam si appellatum fuerit tam a sententia diffinitiva quam a taxatione expensarum, & judex appellationis simul procedens in utraque causa tulerit sententiam contra partem appellatam per quam retractaverit sententiam latam per judicem a quo, quoad causam principalem, appellatus in hoc casu in dicta causa appellationis a taxatione expensarum, non obtinebit novam taxationem expensarum, nam appellans liberandus est ab omnibus expensis & obtinebit etiam expensas primæ instantiæ; Legetur. *In quo casu faciendæ est expensarum compensatio.*

TITULUS CCLI.

Modus procedendi in causa appellationis a gravaminibus.

PRocedendum est in omnibus in causa appellationis a gravaminibus ut in causa appellationis a sententia diffinitiva, quoad contestatione vel non contestationem litis, quoad conclusionem in causa, & quoad exteros actus judiciarios & ordinarios, nam causa gravaminis quoad ista sequitur naturam causæ principalis, id est, si causa principalis seu originalis fuerit plenaria vel summaria causa, ita etiam causa appellationis. Excipe tamen quod in causa gravaminis non licèt non allegata allegare, & non probata probare, ut in causis appellationum a sententijs diffinitivis, nam gravamina justificanda sunt ex ipsis actis judicis a quo, nisi gravamina fuerint omissa ex processu vel nisi registrarius noluerit petita per appellantem, seclusi petitionem admissionis materiæ in actis scribere, vel nisi appellatur a verbis comminatorijs judicis judicialiter prolatis, vel non nisi constiterit ex actis

judicis

appellatum, (id eſt, ille ad cujus petitionem prætenditur officium judicis eſſe promotum) ſolicitaſſe judicem ad procedendum in cauſa correctionis ex officio judicis, quamvis appellatus illud revera promoverit, nam in iſtis caſibus correctionum plerumque ſolent appellantes (ut ſuperius dicitur in favorem judicis, & ob reverentiam illi debitam citare & procedere contra promotorem officij judicis, & non contra judicem, ſed ſi ex ipſis actis judicis à quo, non apparuerit aut conſtiteret, gravamina quibus appellatur fuiſſe illata ad inſtantiam alterius, cauti Procuratoris eſt, in ipſa prima inhibitione obtinere citationem contra judicem à quo, ad reſpondendum in cauſa appellationis, ratio eſt quia ſæpiſſime appellans gravatur magnis expenſis, in probando illum alterum fuiſſe promotorem officij judicis, & ſi directe hoc non probaverit abſolvitur appellatus cum expenſis, quamvis judex injuſtè, & nulliter proceſſerit in cauſa, ſecus ſi judicem à quo, fecerit partem in appellatione, nam tunc ſi aut iniquitas aut nullitas ulla ex proceſſu tranſmiſſo apparere poſſit, obtinebit ſententiam contra judicem cum expenſis, Lege titul. *Quod in cauſa appellationis à gravaminibus præſertim latis in cauſa correctionis &c.* & æquitati admodum conſentaneum eſſe videtur ut judex habeat præmia & ſolvat expenſas, ſi injuſtè proceſſerit etiam in caſu quando promotum etiam voluntariè fuit officium ejus, licèt enim iniquum aliquod a juſtice petitum fuerit, Judex tamen æquum decernere debuit, & ſi appellans ſive ex ipſo proceſſu judicis à quo, ſive ex aliis probationibus, in caſibus prædictis probaverit intentionem ſuam obtinebit ſententiam cum expenſis, & appellatur ſi fuerit Actor in prima cauſa, tenetur eandem proſequi coram dicto judice ad quem, ſi noluerit appellans, poterit etiam in cauſa principali obtinere ſententiam abſolutoriam cum expenſis.

TITVL.

TITVL. CCLII.

Quando expedit appellato fateri gravamina ad vitandas expensas.

I appellatus credit appellantem juste appellasse, expedit ad lites amputandas & expensas evitandas, ut idem appellatus tempore relatæ inhibitionis fateatur gravamina in inhibitione, vel in libello (si sit datus) specificata, & consentiat ut procedatur in principali negotio, & ut expensas ea de causa factas offerat, nam appellans non tenetur procedere in causa principali si gravamina fuerint confessata, nisi solutis hujusmodi expensis gravaminis, quibus solutis, si appellans fuerit Actor, in prima instantia rogandus est ad procedendum in causa principali, juxta formam retroactorum coram Judice à quo, & si appellatus fuerit Actor in prima instantia, poterit procedere in causa principali invita parte appellante, quia appellans appellando consentiit in Judicis appellationis, eosque suæ causæ Judices fecit.

TITVL. CCLIII.

Quod appellatus in cauſa gravaminis invita parte appellante procedere poterit in cauſa principali, non diſcuſſo gravamine & non ſolutis expenſis, niſi in fine litis, ſi gravamina fuerint juſtificata.

SI in cauſa matrimoniali reus ſciens actorem poſſe plene probare ſive per teſtes, ſive per confeſſionem, ejuſdem Rei contractum matrimonialem allegati animo & intentione protrahendi litem, & gravandi actorem infinitis expenſis, & evitandi proſationem ſententiæ diffinitivæ pro matrimonio allegato, à prætenſis gravaminibus, cum nulla omnino illata fuerint, appellaverit. Similiter ſi reus in cauſa legati, ſi laltem foetus pinguis legatum ut poſſit per frivolas appellationes litem protrahere, & penes ſe hujuſmodi legatorum lite pendente retinere, ac expenſas ejuſdem litis ex fructibus legati perſolvere, appellaverit à prætenſis gravaminibus cum nulla penitus cauſa gravaminis illata fuerit, poterit in his caſibus appellatus quamprimum inhibitio fuerit relata coram judice appellationis contendere ut procederetur per judicem appellationis in cauſa principali juxta formam retroactorum coram judice à quo, & quod appellans appellando recuſavit judicem à quo tanquam ſibi ſuſpectum & minus indifferentem, & conſentiit pro parte ſua in judicem appellationis nolens volens eſt cogendus ad procedendum in cauſa principali, & appellatus non tenetur fundere expenſas gravaminis, poterit tamen appellans ſi credit ſe juſtè appellaſſe procedere etiam in negotio gravaminis, & ſi ex proceſſu conſtiterit appellantem habuiſſe juſtam cauſam appellandi, obtinebit ſententiam cum expenſis, & contra, ſi defecerit cogendus eſt ad ſolvendum parti appellatæ expenſas ſuas.

TITVL.

TITVL. CCLIIII.

Cujus ſumptibus proceſſus Iudicis à quo ſit tranſmittendus, ſi gravamina fuerint confeſſata.

SI ante tranſmiſſum proceſſum judicis a quo, appellatus confeſſus fuerit gravamina, & conſenſerit ut procedatur in cauſa principali, & ſolverit expenſas gravaminis ut in titulo praedicto appellans ſi fuerit actor in prima inſtantia tenetur ſuis ſumptibus proceſſum tranſmittere; Alioquin judex ad quem, non poſſit procedere in cauſa principali. Similiter ſi appellatus fuerit Actor in prima inſtantia, & cupit ut Judex appellationis procedat in cauſa principali curabit ſuis ſumptibus proceſſum tranſmitti. Poteſt etiam reus in prima inſtantia ſive fuerit appellans, ſive pars appellata, ſi noverit actorem injuſtam inſtituiſſe actionem in prima inſtantia, & ſe ex eo dicat plurimas expenſas erogaſſe, ut eas recuperet in appellatione, curare ſuis ſumptibus proceſſum tranſmitti. Sed dato quod appellatus non vult fateri gravamina ſed animo evitandi litem & futuras expenſas conſentiat in judicem appellationis & de procedendo in negotio principali, tunc ſi appellans credit ſe poſſe juſtificare gravamina, & vult de eo ulterius inſtigare debet ſuis impenſis tranſmittere proceſſum, quod ſi recuſaverit, eſt condemnandus in expenſis factis parti appellatae ratione gravaminis, & è contra, ſi proceſſus fuerit tranſmiſſus & in eo apparuerit gravamina fuiſſe illata, appellatus eſt condemnandus in expenſis, cavetur tamen appellatus ne ulterius procedat in cauſa gravaminis, ſi credat ſe non poſſe juſtificare illud, & ad evitandas expenſas ipſe etiam conſentiat cum appellato de procedendo in cauſa principali, omiſſa cauſa gravaminis.

TITVL. CCLV.

In quibus casibus Iudex potest condemnare partem obtinentem in sententiam in expensis, vel absolvere partem contra quam lata est sententia ab expensis.

Si in causa matrimoniali Actor probaverit contractum matrimonialem per unum testem omni exceptione majorem, & tractatum per alios, vel probaverit recognitionem contractus per duos testes præsentibus partibus (vidi etiam expensarum condemnationem si actor probaverit recognitionem per duos testes in absentia partis dummodo etiam probetur tractatus matrimonij) vel si probaverit contractum per verba de futuro per duos testes & tractatum per eosdem seu alios testes vel probaverit matrimonium per verba de præsenti per duos testes, & hujusmodi probationes postea tolluntur per exceptiones legitimas parti tamen producenti incognitas, vel si probationes Actoris factæ fuerunt dubiores, hoc est, si testes desierint esse testes omni exceptione majores, ratione prioris contractus, seu matrimonij vel per subsequentem solemnizationem matrimonij (lite pendente) habitam, In istis solet Iudex quamvis tulit sententiam pro Reo, condemnare obtinentem sententiam in expensis factis per Actorem. Sed si probetur tractatus tam de matrimonio quam de dote assignanda iteratis vicibus factus, ac receptio & datio hinc inde donorum præsertim Annulorum, Iudex solet absolvere Actorem ab expensis litis, quia in hoc casu dicitur eam habuisse justam causam litigandi.

TITVL. CCLVI.

In quibus casibus appellatus, licet sententia in appellatione sit lata contra eum, non est tamen condemnandus in expensis.

I obtinui sententiam pro me in prima instantia, ex depositionibus testium plene probantium intentionem meam, & pars adversa habens justas exceptiones mihi incognitas non probaverit illas in prima instantia, sed in secunda instantia, non obtinebit expensas nec primæ nec secundæ instantiæ. Nam sufficit ei quod obtinuit in causa principali & quod excusatur ab expensis, secus si appellatus dederit exceptiones contra hos testes & nihil probaverit. Similiter si appellans obtinuerit sententiam per novas probationes factas in causa appellationis non ad merita causæ, non obtinebit expensas primæ instantiæ, quia pars quæ obtinuit sententiam in prima instantia præsumitur fuisse in bona fide & potuit stare pro defensione sententiæ pro parte sua latæ; Fallit tamen si appellatus fuerit in mala fide ab initio, hoc est si defensio illa quæ probatur in secunda instantia per appellantem fuerit parti appellatæ cognita, utpote solutio legati, vel decimarum petitarum in prima instantia per appellantem, in quo casu condemnanda est pars appellata in integris expensis utriusque instantiæ licèt obtinuerit sententiam pro se in prima instantia.

TITVLVS CCLVII.

In quo caſu facienda eſt expenſarum compenſatio.

SI Actor obtinuerit ſententiam in cauſa decimarum, in majori ſumma, ſeu pro pluribus decimis, quam quæ probatæ ſunt, ſive ex confeſſione partis ſive ex probationibus per teſtes rem habet juſtam cauſam appellandi & his probatis obtinebit ſententiam, in quâ appellatione prima ſententia retractabitur quoad hujuſmodi exceſſus tamen erit condemnatoria quoad juſtas decimas, videtur in iſto caſu, quod quoniam appellans habuit juſtam cauſam appellandi debeat obtinere expenſas appellationis non tamen obtinebit, ratio eſt quia id quod debebatur non obtulit & ita in mora & mala fide fuit non offerendo juſtum debitum, Et è contra, videtur quod obtinens ſententiam pro majore ſumma quam illa quæ juſte debebatur & non renuncians hujuſmodi majori ſummæ quamprimum noverit appellatum fuiſſe à ſententia per adverſarium ſed in lite perſiſtens eſt in mora & mala fide & ideo condemnandus in expenſis, Ideoque in his caſibus fienda eſt expenſarum compenſatio nam uterque merito puniendus eſt, caveant igitur Procuratores primo Procurator in caſu prædicto appellans, ut in oppoſitione & proſecutione ejuſdem expreſſe proteſtetur quod acquieſcit ſententiæ quoad tales decimas vel talem valorem quod intendit proſequi appellationem quoad prædictos exceſſus tantum & afferat appellans judici aliter coram judice appellationis in primo congreſſu liets ſummam debitam, deinde caveat Procurator appellati

pellati quod in caſu prædicto primo & ante omnia renunciet beneficio exceſſus prædicti aut coram Iudice à quo infra decem dies idque in præſentia partis adverſæ vel coram Iudice ad quem in die primæ ſuæ comparitionis, & tunc ſi appellans ulterius litigaverit eſt in expenſis condemnandus.

TITVL. *CCLVIII.*

De proſecutione appellationis à parte ſententiæ tantum.

SI generaliter appellatur à tota ſententia pars appellata poterit inhærere oppoſitioni adverſarij, & uti beneficio ejuſdem (licèt omnino non appellaverit ab eadem) utpote quia Iudex non condemnavit appellantem in expenſis vel in caſibus infra ſcriptis & ſi coram Iudice appellationis conſtare poſſit quod Iudex à quo debuiſſet ex ipſis probationibus coram eo factis condemnare appellantem in pluribus decimis ſeu majore valore decimarum vel in majori ſumma pro legato petito, appellatus debet (quoad iſta) id eſt, quoad majores decimas ſeu majorem valorem obtinere ſententiam coram judice ad quem, & hoc etiam locum habet ſi in appellatione appellatus probaverit majorem deberi ſummam quam eam quæ continetur in prima ſententia judicis à quo, ſed in caſibus prædictis mentionatis in titulo, *In quibus caſibus Iudex poteſt condemnare partem obtinentem ſententiam in expenſis*, appellatur tantum in eo quod Iudex condemnavit actorem obtinentem ſententiam in expenſis vel non condemnavit partem adverſam in expenſis & appellans acquieſcit ſententiæ quoad cætera, (*viz.*) quoad cauſam

ſam principalem. In iſto caſu appellatus niſi ipſe etiam appellaverit à ſententia diffinitiva & eam etiam fuerit proſecutus non poteſt uti beneficio appellationis prædictæ limitatæ nec inhærere appellationi adverſarij nam in eo acquievit ſententiæ & ſufficit appellanti in iſtis caſibus probare latam fuiſſe ſententiam pro parte ſua & contra partem adverſam, & ex eo ſequitur illa concluſio generalis quod victus victori condemnabitur in expenſis.

TITVL. CCLIX.

De modo procedendi in cauſa appellationis ad curiam Reverendiſſimi Archiepiſcopi Cant.

IMprimis ſi appellatio interpoſita fuerit à gravaminibus ſeu ſententia diffinitiva lata per Iudicem inferiorem in partibus impetranda eſt inhibitio a judice ad quem (*viz.*) à curia de Arcubus vel audientiæ in quâ inhibitione reſcribi vel inſeri ſolet citatio partis pro qua lata eſt ſententia vel ad cujus petitionem illatum eſt gravamen quæ dicitur pars appellata ad reſpondendum in cauſa appellationis & vigore dictæ inhibitionis eſt Judici a quo & ejus Regiſtrario & parti appellatæ inhibendum nè ulterius procedant ad executionem ſententiæ latæ contra appellantem pendente appellatione nec quicquam faciant in præjudicium ejuſdem. Iſta inhibitio eſt certificanda judici ad quem cum certificatorio in dorſo quo die erat inhibitum Iudici & parti, & quo die pars appellata fuit citata ad reſpondendum in cauſa appellationis, & ſi pars appellata non comparuerit eſt excommunicanda modo & forma ut in originali citatione in titulo, *De exhibitione citationis coram Iudice.*

TITL

TITVL. CCLX.

De forma comparitionis appellati.

EGo *M.* sub protestatione de non consentiendo in Dominum Iudicantem hujus Curiæ tanquam in judicem mihi competentem neque de ejus jurisdictione quovis modo proroganda nisi si & quatenus ad id de jure astringor & ea protestatione mihi semper salva & pro repetita in singulis actis habitis gestis vel quovis modo gerendis habita, exhibeo procuratorium meum literatorium vel apud acta si ita sit constitutus pro *N.* parte adversa prætensa ac facio me partem pro eodem ad peto libellum, vel partem meam dimitti ac causam remitti Iudici à quo, unà cum expensis, & tunc appellans aut dabit libellum, aut petet terminum usque in proximum ad libellandum. Et nota quod necessaria est protestatio in principio hujus tituli ne appellatus dicatur consentire in Iudicem.

TITVL. CCLXI.

De decreto ad prosequendam appellationem.

QUia sæpissimè appellans inhibet Iudici à quo est appellata virtute inhibitionis Iudicis ad quem appellavit, & claudit ejus manus quo minus possit ulterius procedere ad executionem latæ sententiæ suæ, & non curat citare partem appellatam vel forsan eam citat, sed non certificat inhibitionem. Procurator appellati potest comparere coram Iudice ad quem

ſub forma ſequente. Ego ſub proteſtatione de non conſentiendo in vos Dominum Judicem neque ad quovis modo prorogandam veſtram jurisdictionem, niſi quatenus ad id de jure aſtringor, & ea proteſtatione mihi ſemper ſalva ac pro repetita in omnibus per me dictis, vel dicendis, geſtis, vel gerendis, habita, exhibita Procuratorium meum literatorie pro N. N. pro parte appellata, ac facio me partem profitendo, & ſub prævijs meis proteſtationibus allego vic. partem appellantem obtinuiſſe ab hac curia literas quidem inhibitorias, & citatorias ad inhibendum Judici à quo & dicto Domino meo, (i. e.) parti appellatæ, & vigore earundem inhiberi curâſſe dicto judici à quo & tamen non curaſſe citare partem appellatam, vel forſan citaſſe & non curaſſe illam citationem certificare, nec cauſam appellationis proſequi, & ideo peto ut vos Domine Judex decernatis appellantem citandum fore erga diem aliquem competentem ad proſequendum hujuſmodi appellationem ſub pœna remiſſionis cauſæ judici à quo & dimiſſionis partis appellantis cum expenſis. Tunc Judex, decernimus, ſtatuendo diem comparitionis appellanti. Nota quod prædicta proteſtatio in die comparitionis partis appellatæ eſt admodum neceſſaria, nè forſan videatur comparendo ſimpliciter ſine prædicta proteſtatione conſentire in judicem appellationis, nam ſi non ſit legitimè appellatum, Judex non habet poteſtatem cognoſcendi in cauſa appellationis quia per appellationem fundata eſt jurisdictio judicis ſuperioris, & ſuſpenſa eſt jurisdictio judicis inferioris & licèt per appellationem fundata ſit jurisdictio judicis ſuperioris, tamen ſi appellatus comparuerit coram eo ſine prædictis proteſtationibus, videtur conſentire in eum tanquam in judicem competentem, ſed hoc intelligendum eſt de judice ordinario ad univerſitatem causarum, etiam appellationum.

TITVI

TITVL. CCLXII.

De dimiſſione partis appellatæ cum expenſis ſi appellans citatus ad proſequendum non comparuerit.

SI appellans fuerit ad effectum prædictum legitimè citatus, Procurator appellati concipiet certificatorium in forma prædicta, ut in tit. *De certificatorio citationis*, & in die comparitionis appellantis dicet exhibeo ſub prævijs meis proteſtationibus mandatum veſtrum originale, id eſt, decretum ad proſequendum una cum certificatorio in dorſo ejuſdem, & accuſo contumaciam *N.* partis prætenſæ appellantis, citatæ ad comparendum iſtis die & loco & cauſam ſuæ appellationis debitè proſecuturæ ſub pena finalis dimiſſionis & remiſſionis ejuſdem judici a quo una cum expenſis, & non curantis proſequi, quare peto eum reputari contumacem & in pœnam ſuæ hujuſmodi contumaciæ cauſam hanc remitti judici a quo, ac partem appellatam dimitti, & partem appellantem condemnari ad expenſas factis & faciendis ex parte appellati. Tunc Judex faciet partem appellantem per præconem Curiæ ſeu apparitorem, vel Bedellum Curiæ, aut eo deficiente alium quemcunque trina vice publicè præconizari, & ſi non comparuerit dicet Nos ad petitionem *N.* pronunciamus *N.* partem appellantem contumacem & in pœnam hujuſmodi contumaciæ dimittimus partem appellatam una cum expenſis, & remittimus cauſam judici a quo, & licentiamus eum ad proſequendum in cauſa principali, coram eo inceptâ, non obſtante inhibitione ſupra

auctoritate noſtra alias emanata, & tunc judex ad petitionem partis appellatæ taxabit expenſas prædictas ad ſummam triginta trium ſolidorum quatuor denariorum, & decernet monitionem ad ſolvendum expenſas ut in titulo *De forma demandandi ſententiam executioni*, &c. Et nota quod iſto caſu (*viz.*) pro non proſecutione appellationis ex ſtilo omnium curiarum Reverendiſſimi Archiepiſcopi per tempus immemorabile uſitato, non ſolet ſchedula expenſarum concipi nec juramentum ſuper taxatione præſtari, nec in alijs taxationibus expenſarum litis, ſed quære utrum hic ſtilus curiæ valet contra jura, quæ dicunt taxationem expenſarum ſine juramento eſſe nullam, ſed nunquam vidi hunc caſum controverſum, id eſt, de omiſſione juramenti ſuper taxationem illarum expenſarum quæ de ſtilo debentur.

TITULUS CLXIII.

De oblatione libelli in cauſa appellationis.

IN tam appellans quam appellatus per Procuratores coram Iudice ad quem eſt appellatum comparuerit, appellans dicet do libellum & peto procedendum fore ſummariè & de plano, & in omnibus eſt petendum & per judicem decernendum ut ſupra in oblatione libelli in prima inſtantia in titulo *De datione libelli*, &c. hoc excepto, quod ante aſſignationem termini probatorij pars appellans petat ut ſequitur, placebit decernere monitionem contra Iudicem a quo, & ejus actorum ſcribam ad tranſmittendum coram vobis tali die totum proceſſum ac acta ac geſta quæcunque

cunque coram eo (*viz.*) Iudice à quo in hac cauſa. Tunc Judex; decernimus, ſtatuendo diem certum ad tranſmittendum. Deindè petat appellans (& ſi appellans non petierit tunc petat appellatus) terminum competentem ſibi aſſignari ad probandum dictum libellum, cui Judex aſſignabit proximum diem juridicum ſequentem diem aſſignatum ad tranſmittendum proceſſum. Et notandum eſt hic quod omnis cauſa appellationis retinet naturam cauſæ principalis & eo modo procedendum eſt tam in conteſtatione litis quam in concluſione cauſæ, nempè ſummariè in ſummarijs & plenariè in plenarijs: fallit in cauſis appellationum coram delegatis Regijs nam ex ipſa comiſſione regia cauſa ſic delegata eſt, ut ſummariè procedatur in eadem, & ſemper ita procedere ſolebant judices delegati quamvis cauſa originalis fuerit cauſa plenaria.

TITVL. CCLXIV.

De probationibus in cauſa appellationis.

IN cauſa apelationis à ſententia diffinitiva licèt tam appellanti quam parti appellatæ non allegata coram Iudice à quo allegare, & non probata probare dummodo non obſtet publicatio teſtium productorum in prima inſtantia, Secus in cauſa appellationis a gravaminibus quæ debent ex ipſo proceſſu & actu Iudicis a quo probari, niſi gravamina a quibus ad Iudicem ad quem appellatur fuerint omiſſa, ex proceſſu Iudicis a quo tranſmiſſo, vel Iudex a quo ſeu ejus Regiſtrarius inactitare recuſavit hujuſmodi gravamina, per quæ appellans credit ſe gravatum eſſe, Lege titulum, *Modus procedendi in cauſa appellationis à gravaminibus*, ubi latius de his tractatur.

TITUL. CCLXV.

De attemptatis poſt inhibitionem.

SI Judex a quo poſt inhibitionem in eum executam, vel poſtquam fuerat ab ejus ſententia in actis appellatum, vel pendente termino, dato ad proſequendum appellationem vel infra terminum de jure (*viz.*) decem dies vel ſtatutis hujus regni ad appellandum indultum (*viz.*) quindecem dies aliquod decretum appellanti in aliquo præjudiciale interpoſuerit utpote eum excommunicaverit, vel aliquam aſſignationem parti appellanti præjudicialem fecerit, vel ſi pars obtinens ſententiam poſt interpoſitam appellationem ab eadem in ejus præſentia & poſt quam fuerit ſibi vel Judici de ejus ſcientia inhibitum, vel ut ſupra pendente hujuſmodi ad appellandum de jure indultum aliquid attemptaverit in præjudicium appellationis, tunc Procurator appellantis dicet coram Judice ad quem, allego me debitis loco & tempore appellaſſe a ſententia diffinitiva lata per Judicem a quo, in tali cauſa & inter tales perſonas vel a quibuſdam gravaminibus & fuiſſe eidem Judici, & parti appellate etiam debitis loco & tempore, virtute inhibitionis, hujus curiæ inhibitum, prout in certificatorio ejuſdem penes regiſtrarium remanente plenius liquet, & quod hujuſmodi inhibitione non obſtante, Judex a quo proceſſit in dicta cauſa attemptando contra dictam inhibitionem, & hic exprimenda ſunt attentata per Judicem & partem, & ideo peto hujuſmodi attemptata primo & ante omnia revocari. Tunc ſi pars appellata non inficiatur allegata hujuſmodi, Judex ad quem debet eadem

revocare

revocare, nam hæc allegatio de revocandis attemptatis ſolet allegari in præſentia Procuratoris partis appellatæ, ſed ſi inficiata fuerint hujuſmodi allegata, tunc probanda ſunt per acta Curiæ Iudicis a quo, & certificatorium inhibitionis, vel per teſtes, ſi attemptata fuerint facta per appellatum extrajudicialitèr; & deindè revocanda ut ſupra, & pars eadem inficians eſt condemnanda in expenſis factis per appellantem in probatione hujuſmodi attemptatorum, poteſt etiam appellans vocare Iudicem a quo, ad reſpondendum in cauſa contemptus, & præmiſſa objicere & ſi conſtare poſſit modo præmiſſo de attemptatis, Iudex ad quem non ſolum debet attemptata, prius & ante omnia, revocare, ſed etiam Iudicem attemptantem & partem appellatam ſi ea petente, facta fuerint, arbitrio ſuo corrigere, & condemnare utroſque in expenſis, & nota quod ſi appellans vult procedere in negotio attemptorum, non eſt cogendus ad proſequendum appellationem ſeu ad procedendum in cauſa appellationis, niſi primo diſcuſſis attemptatis & eis retractis: ſaltem at illud eſt primo & ante omnia petendum, nè videatur recedere ab eiſdem, caveat tamen appellans nè deferatur ejus appellatio proſequendo cauſam attemptatorum & omittendo proſecutionem cauſæ appellationis cum poſſit in ſimul procedi in eiſdem.

TITUL.

TITUL. CCLXVI.

De modo proſequendi appellationem ad Regiam Majeſtatem.

OMnes appellationes a Reverendiſſimo *Cantuarienſi* Archiepiſcopo, vel ab ejus Curijs & judicibus, utpote a curijs de Archubus Audientiæ & Prærogativæ interponendæ ſunt ad Regiam Majeſtatem, & Curiam Cancellariæ, & Procurator appellantis ſolet concipere formam commiſſionis quam intimare debet alicui Cancel. Magiſtro ad hoc ſpecialiter deſignato, una cum inſtrumento appellationis, ſi fuerit coram Notario Publico extrajudicialiter appellatum, vel cum vera copia actus habiti coram Judice a quo, ſubſcripti manu propria Actoris ſcribæ ejuſdem Judicis, ſi appellatum fuerit apud acta tempore prolationis dictæ ſententiæ; Qui magiſter per ſubſcriptionem manus ſuæ teſtificabitur diem exhibitionis coram eo hujuſmodi commiſſionis, & poſtea Procurator impetrabit eandem ſub ſigillo magno *Angliæ* & præſentabit eandem Judicibus inde delegatis ſub hac forma; Ego *N.* ex parte illuſtriſſimi Domini noſtri Regis, præſento dominationibus veſtris has literas commiſſionales, & peto dignemini acceptare in vos onus executionis earundem, & decernere inhibendum fore tam Judici a quo, quam parti appellatæ, & eandem partem eſſe citandam ad comparendum tali die ad reſpondendum in cauſa appellationis; Tunc Judices, nos ob honorem ſereniſſimi Domini noſtri Regis onus executiones

executionis harum literarum commiſſionalium in nos acceptamus, & decernimus procedendum fore juxta tenorem earundem, & decernimus inhibendum fore Iudici à quo, & parti adverſæ, ac omnibus alijs, ut ſupra in titulo *De modo procedendi in cauſa appellationis*, Et decernimus partem eſſe citandam ad reſpondendum in cauſa appellationis, & eſt in omnibus procedendum in his appellationibus ad Regiam Majeſtatem, ut in cæteris cauſis appellationum ad Curias Reverendiſſimi.

Et nota quod admodum neceſſarium eſt ut in commiſſione omni appellationis, & præſertim exhibenda coram Domino Cancellario, datum ſeu dies primæ exhibitionis aut præſentationis ejuſdem commiſſionis ſcribatur, nam ex eo conſtabit parti appellatæ, num appellans fuerit debitè proſecutus ejus appellationem, infra tempus ſibi aſſignatum, ad proſequendum per Judicem à quo, quod ſi non fuerit, deſerta erit appellatio & ea deſertio apparebit ex inſpectione commiſſionis Regiæ, & in hoc maximè relevatur pars appellata, cum probatio deſertionis appellationis ſuæ adverſarij poſſit jam facile probari, ſed ad meliorem intelligentiam hujus cauſæ deſertionis, lege titulos in hoc libro ſpecialiter tractantes de deſertione appellationis.

TITVL. CCLXVII.

De forma petitionis ut sententia mandetur executioni.

I pars appellans non curaverit inhiberi Iudici à quo, infra terminos assignatos ad prosequendum & certificandum de prosecutione, vel in casu cum non fuerit appellatum judicialiter, si lapsis quindecim diebus post prolationem sententiæ, pars appellans non curaverit inhiberi Iudici, Tunc pars quæ obtinuit sententiam adibit Iudicem qui tulit sententiam dicendo, Ego *N.* ex superabundanti, exhibeo Procuratorium meum pro *M.* ac facio me partem pro eodem ac pro *N*, id est, partem contra quam lata erat sententia vocandam fore decerni ergà talem diem, ad dicendum causam quare sententia alias lata contra eum non debeat executioni mandari, & expensæ litis taxari, Tunc Iudex; decernimus, statuendo diem comparitionis appellanti juxta loci distantiam.

TITVLVS CCLXVIII.

De forma demandandi ſententiam executioni quando appellans abeſt.

DIcet Procurator qui obtinuit ſententiam exhibeo mandatum veſtrum originale, una cum certificatorio in dorſo ejuſdem, hoc eſt mandatum prædictum ad dicendum cauſam, quare ſententia non debet executioni demandari, & accuſo contumaciam *O.* citati ad dicendam cauſam quare ſententia alias lata contra eum non debeat executioni demandari, & expenſæ litis ex parte mea in hac cauſa factæ taxari non debeant, & non comparentis nec aliquam cauſam allegantis ob quam non debeat executioni demandari, quare peto eum reputari contumacem, & in pœnam contumaciæ ſuæ hujuſmodi ſententiam alias per dominationem veſtram latam executioni mandari, & expenſas prædictas taxari; Tunc Iudex facta præconizatione trina vice partis appellantis eaque non comparente dicet pronunciamus ipſam contumacem, & in pœnam ſuæ hujuſmodi contumaciæ demandamus ſententiam prædictam executioni, & tunc victor dabit Iudici ſchedulam expenſarum totius litis, & in pœnam contumaciæ partis appellantis ut perfertur, citatæ, præconizatæ, & pro contumace reputatæ, & non comparentis petet illas taxari.

Et tunc Iudex pronunciabit & decernet ut petitur, ac in calce ſeu fine ſchedulæ porrectæ, ſic ſcribet taxamus ad talem ſummam *N.* ac apponet ejus manum,

deinde pars ipſa aut ejus Procurator præſtare debet juramentum ſuper hujuſmodi taxationem (*viz.*) quod ipſe expoſuit, & expoſiturus eſt neceſſario ſummam taxatam, quamvis uſu ſit receptum in iſto caſu taxationis, quod petens juret quod expoſuit & expoſiturus eſt, quære tamen utrum pars teneatur jurare expreſſe, de expoſitis tantum, & non de expoſituris & deindè concedenda eſt monitio ad ſolvendum expenſas hujuſmodi, & rem adjudicatam ſeu ſortem principalem adjudicatam, ſeçimas vel legata, quam expenſas prędictas taxatas, erga talem feſtum, vel citandum ad perſonaliter comparendum coram vobis tali die ſeipſum propter ſuam contumaciam in non ſolvendo ſortem principalem, & expenſas prædictas excommunicari viſurum.

Tunc Iudex decernimus; conſtituendo diem ſolutionis & compoſitionis, ſed nota quod hæc monitio ad ſolvendam ſortem principalem eſt petenda quando Iudex appellationis pronunciavit pro jurisdictione ſua & proceſſit in cauſa principali, nam ſi alias ſententia fuerit confirmatoria primæ ſententię, & cauſa eſt judici à quo remittenda, quia tunc judex appellationis non eſt judex quoad cauſam principalem, ſed tantum quoad expenſas prædictas. Similiter nota quod ex cauſa judex poteſt ſtatuere ſeparatos dies ſolutionis tam ſortis principalis quam expenſarum.

TITULI

TITVL. CCLXIX.

De forma demandandi ſententiam executioni, ſi pars appellans comparuerit.

SI pars contra quam lata fuerit ſententia non appellaverit tempore prolationis ſententiæ, ſed in ſcriptis coram Notario & teſtibus extra judicium, & vocata ad dicendum cauſam quare ſententia non deberet demandari executioni ſive perſonaliter, ſive per Procuratorem ſuum comparuerit, dicet victor. Ego præſentia iſtius peto ſententiam alias per dominationem veſtram latam executioni demandari & expenſas taxari, tunc appellans ſi intendit proſequi appellationem dicet ego ſub proteſtatione de non conſentiendo in vos, *&c.* ut in titulo, *De modo procedendi in cauſa appellationis.* Exhibeo Procuratorium meum pro *N.* & facio me partem pro eodem, & allego ſub meis prævijs proteſtationibus veſtram ſententiam non eſſe demandandam executioni pro eo, (*viz.*) & ex eo quod fuit & eſt ex parte Domini mei ab eadem veſtra ſententia debitis loco & tempore appellatum, & quod adhuc pendet primum fatale, id eſt, annus non eſt lapſus à die prolationis ſententiæ, ſeu potius interpoſitæ appellationis, & tunc ſi pars victrix credat fuiſſe per victum debito tempore coram Notario & teſtibus appellatum, petat à judice ut ſtatuet terminos ad proſequendum & certificandum hujuſmodi appellationem, & tunc lapſis illis diebus ſi interim non fuerit Iudici inhibitum, pars quæ obtinuit ſententiam poteſt in præſentia Procuratoris victi petere ſententiam demandari

mandari executioni ſine aliqua alia citatione aut monitione ad illam finem, quia dictus Procurator victi exhibuit poſt ſententiam latam ejus Procuratorium per victo allegando fuiſſe appellatum, & Iudex tenetur hanc ſententiam executioni demandare Hic tamen animo advertendum eſt quod ſi victus debitis loco & tempore à dicta ſententia appellaverit ac obtinuerit inhibitionem (nam qui obtinuit inhibitionem concedi dicitur proſequi cauſam) à Judice appellationis, infra terminum datum ad proſequendum, licèt nec in die ad proſequendam appellationem aſſignato, nec in die dato ad certificandum eandem, nec ante certificaverit Iudicem à quo de proſecutione hujuſmodi, & licet lapſis ut ſupra diebus proſecutionis, & certificationis, Iudex à quo in præſentia Procuratoris appellantis, vel in pœnam contumaciæ partis citatæ ad dicendum cauſam quare dicta ſententia non deberet executioni demandari, hujuſmodi ſententiam ſive in præſentia Procuratoris nullam cauſam allegantis, ſive in pœnam contumaciæ partis principalis executioni demandaverit, Tamen hac executione non obſtante, appellans poteſt proſequi appellationem ſuam, & ſi juſta fuerit, obtinebit, non obſtante quod dicta ſententia fuerit executioni mandata, diſſentiat tamen Procurator (vel pars ſi præmiſſa geſta fuerint in ejus præſentia) omnibus geſtis per Iudicem & proteſtetur de nullitate eorundem, de hac quæſtione (*viz.*) utrum hæc demandatio ſententiæ executioni obſit appellanti, ad viginti ſex elapſos annos, fuit maximè inter peritiſſimos Advocatos controverſum ſed fuit adjudicatum pro appellante.

Sed ſi Procurator obtinentis ſententiam, credit Procuratorem contra quem lata erat ſententia non appellaſſe, infra quindecim dies, à tempore latæ ſententiæ, poteſt petere ut Iudex aſſignet ei terminum

ad

ad docendum seu probandum esse appellatum in proximo juridico, quia hæc allegatio probari possit per solam exhibitionem instrumenti publici super lectura appellationis, coram Notario, Et si infra terminum datum ad probandum, pars docuerit fuisse debitè appellatum, Iudex petente parte, assignare debet appellanti terminos ad prosequendum & certificandum ut supra, & si non probaverit fuisse appellatum, demandanda est sententia executioni.

Sed hic nota quod aliquando appellatur per Procuratorem in prima instantia, in partibus, vel etiam quod ille Notarius, in cujus præsentia appellabatur habitat in partibus, In his igitur casibus dandus est appellanti competens terminus ad probandum, quod fuit debitis loco & tempore appellatum, Nam Procuratores in secunda instantia appellationis non habent semper in promptu hujusmodi appellationes, sed remanent penes Procuratores in prima instantia, vel potius penes Notarium coram quo lecta & interposita fuit appellatio.

TITVL. CCLXX.

Quod appellatio dimittenda est penes Notarium coram quo lecta fuit.

COrruptela quædam, posterioribus istis diebus, subrepsit, in eo quod communitèr Procuratores appellantis, extrajudicialitèr coram Notario, postquam lecta seu interposita fuit appellatio, curant eandem subscribi per hujusmodi Notarium, & deindè reassumunt eandem donec ex necessitate compelluntur eandem exemplificare in formam publici instrumenti, per quod

facilè

facile addi & ſubtrahi poſsit appellationi hujuſmodi in præjudicium partis appellatæ, quod de veriſimili fieri non potuit, ſi dimiſſa & relicta fuiſſet hujuſmodi appellatio penes Notarium, fieri etiam poſsit, ut cedat in maximum damnum appellanti, quod appellatio, non dimiſſa, ſeu relicta fuerit apud Notarium, Nam dato, Notarium priusquam appellatio in forma publici inſtrumenti exemplificata fuerit, ſatis ceſsiſſe, quomodo poſsit inſtrumentum publicum ſuper eadem confici, nequaquam.

Quod tamen fieri potuiſſet, ſi appellatio prædicta, tempore mortis Notarij reperta & inventa fuerit inter cætera ſcripta, & inſtrumenta etiam ejuſdem naturæ dicti Notarij, Nam ſolebant & tenentur Notarij fideliter cuſtodire omnia ſcripta, & geſta coram eis, Et eſt notandum quod in caſu mortis hujuſmodi Notarij. alius probus & honeſtus Notarius ſi appellationem hujuſmodi invenerit fideliter ut ſupra, cuſtoditam, penes antedictum Notarium, & bene noverit ſcripturam, ſubſcriptionem, ac ſignum Notariatus Notarij demortui, poteſt ad petitionem partis intereſſe in ea parte habentis exemplificare, & publicum conficere inſtrumentum de inventione dictæ appellationis, adhibitis teſtibus tempore quo comperta fuit hujuſmodi appellatio, qui teſtes etiam in hujuſmodi inſtrumento ſunt nominandi, & valet hujuſmodi inſtrumentum & pro valetudine ejuſdem adjudicari ad quadraginta annos elapſos novi.

TITUL.

TITVL. CCLXXI.

De forma demandandi sententiam executioni in causa diffamationis.

EST in isto casu in omnibus certificandum, exhibendum, accusandum, & petendum, prout in titulo *De forma demandandi sententiam executioni, quando appellans abest*, usque ad hæc verba, *& deinde concedenda est monitio*, & loco eorum verborum dicet, Domine Iudex, placebit decernere partem, contra quam lata erat sententia, citandam fore, ad comparendum tali die, ad videndum pœnitentiam sibi injungi, & ad recipiendum hujusmodi pœnitentiam, Nec non monendam fore, decerni ad solvendum hujusmodi expensas & prout in dicto titulo specificatur. Iudex; decernimus; & si monitio hujusmodi fuerit debitis loco & tempore executa contra dictam partem, & desuper certificatorium authenticum introductum, si pars non comparuerit, pœnitentia non potest in pœnam suæ contumaciæ, injungi, saltem non potest moneri ad eandem peragendum, (Ratio est, quia licèt forsan pœnitentia potuisset in pœnam contumaciæ injungi, tamen non comparente parte, non potest moneri ad eandem peragendum) sed est in pœnam contumaciæ excommunicanda, & si postea comparuerit, Iudex ad petitionem partis Actricis, assignabit Reo pœnitentiam pro prolatione verborum diffamatoriorum, (*viz.* Si verba diffamatoria prolata fuerint loco publico tunc publicè, sed solet fieri in Ecclesia diffamati, tempore divinorum, in præsentia diffamati (si interes

curaverit) ſed non indutis linteis veſtibus, ut in cauſis correctionum, ſed ſi in privato loco verba diffamatoria prolata ſint, tum pœnæ diffamatæ in ædibus Parochi, ſeu alterius probi vicini, & dicta pœnitentia ſolet iſto modo injungi, diffamans publicè dicet quod ipſe proferendo talia verba (*ea via*, quæ per ſententiam pronunciatum eſt fuiſſe prolata) diffamaſſet actorem, & ideo veniam & condonationem ſe petere in primis à Deo, deindè à parte diffamata, pro prolatis hujuſmodi verbis (quæ pœnitentiâ injuncta ſeu indicta) Iudex ad petitionem partis diffamatæ, monebit partem diffamantem ad eandem peragendum tali die, & ad perſonaliter certificandum per literas miniſtri, & perſonarum præſentium, tempore peractionis dictæ pœnitentiæ de peractione ejuſdem tali die, alioquin ad comparendum eodem die ſeipſum excommunicari viſurum.

TITVL. CCLXXII.

De modo demandandi ſententiam executioni in cauſa decimarum quoad expenſas licèt fuerit à ſententia appellatum & Iudici inhibitum.

QUamprimum conſtare poterit Iudici qui tulit ſententiam ſive pro actore ſive pro Reo quod appellatur ab eadem, Iudex poteſt & ſi ab eo id requiritur tenetur ſtatim demandare ſententiam ſuam executioni quoad expenſas & eaſdem taxare & compellere partem ad ſolvendum eaſdem in omnibus proindè ac ſi omnino non fuiſſet ab ejus ſententia appellatum, & hoc etiam non obſtante quacunque inhibitione contra eum executa ratione appellationis à ſententia diffinitiva interpoſita, Nam ita cavetur per ſtatutum Parliamenti Anno 32. *Hen.* 8. cap. 7.

TITVL.

TITVL. CCLXXIII.

In quibus casibus licèt appellare ab executione sententiæ quoad taxationem expensarum in causis decimarum non obstante Statuto prædicto.

LIcet in statuto prædicto cavetur, quod non obstante appellatione in causa decimarum à sententia diffinitiva, Iudex potest exequi ejus sententiam quoad expensas, & taxare expensas, tamen quia hæc executio & taxatio debent fieri juxta juris in ea parte exigentiam, id est, in præsentia partis appellantis, vel in pœnam contumaciæ illius si fuerit legitimè citata, & contumaciter se absentet, licèt appellare ab eisdem ex capite nullitatis, non obstante statuto prædicto, & etiamsi Iudex excesserit modum in taxatione hujusmodi expensarum, ut cum decem tantum libræ debebantur pro expensis obtinenti sententiam, Iudex aliquando offensus, ex eo quod ab ejus sententia appellatum est, taxabit expensas ad quadraginta libras, Nec non si Iudex excommunicaverit partem quam condemnavit ad solvendum expensas pro non solutione earundem, sine ulla saltem legitima monitione ad solvendum easdem, pars in his expensis condemnata, potest non solum ab hujusmodi excessiva taxatione, verum etiam a dicta injusta excommunicatione appellare, ut supra, in titulo, *De appellatione à taxatione excessiva expensarum*, non obstante dicto Statuto. Ratio est quia in statuto hujusmodi cavetur his verbis, & Iudex qui tulit sententiam, decernet seu taxabit expensas rationabiles partis obtinentis sententiam, non obstante ulla

appellatione a ſententia diffinitiva, prout in Statuto prædicto plenius liquet & apparet, Ideo ſi Iudex exceſſit moduni in taxatione expenſarum, exceſſit fines mandati ſuæ commiſſionis in dicto ſtatuto mentionatæ, Similitèr ſi Iudex eas nullitèr taxaverit (*viz.*) in abſentia partis, vel ejus Procuratoris, vel nullitèr ſine legitima monitione ad ſolvendum expenſas taxatas, vel ante diem ſolutionis excommunicaverit partem pro non ſolutione, In his caſibus prout in aliis (*viz.*) a nimis exceſſiva taxatione expenſarum *&c.* licet appellare non obſtante ſtatuto prædicto. Nam omne ſtatutum editum contra jus commune, ſtricte, & ſecundum literam eſt interpretandum, & accipiendum, & ante editum hujuſmodi ſtatutum, de jure, licebat Iudici in cauſa decimarum exequi ſententiam ſuam quoad expenſas, vel eas taxare ſaltem partem condemnatam, ad ſolutionem earundem compellere, ſi fuiſſet ab ejus ſententia ad ſuperiorem appellatum, & eidem Iudici a quo inhibitum, in hac enim ſententia fuerunt omnes juris conſulti qui interfuerunt conditioni dicti ſtatuti de expenſis taxandis, alioquin fruſtra fuiſſet prout in dicto ſtatuto continetur (*viz.*) quod Iudex decernet expenſas rationabiles, & etiam in quadam conſultatione habita per Judices Eccleſiaſticos, cum Iudicibus ſæcularibus hujus regni in caſu prædicto (*viz.*) utrum liceret et appellare ab exceſſiva & immoderata taxatione expenſarum, eorum judicium fuit licere appellare in his caſibus non obſtante ſtatuto prædicto.

TITVLVS CCLXXIV.

De liquidatione rerum adjudicatarum in ſententia, tempore executionis ejuſdem.

I in cauſa legati, probavi tale legatum in ſpecie (*viz.*) ſuppellectilia, vaſa aurea, catenam auream, & ſimilia mihi relicta fuiſſe, & Executorem eadem ſubtraxiſſe, & ad ſolutionem eorundem ſeu eorum veri valoris cogendum eſſe per ſententiam obtinui, non tamen probavi valorē hujuſmodi legatorū ſi tamen in cauſa decimarū probavi tales mihi deberi decimas, & eas fuiſſe ſubtractas defeci tamen in probatione valoris, ſimiliter de procurationibus & annuis penſionibus, ſi probavi eas mihi deberi ommiſi tamen probare valorem, ferenda eſt ſententia pro parte mea, præmiſſa, ſolvi debere, & ſubtracta fuiſſe, & Reus eſt in eiſdem condemnandus & in expenſis. Et debet actor in omni caſu prædicto, antequam petat executionem ſententiæ quoad ſortem principalem, vocare Reum ad videndum liquidationem dictæ ſententiæ, & rerum adjudicatarum, & petere teſtes ſuper eadem liquidatione, & valore rerum adjudicatarum produci, jurari, & examinari, eorumque dicta & depoſitiones publicari. Et ſi actor hanc liquidationem probavit, tunc in præſentia Rei, ſeu ejus Procuratoris, demandanda eſt hæc ſententia executioni, ac cogenda eſt pars Rea ad ſolutionem valoris rerum adjudicatarum, ut in cæteris cauſis ordinarijs, ſed ſi præmiſſa quoad dictam liquidationem geſta fuerint in pœnam contumaciæ Rei, tunc antequam fuit ulla executio dictæ ſententiæ quoad hujuſmodi liquidationem, pars Rea eſt denuo vocanda

(ſaltem ita eſt tutiſſimum) ad dicendam cauſam quare ſententia alias lata, quoad valorem liquidatum rerum adjudicatarum non debeat executioni mandari, & eadem pars moneri ad ſolvendum valorem liquidatum. Ratio eſt, quia Reus potuerat ab hâc liquidatione, ſi Iudex exceſſit modum in eadem appellare.

Et nota, quod in iſto caſu liquidationis, ſi Reus compatuerit, poteſt excipere contra hos teſtes productos, ſuper valore & uti quacunque defenſione quæ ſibi competebat, vel qua uti potuiſſet, ſi dicta liquidatio, vel valoris probatio, facta fuiſſet ante concluſionem in cauſa. Limita tamen, quod ſi actor allegaverit valorem præmiſſorum in libello ſuo, & deſuper produxit teſtes, & eorum dicta publicari obtinuerit, tunc ita obſtat publicatio hujuſmodi, quod eadem pars non poſſit novos producere teſtes ſuper hujuſmodi valore ſeu liquidatione.

TITVL. CCLXXV.

De executione ſententiæ in cauſa Matrimoniali.

SI ſententia ſit lata pro matrimonio, vocandus eſt Reus ad dicendam cauſam, quare ſententia non debeat mandari executioni, & ut fiat verbalis executio, eſt procedendum ut in cæteris cauſis, quando ſententiæ dunt verbaliter executioni demandatæ, & poſtquam ſententia ſit demandata executioni decernenda eſt monitio contra partem ream ad ſolemnizandũ matrimoniũ cum parte agente, citra tale feſtum, alioquin citanda eſt ad comparendum tali die poſt lapſum dicti feſti, ad dicendam cauſam quare propter contumaciam ſuam excommunicari non

non debeat, petens ſolemnizationem matrimonij curabit licentiam ſive diſpenſationem concedi ad ſolemnizandum hujuſmodi matrimonium, bannis non editis, & quacunque Eccleſia, deindè adibit Actor Reum, & petet ab eodem, & deſignet, & ſtatuet diem aliquem certum pro ſolemnizatione hujuſmodi, & ſi non poſſit ipſe ad hunc finem convenire Reum, id agat per interpoſitam perſonam. Et ſi Reus non vult conſtituere diem pro nuptijs hujuſmodi celebrandis, nec forſan quicquam petitioni hujuſmodi reſpondere, tunc Actor aliquo die Dominico, vel feriato, ſtatuat apud ſeipſum ſolemnizari procurare hujuſmodi matrimonium in tali Eccleſia, & hoc etiam aut perſonaliter ſi fieri poſſit ſignificet Reo, vel ſaltem de eo proteſtetur coram teſtibus. Deindè die & loco conſtitutis, adibit Actor conſtitutam Eccleſiam, & curabit etiam ut miniſter ad ſolemnizandum hujuſmodi matrimonium adſit expectetque adventum partis Rei, ſed ſi non venerit de præſentia & diligentia ſuis coram teſtibus proteſtetur.

TITVLVS CCLXXVI.

De modo procedendi contra Reum recuſantem ſolemnizare matrimonium.

IN die aſſignato, certificandum eſt Iudici dictum decretum, ſeu mandatum ad ſolemnizandum matrimonium una cum certificatorio in dorſo ſuper debita executione ejuſdem, & ad majorem cautelam allegari poſſunt requiſitio ad ſolemnizandum matrimonium, aſſignatio diei & cætera præmiſſa, & deſuper facienda eſt fides juramento partis Actricis, deindè accuſanda eſt contumacia

cumacia reimoniti ad ſolemnizandum matrimonium tali die, vel ad comparendum iſtis die & loco ſe ipſum excommunicari viſuru n, & non curantis hujuſmodi matrimonium ſolemnizare nec comparentis, nec ullam cauſam allegantis, propter quam non deberet excommunicari; Tunc Judex faciet Reum Trina vice præconizari publicè, & ſi non comparuerit eſt pronunciandus contumax, & excommunicandus, & eſt procedendum ut in cæteris cauſis Eccleſiaſticis, & ſi pars Rea fuerit vigore brevis Regij pro excommunicato capiendo, in carceribus de, truſa ibidem eſt detinenda, donec ſolemnizaverit matrimonium, & ſatisfecerit Eccleſiæ pro contemptu.

TITUL. CLXXVII.

De modo procedendi, ſi reus præmiſſis non obſtantibus, recuſaverit ſolemnizare matrimonium.

IN caſu prædicto, in proximo præcedenti titulo mentionato (*viz.*) licèt Reus præſtiterit juratoriam, ſeu fide juſſoriam cautionem, de ſolemnizando matrimonium cum Actore die per Judicem conſtituto, & ex eo capite obtinuerit abſolutionem utique in diem, vel ad cautelam tamen recuſaverit hujuſmodi, matrimonium ſolemnizare, quo modo ſit contra eum procedendum ſæpius fuit controverſum, ſcilicèt an Judex vigore primæ excommunicationis, & denunciationis, poſſit de novo ſcribere Regiæ Majeſtati pro corporis captione dicti Rei, quoniam fuerit abſolutus tantum in diem, & lapſo illo die reincidebat in priorem excommunicationem, vel utrum Judex teneat,

de novo monere partem ad ſolemnizandum matrimonium, citra alium diem ſub pœna excommunicationis, & deindè procedere ad denunciationem excommunicationis, & in omnibus, ut in ſecundo præcedente titulo continetur, hunc ultimum procedendi modum, ego practicatus ſum in hoc caſu, & ita practicari tutiſſimum eſſe, ad tollendas has ambiguitates, arbitror, & quia Iudex in caſu prædicto, per Reum circumventus fuit, ipſo promittendo quod voluit ſolemnizare matrimonium, & eo prætextu obtinuit abſolutionem, & quia etiam fuit manifeſtus contemptor Iudicis & juriſdictionis Eccleſiæ, Iudex poterit, & ex æquo tenetur, dare parti gravatæ & injuriatæ per hunc dolum ſui adverſarij, & recardationem litis, literas obligatorias captas pro ſolemnizatione matrimonij, ante certum diem, literaſque Attornatorias pro recuparatione foris facturæ cautionis fide juſſoriæ hujuſmodi, præſertim, hæc fieri expedit, ſi pars poſtquam fuerit (ut præfertur) vigore dictæ abſolutionis, in diem à carceribus liberata, ita ſe abſenter, ut actor non poſſit de novo eam citare ad effectum prædictum. Et tunc fidejuſſores curabunt eam in judicio ſiſtere.

TITVL. CCLXXVIII.

De forma allegandi deſertionem appellationis.

DIcet Procurator partis appellatæ. Ego allego appellationem prætenſam ex parte *N.* in hac cauſa utcunque interpoſitam eſſe deſertam, referendo me ad acta huius Curiæ & adjuncta: quare peto primo & ante omnia hujuſmodi prætenſam appellationem pro deſerta pronunciari, ac cauſam remitti Iudici à quo, una cum expenſis. Et tunc Reus dicet Ego inficior allegata per *M.* eſſe vera, ac proteſtor de nullitate eorundem, & peto ſententiam ferri in cauſa. Tunc Iudex aſſignabit ad audiendum voluntatem ſuam ſuper huiuſmodi deſertionem, in proximum, etiam & poteſt, ſi hoc ab eo petatur aſſignare eodem die ad audiendam ſententiam, caſu quo appellatio non ſit deſerta, & ita toties aſſignare donec fuerit informatus de actis Curiæ, & de jure, & ſi appellatio ſit deſerta, ita pronunciabit aut viva voce apud acta quod dicitur per decretum interloquutorium, vel per ſententiam diffinitivã, ſi per decretũ interlocutorium, tunc dicet, nos pronunciamus appellationem pe *N* interpoſitam eſſe deſertam, ac cauſam hujuſmodi remittimus Iudici à quo, una cum expenſis, & eandem partem in eiſdem expenſis condemnamus, Et tunc porrecta ſchedula expenſarum, taxabit eaſdem, & decernet monitionem, ut ſuperius notatur in titulo *De forma demandandi ſententiam executioni quando pars appellata abeſt.*

TITUL.

TITVL. CCLXXIX.

Quod Iudex appellationis, quamvis tulerit ſententiam pro parte appellata remiſſoriam, poteſt poſt remiſſam cauſam, taxare expenſas appellationis & exequi ſententiam ſuam quoad eaſdem.

Generaliter tenetur quod Iudex ad quem, quamprimum tulit ſententiam, & remiſerit cauſam Iudici à quo, functus eſt officio, & deſinet eſſe Iudex in ea cauſa, & niſi in ipſa ſententia remiſſoria, taxaverit expenſas litis cum ſententia excommunicationis in eadem, ut in titulo *De tenore ſententiæ remiſſoriæ*, &c. quod non poterit poſtea taxare expenſas, & compellere appellantem ad ſolutionem earundem. Tamen in iſto caſu obtinuit contra hanc opinionem (*viz.*) quod licèt in ſententia remiſſoria, vel in prædicto decreto interlocutorio, Iudex ad quem, remiſit cauſam Iudici à quo, & in eadem condemnaverit partem in expenſis, ſed non taxaverit eaſdem in eadem, ſed reſervaverit taxationem earundem, poterit tamen eaſdem expenſas poſtea taxare, & ſententiam ſuam in ea parte exequi, non obſtante prædicta remiſſione; Nam ſi hoc non ſit licitum in iſto caſu, tunc dato, quod in caſu quo Iudex per ſententiam ſuam remiſſoriam taxaverit expenſas, & præcedente monitione, ad ſolvendum eaſdem tali die, excommunicaverit partem monitam & non ſolventem ex nunc, prout extunc, & è contra prout in titulo prædicto continetur. Pars tamen quæ ſolvere debet hujuſmodi expenſas, ita latitavit quo minus potuit moneri ad ſolvendum eaſdem ante diem lapſum conſtitutum

ſtitutum pro ſolutione earundem (in quo caſu ſententia excommunicationis prædictæ penitus extincta eſt & ceſſavit.) Nonne poteſt pars cui ſolvendæ ſunt iſtæ expenſæ de novo adire Iudicem eundem, & petere renovocationem hujuſmodi monitionis, & ut ſtatuat novum terminum ad ſolvendas has expenſas; poteſt quidem, & hoc eſt quotidianum. Nota quod in iſto caſu Judex non poteſt in ſecunda monitione pronuntiare partem ex nunc prout ex tunc excommunicatam, ſed concedenda eſt monitio ordinaria, ut in cæteris monitionibus pro expenſis adde etiam quod in iſto caſu excommunicationis in ipſa ſententia latæ, pars fuit monita ad ſolvendum has expenſas, & propter non ſolutionem earundem legittimè excommunicata, & denunciata, & per breve Regium, de excommunicato capiendo, carceribus commiſſa, ita ut pars cui debeantur hujuſmodi expenſæ, quamplurimas alias erogavit expenſas, præter expenſas alias taxatas. Nonne poteſt Judex hujuſmodi expenſas contumaciæ taxare & partem ad eas ſolvendas, non obſtante remiſſione prædicta compellere? (poteſt quidem) & ideò concludo ut ſupra, quod eadem ratione non obſtante, quod ſententia vel decretum interloquutorium fuit remiſſorium ſine taxatione expenſarum, Iudex poterit taxare expenſas litis, & in ea parte ſententiam ſuam exequi, dummodo in eadem ſententia ſive decreto condemnaverit partem adverſam in expenſis. Sed hic queri poteſt in cujus præſentia taxandæ ſunt hujuſmodi expenſæ, nam Procurator appellantis functus eſt officio, quamprimum lata fuerit ſententia diffinitiva, ut in titulo *In quibus caſibus Procurator deſinit eſſe Procurator.* Ideo vocanda eſt pars condemnata ad videndum expenſas prædictas taxari. & tunc ſi non comparuerit, in pœnam ſuæ contumaciæ taxandæ ſunt, ſed ego obtentum vidi & obtinui in hoc caſu,

(viz.)

(*viz.*) quod licèt ſententia fuerit remiſſoria eàm condemnatione expenſarum, ſine tamen taxatione in eadem, quod ſi Iudex per eandem ſententiam ſeu decretum interloquutorium reſervaverit taxationem hujuſmodi expenſarum uſque in certum aliquem diem, hocque ſine intervallo & ſub uno verborum contextu (*viz.*) condemnamus *N.* in expenſis & reſervamus taxationem in proximum & remittimus causam Iudici à quo, & etiam monuit Procuratorem adverſarij ad tunc intereſſendum, ad videndum hujuſmodi expenſas taxari, & diem pro ſolutione earundem aſſignavit, quod tunc in die aſſignato Iudex in præſentia Procuratoris, ſi comparuerit, aliàquin in pœnam ejus contumaciæ, poterit hujuſmodi expenſas taxare, & decernere monitionem, pro ſolutione eatundem.

TITVL. CCLXXX.

De deſertione appellationis in non proſequendo eandem infra terminos ad proſequendum, & certificandum, datos per Iudicem à quo.

QUamvis de jure datur annus ad proſequendum & finiendum appellationem, quod dicitur primum fatale, tamen Iudex à quo, poterit abreviare hujuſmodi annum, quoad proſecutionem ejuſdem, & quamprimum ſibi conſtiterit interpoſitam eſſe ab ejus ſententia appellationem ſtatuere appellanti terminum ad eandem proſequendum, ſi hoc ab adverſario petatur, & quemadmodum ſi appellans non proſecutus fuerit appellationem infra terminum juris, ſeu à jure indultum, appellatio ejus eſt deſerta, ita ſi non ſit proſecutus appellationem infra terminum datum per Iudicem à quo, deſerta etiam eſt appellatio.

Titvs CCLXXXI.

De cauſis quibuſdam ad impediendum deſertionem.



I pars appellata, citata ad reſpondendum appellanti in cauſa appellationis, nec per ſe, nec per Procuratorem comparuerit, & ſi appellans, utendo diligentia ſua curaverit eam excommunicari, & denunciari, eſt legitimum impedimentum, ſaltem pro tanto tempore, quo appellata ſteterit excommunicata.

Si pars appellata aliquam materiam contrariam, vel exceptivam, non admittendam, vel forſan admittendam & admiſſam, & tamen differt litem circa probationem ejuſdem & nihil probat, eſt legitimum impedimentum quia pendente dilatione data ad probandum appellans nihil petere potuit ad obtinendam concluſionem.

Item ſi Procurator appellantis dederit materiam concludentem & de jure admittendam & tamen pars appellata ita inſtat contra admiſſionem ejuſdem ut eam admiſſionem impediat, ſi poſtea illa materia admiſſa fuerit & probata, eſt impedimentum pro tanto tempore quo admiſſio impedita fuit computando à die datæ materiæ.

Item ſi appellans ſit ita pauper ut non poſſit proſequi & finire cauſam, probata paupertate, eſt in ſecundum annum reſtituendus, limita tamen hanc reſtitutionem ut infra in titul. *In quo caſu dantur ſecundus annus.*

Item ſi appellans fuerit incarceratus toto primo anno, vel tanto tempore ejuſdem anni ut non potuit finire hujuſmodi appellationem eſt juſtum impedimentum,

Item

Item ſi per communem peſtem, vel aliud impedimentum ex Deo, vel ex mandato principis perveniens impeditur appellans quo minus potuit proſequi cauſam eſt impedimentum.

Item ſi appellans curaverit debitis loco & tempore Iudicem à quo & ejus Regiſtrarium moneri ad transmittendum proceſſum, & in die tranſmiſſionis accuſaverit eorum contumacias & inſtiterit ut excommunicentur & porrexerit ſchedulam excommunicationis & eam legi & juſtitiam miniſtrari petierit, & Iudex ad quem non curaverit Iudicem à quo, & ejus Regiſtrarium excommunicari, ſeu de die in diem reſervaverit eorum contumacias per quod ſtetit quo minus proceſſus fuerit tranſmiſſus, dicitur legittimum impedimentum. Nam non tranſmiſſo proceſſu appellatus non poteſt proſequi cauſam caveat Procurator appellantis in hoc caſu reſervationis contumaciæ in non tranſmittendo proceſſum, nè ſcribatur in actis hujuſmodi hanc reſervationem factam fuiſſe ad ejus petitionem.

Si in ultima parte anni (viz.) per tres ſeu duos menſes contingentes in fine dicti anni cauſa mutuo partium conſenſu fuerit compromiſſa, & ad arbitros relata & partes ad invicem obligatæ fuerunt vel promiſerunt verbo tenus, quod durante iſto compromiſſo proceſſus ſiſteretur vel de ſtando hujuſmodi arbitramento & hoc arbitramentum duraverit uſque in finem ejuſde anni datur ſecundus annus.

Si præmiſſa vel aliqua alia legitima impedimenta contigerint in ſecundo anno, pars appellans tenetur petere reſtitutionem tertij anni. Nam non datur de jure tertius annus, ſed gaudebit appellans beneficio ipſius tertij anni ope reſtitutionis, & appellans id iſto tertio anno uti debet ſumma diligentia in proſecutionem appellationis

TITVL. CCLXXXII.

De impedimentis allegandis ad impediendum deſertionem in non proſequendo appellationem infra terminum hominis.

NIſto caſu deſertionis appellationis impedimenta poſſunt allegari quo minus non proſecuta fuit appellatio infra terminum hominis, (id eſt Iudicis à quo) ut in caſu non proſecutionis infra terminum juris, de quibus in ſequenti titul. tractatur ſpecificè, & etiam cauſæ ſequentes iſtis cauſis addi poſſunt (*viz.*) arreptio itineris per appellantem, à loco judicij primi Iudicis, ad locum ſive conſiſtorium Iudicis ad quem, ſi ab invicem per centum miliaria diſtent, ad finem obtinendi inhibitionem ante diem ad proſequendum, dicitur proſecutio & impedit deſertionem.

Similiter ſi appellans á Curijs Reverendiſſimi infra terminum ad proſequendum, adhibuit diligentiam ad obtinendum commiſſionem Regiam appellationis, & Dominus Cancellarius non potuit uacare ſigillationi commiſſionis, dicitur proſecutio appellationis, etiam quamvis commiſſio gerit datum poſt lapſum diem datum ad proſequendum.

Similiter in caſibus in quibus appellatur ad Curias Reverendiſſimi, ſi ſtat per Iudicem ad quem quo minus inhibitio datur vel ſigilletur, dicitur debita proſecutio, Si hæc fiant ante diem aſſignatum ad proſequendum, vel ſi oblata fuerit inhibitio infra, ſeu ante lapſum termini ad proſequendum.

Si appellans ante diem datum ad proſequendam appellationem, adiverit Iudicem a quo, vel ejus Regiſtrarium pro copia ſententiæ, vel copijs actorum Curiæ ad effectum proſequendi appellationem, & hæc ſibi denegentur, vel ſaltem traditio eorundem ita deferatur ut interim lapſus fuerit terminus ad proſequendum, dicitur juſtum impedimentum: Sed in caſibus prædictis, neceſſarium eſt ut appellans ante concluſionem in cauſa, præmiſſa impedimenta alleget, & probet quia præſumptio eſt contra eum, Nam poſt concluſionem in cauſa, impedimenta non poſſunt allegari, niſi ea quæ conſtant ex actis, nam ſufficit parti appellatæ, oſtendere diem prolationis ſententiæ, & actum ſuper aſſignationem ad proſequendum, & deinde diem datæ inhibitionis, (ex quibus evidenter apparebit deſertam eſſe appellationem in non proſequendo eandem intra terminum hominis.

TITVL. CCLXXXIII.

In quo caſu datus eſt ſecundus annus ad proſequendum & finiendum appellationem.

SI appellatus fuerit negligens in prima & ſecunda parte anni, & tamen diligens in tertia parte, in qua reſtabat tantum temporis ſpatium, intra quod potuiſſet ejus appellatio finiri, niſi intervenisſet impedimentum per quod ita impeditus fuit, quo minus potuit finire cauſam, eſt reſtituendus in totum ſecundum annum, ſeu potius probato impedimento ipſo

jure, ſecundus annus datur, dummodo ex actis poſſit conſtare appellantem adhibuiſſe ſuam diligentiam ad proſequendum, & finiendum appellationem, in dicta tertia parte anni, ſi hujuſmodi impedimentum non interveniſſet: Tenent tamen aliqui, quod etiam iſto impedimento contingente in fine anni integrum ſecundum annum non eſſe dandum, ſed tantum tempus ſecundi anni, quantum appellans impeditus fuit in primo anno.

TITVL. CCLXXXVII.

Quando & in quo caſu appellans eſt reſtituendus in partem ſecundi anni.

SI appellans fuerit diligens in prima vel ſecunda parte anni, & tunc interveniret impedimentum, & tamen ceſſante illo impedimento, ſupereſt tantum temporis anni in quo potuiſſet, ſi fuiſſet diligens, finire appellationem, tunc non datur eſt ſecundus annus, ſed appellans eſt reſtituendus in tantum tempus ſecundi anni, quantum fuerat impeditus in primo anno: & ſic facienda eſt comparatio unius anni, ex diebus ſecundi anni, hanc reſtitutionem, ſeu potius computationem dierum ſecundi anni pro impeditis diebus primi anni, vidi obtentam in Iudicio contradictorio, ante aliquot annos elapſos. Sed nunc, moderni Doctores tenent contrariam ſententiam (*viz.*) nullum tempus ſecundi anni, eſſe dandum pro impedimento contingente, in prima ſeu ſecunda parte primi anni, ſi poſt hujuſmodi impedimentum reſtabat ſufficiens tempus dicti primi anni, ad

ad finiendum appellationem, si appellans fuisset diligens, consule igitur juris peritos in hac causa restitutionis seu desertionis. Tempus verò sufficiens ad prosequendum & finiendum appellationem dicitur esse mensem, Tenent tamen aliqui, quod designare quantum temporis sufficiat in Iudicis arbitrio, positum sit.

TITVL. CCLXXXV.

De protestatione necessaria facienda per appellantem, cum aliquod contingit impedimentum.

COmmuniter tenent juris periti, quod etiamsi datur impedimentum per adversarium, vel per Iudicem à quo, quo minus finiatur causa infra primum fatale, vel si quodcunque aliud impedimentum legitimum interceserit, quo minus appellans possit vel non teneatur procedere in causa, tamen necesse esse (saltem tutum) ut appellans in singulis actis in quibus apparet ista impedimenta intervenisse, de eo protestetur, praesertim si impedimentum fuerit per Iudicem vel per aliam quam unque personam tertiam, dicendo, Ego protestor, Quod non fiet, stat, neque stabit per me aut partem meam, quo minus haec causa finiatur infra tempus de jure indultum, sed quod stat per partem adversam, vel per Iudicem, aut dictam tertiam personam quo minus finiatur.

Titvl. CCLXXXVI.

Quod impedimenta prædicta debent allegari ante concluſionem in cauſa.

SI impedimenta non proſecutionis appellationis infra terminum hominis, uel terminum juris, non conſtiterint ex ipſis actis Iudicis ad quem, cauti Procuratoris eſt illa impedimenta allegare ante concluſion m in cauſa: nam ad judicatum obtinui, partem appellantem non admittendam eſſe, poſt concluſionem in cauſa, ad allegandum impedimenta non proſecutionis appellationis, non apparentia ex ipſo proceſſu. Similèr ſi appellatus allegaveris appellationem fuiſſe deſertam, & Iudex aſſignaverit bis ad ejus voluntatem audiendum, an appellatio fuerit deſerta quia per has duas aſſignationes tenetur, & dicitur ſuper illo articulo deſertionis eſſe concluſum, non admittitur poſtea probatio impedimenti per teſtes, quamvis non fuerit concluſum in cauſa principali ſeu appellationis.

Sed hic notandum eſt quod licèt fuerit allegatum per appellatum, id eſt, per partem contra quam impoſita fuit appellatio, quod appellatio ſit deſerta, & appellans hanc allegationem inficians, petierit ad audiendam ſententiam, & Iudex aſſignaverit ad audiendam ſententiam, caſu quo, appellatio non fuerit deſerta, & ita bis aut ſæpius aſſignaverit, in illo caſu (appellans non obſtantibus his aſsignationibus) poterit allegare & probare cauſas impedimenti non apparentes ex ipſo proceſſu. Ratio eſt quia prædictæ aſſignationes, ad audiendam ſententiam non fuerunt ſimplices,

ſimplices, ſed conditionales, nempe caſu quo appellatio non fuerit deſerta: ſed in his caſibus conſule peritos Advocatos, Ego tamen quod vidi & obtinui ſcripſi.

TITUL. CLXXXVII.

De exhibitione inſtrumenti appellationis lecta coram Iudice ad quem, in præſentia Procuratoris appellati.

Licet lecta & interpoſita fuit appellatio coram Iudice ad quem, tempore conceſſionis inhibitionis, quod communiter ſolet fieri, cum appellatur ab excommunicatione, & iſta appellatio remanſerit apud acta, (id eſt, penes Regiſtrarium ejuſdem Judicis) tamen quoniam fuit lecta in abſencia partis appellatæ, neceſſariũ eſt ut ea exhibeatur ante concluſionem in cauſa, in præſentia partis idque judicialiter. Dicet igitur Procurator appellantis, Ego in ſubſidium probationis contentorum in libello alias per me hac in cauſa dato, & ad fundandum juriſdictionem Domini judicantis, exhibeo appellationem alias per me in hac cauſa judicialiter interpoſitam, & in Regiſtro hujus Curiæ remanentem (id eſt, penes ejus Regiſtrarium.) Et nota quod in iſto caſu non requiritur ulla allegatio aut reſponſio Procuratoris partis appellatæ, ut in titulo ſequente.

TITVLVS CCLXXXVIII.

De exhibitione inſtrumenti appellationis extrajudicialis

ANte concluſionem in cauſa, curabit Procurator appellantis appellationem extra judicia litèr factam, & coram Notario publico lectam per eundem Notarium inſormam publici inſtrumenti exſcribi & exſcriptam (id eſt, per viam publici inſtrumenti exemplificata n) exhiberi, dicendo ut ſequitur, in ſubſidium probationis contentorum in libello alias per me in hac cauſa dato, & ad fundandum juriſdictionem Domini Judicis, exhibeo inſtrumentum publicum appellationis ſubſignatum, & ſubſcriptum manu propria, ac ſigno Notariatus *N.* Notarij publici, & allego eum eſſe Notarium publicum probum & legalem, & pro tali communitèr reputatum, & habitum, & omnia & ſingula fuiſſe, & eſſe vera, ac habita, & geſta, ac appellatum & querelatum fuiſſe modo & forma quibus in eodem inſtrumento continetur, quam allegationem, pono conjunctim & diviſim ac eandem admitti, & jus & juſtitiam miniſtrari peto. Tunc, admiſſa ita allegatione, & in vim poſitionum & articulorum repetita, ſi Procurator appellati non fatetur inſtrumentum eſſe ſubſcriptum, & ſubſignatum per Notarium allegatum (Nam confeſſio ſubſcriptionis & ſubſignationis inſtrumenti per Notarium probat appellationem fuiſſe, ut in eadem continetur.) Tunc ſolet Procurator appellantis jurare, quod fidelitèr poſuit dictam allegationem, & petere à Procuratore partis appellatæ ut juret de fidelitèr reſpondendo eidem in proximo juridico ſub juramento ſuo; ſi vero Procurator appellati in proximo juridico

judico negaverit allegata appellantis, ſaltem reſpon-
derit ſe non credere Notarium, ſeu potius perſonam
quam appellans prætendit fuiſſe Notarium publicum,
ita fuiſſe, (id eſt,) Notarium, tunc probandum eſt per
appellantem dictam perſonam fuiſſe & eſſe Notarium
publicum, quod facilè poteſt probari per exhibitio-
nem inſtrumenti publici de creatione dicti Notarij, in
Notarium publicum, ſub ſigillo Curiæ ad facultates,
quod inſtrumentum publicum, quia ſigillum appoſitum
eſt admodum authenticum, & omnibus Procuratori-
bus ſatis cognitum, Procurator partis appellatæ ſolet
fateri hujuſmodi ſigillum (Nam ſanè cum ſcientiâ non
poteſt illud inficiari) & hæc confeſſio ſufficit appel-
lanti ad probandum fuiſſe appellatum modo & forma
in dicto inſtrumento appellationis ſpecificatis.

Sed nota quod ſi Notarius qui ſubſcripſit inſtrumentum,
ſteterit Notarius per decem annos, & fuerit notus Cu-
riæ & Judici (quia diverſa ejus publica inſtrumenta in
conſimilibus cauſis fuerunt exhibita; & penes acta
ejuſdem Judicis remanent, vel ſi ſit per idem tempus
pro Notario publico probo & legali communiter repu-
tatus, ſufficit appellanti exhibere inſtrumentum præ-
dictum appellationis, ac præmiſſa allegare (*viz.*) ut
ſupra & facit fidem de ſe ſine confeſſione Procura-
toris partis adverſæ, etiam quamvis idem Procu-
rator tam allegationem quam inſtrumentum prædictum
inficiatus fuerit, & ita ſæpius vidi practicatum, & in
Judicio contradictorio obtentum.

Et hic monendi ſunt Procuratores appellantium,
quod quamvis uſu receptum ſit, quod cum exhibean-
tur inſtrumenta appellationis, exhibens hujuſmodi in-
ſtrumentum appellationis, ſolet allegare omnia & ſin-
gula contenta in eodem inſtrumento fuiſſe & eſſe vera,
ac habita, & geſta prout in eodem continetur, ut
ſupra dicitur, & deinde ſi illud inſtrumentum & alle-

gatio-

gatio fuerint per Procuratorem appellati inficiata, & negat præſtare juramentum quod fidelitèr poſuit hujuſmodi allegata, & quod omnia & ſingula contenta in eodem inſtrumento ſunt vera ac habita, & geſta prout in eodem continetur. Caveant tamen de cætero Procuratores ne illa verba ultimo recitata allegentur, præſertim nè jurent de veritate eorundem. Nam tenor totius appellationis ſemper inſeritur & inſcribitur in dicto inſtrumento appellationis (quod ſi ita ſit) ad conſcientias Procuratorum appello, utrum ſemper omnia gravamina, nullitates, iniquitates, & injuſtitiæ inſertæ in dicta appellatione (quæ prætenduntur fuiſſe per Judicem à quo illata) ſunt vera, hoc eſt revera per Judicem hujuſmodi inflicta, & illata prout in eadem appellatione continetur? Si vero non ſunt (quod communitèr accidit) tunc qua conſcientia poſſit juramentum præſtari à Procuratore præmiſſa allegante, quod Procurator ut ſupra allegans præmiſſa credit ſe eadem fidelitèr poſuiſſe & quod contenta in hujuſmodi inſtrumento ſunt vera. Omittantur igitur in poſterum illa generalia verba ſupra mentionata & allegetur tantum quod inſtrumentum publicum exhibitum fuit, & eſt ſubſcriptum & ſubſignatum manu propria & ſigno ſolito Notarij *N.* & quod idem N. fuit & eſt Notarius publicus, probus, & legalis, aè pro tali communitèr reputatus, quodque appellatio in eodem inſtrumento mentionata, fuit facta & interpoſita coram dicto Notario die menſe, anno, modo, & forma in dicto inſtrumento ſpecificatis; & ſi, ut ſupra dictum eſt, Procurator partis appellatæ aut faſetur inſtrumentum eſſe ſubſcriptum manu Notarij allegati, vel ut ſupra negaverit, ſi tamen allegans, & exhibens ut ſupra docuerit perſonam dictum inſtrumentum ſubſcribentem eſſe Notarium publicum, vel ſi Notarius hujuſmodi fuerit & ſteterit Notarius per decem annos, ut ſupra, ſufficientèr.

cienter. Fundata eſt intentio appellantis (*viz.*) quod debitis loco & tempore fuit ex parte ſua in hac parte appellatum, & quod contenta in appellatione ea debent juſtificari per proceſſum Iudicis à quo, vel aliunde, ut in titulis quibuſdam de his ſpecialiter tractantibus plenius ſuo loco apparet.

TITVL. CCLXXXIX.

Qua ſolemnitates requiruntur in inſtrumento ut fiat authenticum.

DIrigendum eſt omnibus Chriſti fidelibus. 2 Concipiendum eſt nomine Notarij publici, coram quo contenta in inſtrumento hujuſmodi habita & geſta fuerunt. 3. Anni Domini & Regni, dieſque menſis & locus in quibus contenta in inſtrumento geſta & expedita fuerunt etiam inſerenda ſunt. 4 Teſtes adhibendi ſunt, & eorum nomina ſpecificanda ſunt cum eorum ſolitis habitationibus, ut ſi dubitatur de veritate hujuſmodi inſtrumenti teſtes inveniri poſſunt. 5 Nomen & cognomen Notarij conficientis inſtrumentum inſcribendum eſt, & qua authoritate creatus fuit atque ubi natus fuit, & ſi ſunt plures Notarij ejuſdem nominis, ſcribi poſſit quis ſit ille qui inſtrumento ſubſcripſit. 6. Signum etiam Notariatus eſt huic inſtrumento apponendum. Nam quilibet Notarius ſolet habere quoddam ſpeciale & particulare ſignum, ut ex inſpectione ejuſdem, quamvis ignoratur manus Notarij tamen ex ipſo ſigno cognoſci poſſit quis Notarius inſtrumentum confecit. 7. Teſtificabitur Notarius in fine hujuſmodi inſtrumenti quod fuit ſpecialiter requiſitus ad conficien-

dum hujuſmodi inſtrumentum. &. Ultimo etiam teſtificabitur quod teſtes prædicti adhibiti fuerunt rogati & requiſiti ad perhibendum teſtimonium, & expedit ut Notarius curet teſtes hujuſmodi, apponere eorum manus prothocollo hujuſmodi appellationis, *id eſt*, Originali appellationi quæ lecta & interpoſita fuit, ut ſi in poſterum dubitetur utrum hæc appellatio fuerit interpoſita, teſtes, viſis eorum manibus, facilè recordari poſſunt de eorum præſentijs, & rebus geſtis.

TITVL. CCXC.

In quo caſu inſtrumentum appellationis non facit fidem, niſi. contenta probentur.

I inſtrumentum caret ſolemnitatibus prædictis non facit fidem, nec dicitur eſſe publicum, ſi in aliquo vero ſubſtantiali, utpote in nominibus partium, in dato anni, ſeu diei vel menſis ſit raſum aut interlineatum, vel ſi Notarius publicus qui confecit inſtrumentum ſit famulus domeſticus vel de roba vel pater ſeu filius aut proximus conſanguineus perſonæ interponentis appellationem in cujus favorem concipitur inſtrumentum, hoc inſtrumentum de ſe non facit fidem, ſi pars adverſa illud inficiata fuerit & defectus prædicti appareant, ex inſpexione inſtrumenti; vel ſi adverſarius allegaverit, & probaverit dictum Notarium non fuiſſe indifferentem ex cauſis prætactis, nè igitur Cliens tuus ſuccumbat in cauſa, ſi adverſarius prædicta objecta contra Notarium probaveris, ſi verum ſit quod lecta & interpoſita fuit appellatio, debitis loco & tempore, probetur per teſtes tunc præſentes, etiam

etiam quoad raſuras & interliniationes prædictas, (ideo ut ſupradicitur neceſſarium eſt ut teſtes ſubſcriberent eorum nomina prothocollo appellationis.) Si Notarius in fine inſtrumenti ſua manu teſtificatur illud per eum factum fuiſſe, & ſibi de eodem conſtare & proteſtetur quod vult ut omni careat ſuſpitione, tunc tollitur omnis ſuſpitio & fides eſt eis adhibenda; Sed hic intellige de Notario publico & legali; Secus de Notario ut præfertur non indifferenti; nam tunc probandæ ſunt hujuſmodi interlineationes & raſuræ per teſtes, alias non valet inſtrumentum.

TITVL. CCXCI.

De exhibitione proceſſus Judicis à quo, coram Judice ad quem.

PRoceſſus Judicis à quo, eſt exhibendus ante concluſionem in cauſa (viz) aliquis ex Procuratoribus Curiæ (ſi ipſe Regiſtrarius Judicis à quo non intereſt) non exiſtens Procurator in cauſa in qua exhibitur ſit proceſſus, dicet, Domine Judex ex parte Judicis à quo, & ejus actorum ſcribæ, præſento vobis hunc proceſſum. Tunc Procurator partis appellatæ, ſeu forſan alius Procurator ſpecialiter conductus per Regiſtrarium ſolet coram eo, ut Judex taxet hujuſmodi proceſſum, hoc eſt ſcribat in fine ejuſdem quam ſummam pars ad cujus inſtantiam proceſſus tranſmiſſus fuit ſolvet Regiſtrario Judicis à quo pro tranſmiſſione vel ſcriptura proceſſus tranſmiſſi, & tunc petat monitionem decerni contra partem appellantem pro ſolutione ſummæ taxatæ, quotanque die Judicis monitio deſignando.

Titul. CCXCII.

De compoſitione cum Regiſtrario Iudicis ad quem, & inſpectione proceſſus tranſmiſſi.

QUoniam appellatio à gravaminibus regulariter juſtificanda eſt ex ipſo proceſſu ſeu ipſis actis Iudicis à quo, & quia etiamſi coram Iudice ad quem, aliqua materia aut allegatio data fuerit in cauſa appellationis à ſententia diffinitiva, ſive per appellantem ſive per appellatum, neſcitur & litigantibus & Iudici utrum prius poſita fuerit, & an teſtes deſuper producti examinati & eorum dicta publicata niſi per inſpectionem proceſſus Iudicis à quo, quia etiam ſi totus & integer proceſſus non fuerit verè & integrè tranſmiſſus, vel in aliquo vitiatus aut corruptus, quod aliquando contingit, hoc non poſſit conſtare niſi inſpecto proceſſu dicti Iudicis à quo, Quia denique informationes in facto, (id eſt, de modo procedendi & de allegatis propoſitis & probatis) in prima inſtantia dari non poſſint per Advocatos Iudici ad quem, ut ſententia pronuncietur in cauſa niſi inſpecto proceſſu Iudicis à quo. Nè igitur partes ſive appellantes, ſive appellatæ, maximis eorum expenſis exſcribi aut exemplificari cogerentur hujuſmodi proceſſum tranſmiſſum, & nè proceſſus ſiſteretur donec exſcriptus fuerit, in præjudicium litigantium; Ideo ad evitandum hujuſmodi expenſas, & dictas dilationes, partes componere ſolent cum Regiſtrario Iudicis ad quem pro inſpectione ejuſdem originalis proceſſus tranſmiſſi in

hunc

hunc modum *(viz.)* Pars appellans quoniam ſuis expenſis proceſſus fuit ad Iudicem ad quem tranſmiſſus, debet & ſolet ſolvere pro inſpectione dicti proceſſus quartam partem ſummæ ut præfertur taxatæ pro tranſmiſſione dicti proceſſus, pars vero appellata, quia nihil ſolvit pro tranſmiſſione proceſſus, ſolet ſolvere tertiam partem ſummæ taxatæ prædictæ. Et nè appellans, ſi curaverit proceſſum prædictum ſibi primo tradi, illum penes ſe ita detineret quo minus pars appellata poterit etiam habere facultatem inſpiciendi eundem, & è contra, Ideo ſolent Procuratores partium hujuſmodi interponere cautionem apud Regiſtrarium *(viz.)* deponere pignus vel teſtificari per ſubſcriptionem manus in libro quodam ad hoc per Regiſtrarium cuſtodito, quod tali die tales proceſſus fuit ſibi traditus, de reſtituendo eundem proceſſum, cum idem proceſſus ab eo requiritur, & ſi aliqua pars eum debitè ad hoc requiſita eundem non tradiderit, Iudex ſolet denegare audientiam in cauſa, donec id fecerit. & etiam ſi pertineax aut etiam contumax exſtitezit, propter ejus contumaciam hujuſmodi eum excommunicare, vel ſi detentus fuerit proceſſus per Procuratorem quemcunque, tunc ſolet judex eum ab officio procurandi in quacunque cauſa ſuſpendere donec introduxerit hujuſmodi proceſſum.

Titvl. CCXCIII.

Quod licèt appellare à Iudicibus Reverendiſſimi, ſi plus juſto differunt ferre ſententiam in cauſa.

Si ſit concluſum in cauſa, & Advocati utriuſque partis informationes dederint Iudici, tam in facto quam in juris queſtionibus ita quod non habent quod ulterius dicant in cauſa, & ſi ſæpius aliquando decies fuerit aſſignatum ad audiendum ſententiam & tamen Iudex recuſaverit ſeu plus juſto diſſulerit ferre ſententiam vel pro Actore, vel pro Reo, licet in iſto caſu parti gravatæ appellare ab hujuſmodi dilationibus in non miniſtrando juſtitiam, ad Regiam Majeſtatem in Curia Cancellariæ ut in titul. *De appellatione judiciali à ſententia diffinitiva*, & valet appellatio ſaltem ita in hoc caſu ego ad viginti annos elapſos obtinui Et licet nunc ſint certi aut ſtati Iudices delegati, tamen non habent commiſſionem ad univerſitatem cauſarum ſed tantum ad audiendum & terminandum cauſas appellationum ad Regiam Majeſtatem, & Curiam Cancellariæ interpoſitarum, vigore Statuti Parliamenti, & ideo non ſunt adeundi nec per viam ſimplicis aut duplicis querelæ, ut ſupra dictum eſt de duplicibus querelis impetrandis à Iudicibus inferioribus ad Iudices Reverendiſſimi *Cant.* Archiep.

TITVL. CCXCIV.

Quod Procurator tenetur appellare à ſententia diffinitiva.

Quamvis ut in ſupraſcripto titulo dicitur Procuratorem functum eſſe officio quamprimum lata fuerit ſententia diffinitiva, tamen tenetur ab eadem debitis loco & tempore appellare, niſi Dominus ſuus ſibi ſignificaverit ſe nolle appellare, alioquin competit actio Clienti contra hujuſmodi Procuratorem non appellantem, pro damno, ſi quod, in eo quod ejus Procurator non appellaverit, paſſus ſit.

TITVL. CCXCV.

De tenore ſententiæ remiſſoriæ cum condemnatione, & taxatione expenſarum & excommunicatione in eadem, ſi pars monita non curaverit eaſdem ſolvere.

SI appellans ſuccumbat in cauſa, ſive ex actis primi Iudicis ſive ſecundi, quia vel proceſſus non fuit tranſmiſſus quod ſæpe contingit, vel quia appellatio ſit deſerta, Iudex primo pronunciabit appellantem defeciſſe in probatione libelli, maleq; fuiſſe appellatum, ac confirmabit ſententiam Iudicis à quo, ſi proceſſus fuerit tranſmiſſus. Nam Iudex debet pronunciare ſuper eo de quo cognoſcit, & proceſſu non tranſmiſſo, non poteſt de eo cognoſcere, ſecus

ſecus non, & remittet cauſam Iudici à quo, & etiam condemnabit partem appellantem in expenſis, eaſque in eadem ſententia taxabit, decernetque partem fore monendam ad eas perſolvendum erga talem diem in ea parte conſtituendum, ſub pœna ſententiæ excommunicationis, ſub his verbis dictum *N.* partem appellantem in expenſis legitimis ex parte *M.* partis appellatæ in hac cauſa factis & faciendis atque de jure ſolvendis condemnamus, eaſdemque ad talem ſummam taxamus, caveat Procurator ut fidem faciat ſuper taxatione expenſarum, dictumque *N.* ad ſolvendum eaſdem præfato appellato citra talem diem ſive feſtum monendum fore decernimus, & caſu quo infra terminum hujuſmodi noſtræ monitioni non paruerit eundem *N.* prædicta monitione præcedente, & ejus contumacia ſubſequente ex nunc prout ex tunc, & extunc prout ex nunc excommunicamus in his ſcriptis per hanc noſtram ſententiam, *&c.*

TITVL. CCXCVI.

De executione dictæ monitionis, & de forma denunciationis excommunicationis in dicta ſententia diffinitiva latæ.

PRocurator qui obtinuit hanc ſententiam curabit monitionem ad ſolvendum dictas expenſas continentem, etiam excommunicationem, ſeu literas denunciatorias in eadem deinde exequi contra partem condemnatam in expenſis (id eſt, monenda eſt pars ad ſolvendum citra diem conſtitutam, ſub excommunicationis ſententia ipſo facto in eam latæ, caſu quo non ſolverit. Et ſi eadem pars non curaverit hujuſmodi expenſas ſolvere, intra

infra terminum ſeu diem conſtitutum, literæ denunciatoriæ excommunicationis hujuſmodi ſunt miniſtro Eccleſiæ Parochialis dictæ partis deferendæ, qui eas denunciabit & certificabit, ut in titulo *De forma denunciationis excommunicationis*; & ſi in hujuſmodi ſententia excommunicationis per quadragiuta dies poſt denunciationem perſeveraverit ſignificandum Regiæ Majeſtati, & procurandum eſt brevè Regium per corporis captione, ut in titulo *De petitione literarum ſignificatoriarum*, &c. & in titulo *De ſignificatione & brevi Regio per excommunicato capiendo.*

TITVLVS CCXCVII.

De renovatione decreti ad ſolvendum expenſas vel ſortem principalem.

SI obtinens decretum in caſibus prædictis, negligentia, vel alias, non curaverit illud exequi debito tempore, ſcilicet per quoſdam dies ante diem pro ſolutione aſſignatum, vel forſan eo executo, non curaverit debitè certificare, ex quo, certificatorium ſuper executione ſit diſcontinuatum, Procurator allegabit, ut ſequitur, Reverende Iudex, allego decretum veſtrum alias ad talem effectum emanatum periiſſe ſine fructu, & ideo peto hujuſmodi decretum renovari, ac partem monendam fore decerni ad ſolvendum, *&c.* vel comparendum, *&c.* Iudex: decernimus.

Titvl. CCXCVIII.

De inhibitione cum abſolutione in eadem.

Aliquando Iudex, à quo eſt appellatum, in ipſa ſententia, ſeu forſan poſt latam ſententiam, excommunicabit partem Ream, ut in cauſis temerariæ adminiſtrationis, in cauſa diffamationis (quando agitur quoad pœnam in conſtitutione) & in cauſa impedimenti ultimæ voluntatis, aliquando poſt ſententiam, ut non ſolvendo decimas, vel expenſas, vel legatum adjudicatum; Aliquando etiam Iudex excommunicabit aliquem in non parendo ejus monitionibus præcedentibus ſententiam diffinitivam. Si in iſtis caſibus fit appellatum, tunc inhibitio decernenda eſt per Iudicem ad quem, non ſolum ad inhibendum Iudicem à quo, *&c.* & ad citandum partem appellatam, ut in titulo, *De modo procedendi in cauſa appellationis ad Curias Reverendiſſimi Archiepiſcopi,*) verum etiam in eadem inhibitione inferenda eſt abſolutio a ſententia prædicta excommunicationis uſque in diem aliquem competentem Iudicis arbitrio deſignandum. Et etiam inſcribendum eſt in eadem inhibitione mandatum univerſis Rectoribus, *&c.* Hic omittendi ſunt literati, ut in ordinaria inhibitione, quia non ſolent excommunicationes, nec abſolutiones denunciari niſi per Clericum, (id eſt, aliquem miniſtrum) Poteſt tamen iſta inhibitio in exordio ejuſdem dirigi generaliter univerſis *&c.* Ut in communi forma, ut omnis literatus poſſit citare, inhibere & in fine dirigi omnibus Rectoribus, ut ſupra, ad pronunciandum dictam excommunicationem vel abſolutionem, & ad denunciandum appellantem

appellantem fuiſſe & eſſe abſolutum à dicta ſententia excommunicationis uſque in dictum diem in omnibus, ut in tit. *De forma denunciationis excommunicationis*, Et nota quod in iſto caſu obtinens inhibitionem prædictam, curabit actum concipi de & ſuper conceſſione huiuſmodi inhibitionis, & tenetur coram Iudice ad quem appellare in ſcriptis vel allegare fuiſſe debitis loco & tempore appellatum, ut in titulo ſequenti apparet.

TITVL. CCXCIX.

De forma petitionis Procuratoris coram Iudice ad quem, pro conceſſione inhibitionis cum abſolutione & de tenore actus deſuper concipiendi.

EGo *N.* exhibeo Procuratorium meum literatorie pro *M.* ac facio me partem pro eodem, atque appello Apoſtoloſque peto, querelor, proteſtor, & cætera facio prout in præſenti prothocollo appellationis continetur (& tunc exhibeat huiuſmodi prothocollum appellationis coram Iudice, & dimittat apud actam, vel ſic, ſi appellatum fuerit infra decem dies coram Notario publico, allego fuiſſe debitis loco & tempore appellatum per me tam a quadam prætenſa tententia diffinitiva, vel a quibuſdam gravaminibus per talem Iudicem, quam a quadam ſententia excommunicationis contra Dominum meum lata, & ideo peto inhibendum fore decerni Iudici à quo, & ejus actorum ſcribæ, ac *O.* parti appellatæ in ſpecie, ac omnibus alijs in genere, nè pendente huiuſmodi appellationis & querelæ negotio indiſcuſſo, quicquam faciant aut attemptent, faciatve eorum aliquis attemptari in præjudicium ap-

pellationis hujuſmodi vel quominus Dominus meus pars appellans liberam habeat hujuſmodi appellationis negotium proſequendi facultatem, nec non dictum *O*, partem appellatam citandam fore etiam decerni ad comparendum tali die ad reſpondendum *M.* in cauſa appellationis & querelæ hujuſmodi. Tunc de his omnibus actus eſt per Regiſtrarium concipiendus, & Iudex dicet, nos decernimus inhibitionem & citationem ut petitur. Et etiam Procurator tunc preſtabit juramentum nomine & in animam Domini ſui de parendo juri & ſtando mandatis Eccleſiæ. Et Iudex debet abſolvere partem uſque in diem, & decernere literas teſtimoniales, ſeu denunciationes ſuper hujuſmodi abſolutionem ſine expenſis, niſi decretum fuerat per Iudicem à quo pro corporis captione ante interpoſitam appellationem.

TITVL. CCC.

De ſimplici abſolutione aut abſolutione ſimpliciter & non uſque diem facta.

QUandocunque appellatur a ſententia excommunicationis lata in ſententia diffinitiva Iudicis a quo, aut ante ſeu poſt ſententiam, licet tempore conceſſæ inhibitionis abſolutio facta fuit uſque in diem, tamen ex ſtylo omnium curiarum Reverendiſſimi, à tempore immemorato, inviolabiter uſitato, quamprimum appellans dederit libellum, eſt abſolvendus a dicta ſententia excommunicationis ſimpliciter, & quamvis ſæpe allegatum fuerit hanc abſolutionem ſimplicem fieri non debere niſi de die ad diem, (*viz.*) uſque in finem litis, ut ſi per ſententiam Iudicis ad quem pronunciaretur partem injuſtè

injuſtè appellaſſe, eadem pars incideret in ſententiam excommunicationis alias latam per Iudicem a quo quod alias non faceret, ſi fuerat abſoluta ſimplicitèr. tamen ſæpe adjudicatum fuit pro hujuſmodi ſtylo, *(viz.)* quod dato libello appellans ſit ſimplicitèr abſolvendus.

TITVL. CCCI.

In quo caſu expenſa contumaciæ, ſunt deponenda, apud acta antequam contendenda ſit abſolutio.

SI quis non appellaverit à ſententia excommunicationis, priuſquam ſteterit excommunicatus per quadraginta dies poſt denunciationem, & ſignificatum fuerit pro ejus corporis captione. Tunc petens abſolutionem non eſt abſolvendus niſi primo fuit depoſitio apud Regiſtrarium expenſarum contumaciæ per Iudicem taxandarum, & quæ iſtæ expenſæ ſunt, lege titul. (*Quæ expenſæ dicuntur expenſa contumaciæ,*) Tamen quia non poſſit Iudici conſtare quæ expenſæ factæ fuerint per adverſam partem, donec ipſa pars comparuerit, Procurator petens abſolutionem tenetur, (ultra ſummam apud acta depoſitam) pignus deponere, aut juratoriam dare cautionem de ſolvendis aliis quibuſcunque expenſis per Dominum Judicem taxandis, caſu quo, pars adverſa poterit docere plures deberi expenſas, quam ſummam alias taxatam. Et nota quod apparebit Judici utrum fuerat alias ſignificatum Regi pro corporis captione appellantis; Quia appellans in actu prædicto debet hæc allegare & petere ſcribendum fore decerni Regi pro corporis deliberatione dictæ excommunicatæ perſonæ.

TITVL

Tytul. CCCII.

Quod licet querelari de nullitate ſententiæ & de quacunque alia nullitate coram eodem Judice.

LIcet pars gravata per quamcunque nullitatem poterit de ea querelare coram Iudice ſuperiore quia eſt Iudex ordinarius ad univerſitatem cauſarum, & habet cognitionem in cauſis tam appellationum quam querelarum tamen ſi vult, poteſt adire eundem Iudicem à quo gravatus ſit & nullitatem hujuſmodi coram eo allegare, & Iudex ſi de nullitate hujuſmodi ſibi conſtare poſſit, tenetur, & ſolet eandem revocare, & ſi non revocaverit, datur juſta cauſa appellandi, exempli gratia, Si Iudex aliquis tulerit nullam ſententiam, hoc eſt ſententiam in abſentia partis, vel quod teſtes producti in cauſa fuerint nulliter recepti, vel in cauſa plenaria cum lis non ſit conteſtata, pars contra quam lata erat hujuſmodi ſententia ſi vocata fuerit ad dicendam cauſam quare ſententia alias lata non debeat executioni demandari, poteſt allegare nullitatem ejuſdem ſpecificando hujuſmodi nullitatem, Nam non valet allegatio generalis quod ſententia eſt nulla niſi ſpecificet allegans in qua eſt nulla.

TITVL. CCCIII.

Quod nullitas ſententiæ vel alterius Judicis ſuperioris poteſt allegari coram Judice inferiori

NOn licet nec appellare nec per viam appellationis querelari à Iudice ſuperiore ad inferiorem. Tamen ſi in quacunque cauſa pendente coram Judice inferiore aliqua ſententia lata, ſeu aliquis actus habitus coram Iudice ſuperiore objicitur ad elidendum tuam intentionem, vel ad confirmandam intentionem adverſarij, licet tibi nullitatem ejuſdem objicere. Et ſi probaveris Iudex inferior (quamvis de hujuſmodi nullitate principaliter non cognoſcat) debet tamen ita in cauſa pronunciare & adjudicare perindè ac ſi hujuſmodi ſententia nulla ſive actus nullus non fuiſſet coram eo exhibitus & ita incidenter ac tacite pronunciare poteſt de nullitate hujuſmodi.

TITVL. CCCIV.

Quod licet appellare ab injuſta excommunicatione lata per certificatorium fictum & falſum.

QUamvis omnis excommunicatus ex ficto & falſo certificatorio poteſt, & ex quotidiana practica ſolet coram Iudice excommunicante objicere contra hujuſmodi certificatorium, ut in titul. *De objectione contra certificatorium*, & de abſolutione abi injuſta excommunicatione, tamen excommunicatus in hoc caſu poteſt ab hujuſmodi injuſta excommunicatione ad Iudicem ſuperiorem appellare & coram eo objicere contra hujuſmodi certificatorium,

um. Et ſi objecta hujuſmodi probaverit, ut in dicto titulo *De objectione*, &c. obtinebit in appellatione, & adverſa pars quæ hanc obtinuit excommunicationem eſt condemnanda in expenſis totius appellationis & injuſtæ excommunicationis, & cauſa principalis eſt tractanda coram judice appellationis. Si hæc igitur cauſa appellationis datur, & pars excommunicata habet judicem ſuſpectum, tutiſſimum eſt uti hac appellatione.

TITVL. CCCV.

De decreto ad dicendam cauſam quare appellatio non deberet declarari per deſerta.

QUemadmodum ſuperius dicitur in titulo, *De decreto ad proſequendam appellationem*, quod ſi quis inhibuerit Iudici, & non curaverit partem appellatam citari, aut forſan citaverit, ſed non ſit proſecutus cauſam poſſit vocari ad proſequendam cauſam ſub pæna finalis remiſſionis & demiſſionis cauſæ, *&c.* Ita ſi in caſu deſertionis integer annus ſit lapſus à die in quo inhibitum fuit judici a quo, vel ſaltem a die latæ ſententiæ, vel gravaminis illati a quo appellatur tunc licet appellato vocare appellantem niſi habuerit Procuratorem in judicio ad comparendam tali die ad dicendam cauſam quare prætenſa appellatio ſi quæ ſit per dictum appellantem a tali ſententia vel a quibuſdam prætenſis gravaminibus interpoſita pro deſerta pronunciari (quia aliquando obtinentur inhibiones cum non ſit omnino appellatum) & pars appellata dimitti cauſaque remitti judici a quo una cum expenſis non deberet, hoc decretum per appellatum peti & decerni per judicem poteſt, & ſolet, ſi appellans non fuerit proſecutus appellationem infra terminum

TITVL. CCCVI.

De modo procedendi cum appellans ſit vocatus ad dicendam cauſam quare appellatio non deberet declarari pro deſerta.

EXecuto & relato mandato originali ſi appellans non comparuerit, vel comparens nullam cauſam allegaverit ob quam appellatio ejus non deberet pronuntiari pro deſerta, nec dederit libellum, ac petierit terminum ad libellandum. Tunc Judex (petente parte appellata) poteſt aut per ſententiam in ſcriptis, aut per decretum interlocutorium pronunciare appellationem eſſe deſertam, remittere cauſam Judici à quo, & dimittere partem appellatam eum expenſis taxandis vel tunc taxatis.

Si verò citatus comparuerit ac dederit libellum vel petierit terminũ ad libellandũ, & ut procedatur in cauſa appellationis, appellatus ad impediendum litis ingreſſum poteſt allegare appellationem eſſe deſertam, & ſi aſſumpſerit in ſe onus hanc allegationem probandi, ſiſtendus eſt progreſſus quoad cauſam appellationis in eventum probationis aut non probationis deſertionis hujuſmodi. Si verò probatum fuerit appellationem eſſe deſertam, ita pronuntiandum eſt, & appellans eſt in expenſis condemnandus & cauſa Iudici à quo remittenda. Sed ſi appellatus defecerit in probatione hujuſmodi deſertionis, appellans poterit primo obtinere ſententiam ſeu decretum interlocutorium appellationem non eſſe deſertam cum condemnatione expenſarum, & deindè dare libellum ac procedere in cauſa principali, tamen proteſtetur appellans in ſingulis actis

& geſtis in dicta obiectione deſertionis appellationis de diligentia ſua, & quod eſt promptus & paratus ad proſequendam cauſam appellationis caſu quo non ſteterit pro parte appellata quo minus eandem proſequi potuiſſet.

TITVL. CCCVIII.

De modo probandi appellationem eſſe deſertam in caſu prædicto.

IN hoc caſu eſt in omnibus allegandum, procedendum, & probandum, ut in titulo *De forma allegandi deſertionem*, & in titulo *De impedimentis allegandis ad impediendam deſertionem*, &c. § Sed in caſibus prædictis: aliquando verò probatur deſertio ex dato inhibitionis, vel ex primo actu ſuper conceſſione inhibitionis ſi fuerat cum abſolutione. Sed ſi nec inhibitio ſit relata, nec aliquis actus habitus de conceſſione ejuſdem tum probanda eſt dicta allegatio deſertionis per exhibitionem actus Iudicis à quo, ſuper probatione ſententiæ diffinitivæ ſubſcriptæ manu propria Regiſtrarij ejuſdem Iudicis.

Et ſi hic actus ſit confeſſatus per Procuratorem appellantis (*viz.*) eſſe veram copiam actus Iudicis à quo, vel eſſe ſubſcriptam manu propria Regiſtrarij Iudicis ejuſdem, & concordare cum originali, ſi ex ipſa inſpectione dicti actus conſtare poſſit Iudici ad quem, annum integrum eſſe lapſum à die latæ ſententiæ, vel potius interpoſitæ appellationis, ſi de aliqua appellatione conſtiterit, eſt pronunciandum & decernendum in omnibus ut in dicto titulo proximo præcedenti.

Sed

Sed nota quod quamvis appellatus vocaverit appellantem ut ſupra ad dicendam cauſam quare appellatio non deberet declarari pro deſerta, & pro certo ſciverit appellationem eſſe deſertam, poterit tamen omittere hanc objectionem deſertionis, & permittere appellantem dare libellum & procedere in cauſa donec tranſmiſſus fuerit proceſſus Iudicis à quo, deindè allegare deſertionem appellationis. Et aliquando expedit appellato abſtinere a propoſitione deſertionis appellationis, donec proceſſus fuerit tranſmiſſus, Nam ſi appellatur extrajudicialitèr coram Notario in ſcriptis, ita ut nec ipſa appellatio, nec inhibitio Iudicis (quia remanet cum appellante & non ſit judicialitèr relata) apud Regiſtrum exiſtant, Quomodo poſſit deſertio probari? Probatur igitur facilè ex inſpectione proceſſus Iudicis a quo. Et ſi in hoc caſu appellatus allegaverit deſertionem, ſi interceſſerint impedimenta quo minus appellans non fuerit proſecutus hujuſmodi appellationem iſta impedimenta allegari poſſunt, ut in titul *De impedimentis allegandis*, &c. &, *De cauſis quibuſdam quæ impediunt deſertionem*, & quemadmodum appellatus poteſt allegare deſertionem appellationis in non proſequendo appellationem infra terminum juris, ita etiam poteſt deſertionem allegare propter non proſecutam appellationem infra terminum datum per Iudicem a quo & ſimilitèr appellans in utroque caſu hujuſmodi poterit impedimenta prædicta allegare.

TITUL. CCCVIII.

Quod Procurator appellans poteſt cogi ad proſequendum appellationem, & dandum libellum ſine decreto aut citatione contra partem principalem ad proſequendum appellationem.

VT ſupra dictum eſt in titulo *De forma petitionis Procuratoris tempore appellationis*, &c. quoties appellatur à ſententiâ excommunicationis lata per Iudicem inferiorem, Procurator appellantis exhibere ſolet, & tenetur Procuratorium ſuum pro hujuſmodi appellante, ad obtinendam dictam inhibitionem, & abſolutionem, & facere ſe partem pro eodem quod non eſt uſitatum in impetrandis cæteris ordinarijs inhibitionibus. Ideo in iſto caſu Procurator appellati, quia habet Procuratorem appellantis procedentem in Iudicio ſine ullo decreto ad proſequendum poteſt petere à Procuratore appellantis libellum vel partem ſuam dimitti. Et ſi Procurator non libellaverit, appellatus eſt dimittendus, & cauſa remittenda in omnibus, ac ſi vocata fuiſſet pars appellans ad proſequendum.

TITVL.

TITVL. CCCIX.

Modus procedendi in causis criminalibus corrigendis, & ad jurisdictionem Ecclesiasticam spectantibus.

DE jure communi punitio, & correctio criminum, ad Reverendos Episcopos eorumque Vicarios in spiritualibus generales spectat. Solet igitur quilibet Episcopus ad crimina corrigenda, & punienda, atque errores quoscunque extirpandos, in primo anno inthronizationis suæ, (id est, post ejus Consecrationem & Installationem in Episcopatum) personaliter visitare tam in capite quam in membris, (id est, tam Ecclesiam Cathedralem, quam Ecclesias Collegiatas & Parochiales) Clerumque & populum totius Diœceseos suæ & gregem universum sibi commissum, solet etiam ex causis hujusmodi quolibet triennio consimilem visitationem exercere.

Sed quoniam Episcopi communiter residere in civitate eorum Diœcesium, & specialem curam quoad mores & religionem civium & inhabitantium ibidem habere solent, ex quo commodè non possunt quolibet anno totam Diœcesin personaliter visitare, nè tamen cæterorum Diœcesanorum delicta impunita remaneant, & ut errores & hæreses (si quæ irreplerint extirpentur, Archidiaconi (qui oculi dicuntur Episcopi) tenentur, & solent annuatim personaliter vel per eorum officiales, visitare eorum Archidiaconatus ac crimina erroresque corrigere & reformare, Et quamvis ex ipso jure correctio, & reformatio criminum saltem majorum, non spectat ad Archidiacanos, sed propriè

(ac ut ſuperius dicitur) de jure communi ad Epiſcopos, tamen aut ex commiſſionibus, & compoſitionibus inter Epiſcopos & eorum Archidiacanos olim initis, & habitis, aut ex præſcriptione, correctio, reformatio, & punitio criminum etiam majorum ſpectat ad quemcunque Archidaconum cujuſcunque Dioceſis Provinciæ *Cantuar.* Epiſcopus tamen & Archiepiſcopus non excluduntur, ſed poſſunt, quotieſcunque apud eos de quocunque crimine Eccleſiaſtico querelatur, ex officio mero vel promoto, contra quoſcunque delinquentes procedere, & hujuſmodi crimina corrigere.

Titvl. CCCX.

Quibus modis Epiſcopus ſeu Archidiaconus procedere poteſt in corrigendis & reformandis criminibus.

VT à doctiſſimis accepi, atque praxi didici, tres ſunt modi procedendi in criminibus Eccleſiaſticis (*viz.*) per inquiſitionem, accuſationem, & denunciationem, de quibus ſuo ordine tractabitur.

Titvl. CCCXI.

De forma proſequendi per inquiſitionem.

SI ad aures Epiſcopi ſeu Archidiaconi ſive fama publica referente, ſive ex relatione perſonarum fide dignarum, pervenerit, quenquam ſuæ Dioceſis & Archidiaconatus aliquod crimen Notarium commiſiſſe, vel aliqua opinione erroneâ, & perverſitate obſtinatè inſignem, aut ſuſpectum fuiſſe, quamvis

quamvis tale crimen non fuerit, per Gardianos œconomos ſeu inquiſitores (de quibus inferius tractabitur (detectum, aut præſentatum, Epiſcopus ſeu Archidiaconus poteſt citari mandare delinquentem ad comparendum perſonaliter coram eo in loco ſolito judiciali (& non in ædibus privatis, quia jus debet publicè in ſolito loco reddi) certis articulis animæ ſuæ ſalutem & præſertim tale crimen (hic ſpecificandum eſt crimen) concernentibus, & ſibi objiciendis reſponſurum.

TITVL. CCCXII.

De executione inquiſitoria citationis & ejus certificatorio.

QUamvis nonunquam Epiſcopi & Archidiaconi ſolent in cauſis criminalibus perſonas citare, non per citationes in ſcriptis, eorum nominibus & ſigillis communitas, ſed per eorum apparitores ſeu mandatores verbo tenus, tamen ſæpe controverſum fuit, an Valeret citatio viva voce, & non in ſcriptis facta, & utrum ſic citatus non comparens, poſſit ſine gravamine per Iudicem illato excommunicari, ad evitandum igitur hoc dubium, citentur in futuro delinquentes per citationem in ſcriptis modo præmiſſo communitam.

Similiter conſueverant Epiſcopi & Archidiaconi nulla præcedente citatione primaria & nulla facta inquiſitione pro perſona citanda, nulloque relato, aut introducto certificatorio de inquiſitione, neque fide facta quod pars citata latitat, quo minus perſonaliter citari valeat, decernere perſonas citandas fore per edictum publicum, quod dicitur citatio, vijs & modis,

modis, & etiam quod praxi, & juri videtur magis diſſentaneum. apparitores ſolent minimam quandam notulam ſeu chartam, in quâ ſolummodo nomen & cognomen citandæ partis & dies & locus comparitionis (omiſſa cauſa ejuſdem) continentur, dimittere apud ædes partium conveniendarum, & ſi partes non comparuerint, nulla fide juratoria facta per apparitores, hanc notulam ſeu chartam dimiſſam fuiſſe, excommunicare, & pro excommunicatis denuntiare, ex quibus procedendi modis diverſæ cauſæ appellationum ortæ fuerunt, & appellantes in eiſdem obtinuerunt. Tutiſſimum igitur eſt in poſterum ut citatio primaria concedatur, & ut pars perſonalitèr (ſi poſſit ita apprehendi) citetur, alioquin certificatorio authentico, aut fide juratoria facta perſonam citandam latitaſſe quo minus perſonalitèr citari poſſit. Tunc decernatur citatio viis & modis, quâ debitè executa & relata, ſi Reus non comparuerit legitimè excommunicari, & ulterius contra eum procedi poteſt, ut in cæteris cauſis inſtantiarum de quibus ſuperius plenius tractatur in præcedenti titulo.

Titvlvs CCCXIII.

De modo procedendi ſi citatus comparuerit.

RElato mandato citatorio, ac parte comparente citata, Iudex Epiſcopus vel Archidiaconus ſeu eorum officialis, ex officio ſuo mero contra comparentem articulos continentes tam cauſas conventionis, quam famam publicam de crimine propter quod citavit partem in ſcriptis dare, & objicere ſolet, & conventum ad juramentum

ſub

subeundum ad respondendum de veritate in facto proprio & de credulitate in facto alieno monere, & mandare & si hoc juramentum subire contumaciter recusaverit, monendus est ad præstandum & subeundum juramentum primo, secundo, & tertio (quamvis uno & eodem tempore,) Et si adhuc pertinax seu potius contumax in non subeundo hoc juramentum perstiterit, seu plus justo distulerit præstare) pro hac manifesta contumacia est excommunicandus; & absolvendus non est donec juramentum de respondendo, & de parendo juri, & stando mandatis Ecclesia perstiterit: si conventus juramentum de respondendo articulis subiverit, monendus est ad subeundum examen super eisdem intra vel ante aliquem diem in ea parte arbitrio Judicis assignandum, vel ad comparendum eodem die seipsum propter ejus in ea parte contumaciam excommunicari visurum, & si non subiverit examen ante tempus assignatum (quamvis comparuerit sive non) nisi ex causis legitimis hanc contumaciam purgaverit est propter contemptum & contumaciam excommunicandus ut supra.

TITVL. CCCXIV.

Forma procedendi contra Reum juratum ad respondendum articulis ac recusantem respondere positionibus quibus de jure respondere tenetur.

Licet ut superius dicitur Reus non tenetur respondere positioni criminosæ tamen respondere tenetur positioni famæ & jurisdictionibus Iudicis, nam solent Iudices in articulis allegare Reum esse suæ jurisdictionis ut apparere possit fori competentia. Ideo si Reus hujusmodi

respondere recusaverit, interrogandus, jubendus & monendus, est etiam primo, secundo, & tertio respondere. Et si (monitus interrogatus & jussus non responderit) vel responderit trivolè, seu plus justo distulerit pronunciandus est contumax, atque in pœnam contumaciæ declarandus est pro confesso super his articulis quibus non responderit, & hæc pronunciatio & declaratio pro confesso æquipollet confessioni simpliciter factæ, & contra reum procedi possit perindè ac si confessus fuisset articulos quibus respondere recusavit vel si articuli sufficientèr per testes probati fuissent.

TITVL. CCCXV.

Modus procedendi contra Reum negantem respondere positioni criminosæ quamvis fama fuerit probata vel confessata.

SI Reus famam fateatur, vel fama fuerit sufficientèr probata, Reus tenetur respondere positionibus quamvis criminosis. Et si respondere recusaverit vel plus justo distulerit, interrogandus, monendus & jubendus est ut respondeat, & si non responderit, pronunciandus est pro confesso modo & forma in proximo præcedenti titulo specificatis.

TITVL.

TITUL. CCCXVI.

Modus procedendi contra Reum negantem crimen & famam fatentem.

SI Reus famam fateatur & crimen objectum negaverit, & si Iudex & promotor officij sui crediderit [illegible] crimen probare, assi[illegible] [illegible]n otori necessario [illegible] [illegible]minus compitens, [illegible] [illegible]nales comprobare, ac probationes producendæ [illegible] ut in cæteris causis ordinarijs, & monendus est Reus ad interessendum singulis sessionibus generalibus usque ad sententiæ diffinitivæ prolationem inclusive ferendæ; & si non comparuerit, probationes & testes super articulis objectis in pœnam ejus contumaciæ recipi, admitti, jurari, & excommunicari, & eorum dicta publicari debent. Nec non sententia diffinitiva ferri & promulgari potest ejus absentia seu potius contumacia non obstante, sed tutissimum est, post receptas & publicatas attestationes testium, citare de novo Reum ad audiendum sententiam diffinitivam tali die ferendam, Et Reus potest contra hos testes excipere, & eos & eorum dicta reprobare, vel ante publicationem testium materiam quamcunque pro defensione sua, & ad probandum innocentiam suam in criminibus objectis proponere & probare, si fama confessata vel probata fuerit, poterit purgationem indicere prout in sequenti titulo continetur, Et notandum est quod omnes causæ correctionū ex mero Iudicis officio institutæ, sunt causæ summariæ, saltem solet in eisdem summariè procedi, & ita est procedendum, secus de officio voluntario promoto.

TITVL. CCCXVII.

Modus procedendi, ſi Reus negaverit crimen objectum, & famam.

SI Reus negaverit crimen & famam, tunc ſi crimen objectum fuit Notorium & publicum, & de eodem laboraverit publica vox & fama, Iudex producere & examinare curabit Parochianos Rei, ſeu alios quoſcunque ad famam probandam, eoſque ad perhibendum teſtimonium, ſirogati recuſaverint per cenſuras Eccleſiaſticas compellere, & quemadmodum in cauſis inſtantiarum, licet parti contra quam producuntur teſtes, quæcunque interrogatoria ad cauſam inſtitutam pertinentia, miniſtrare contra teſtes adverſarij, ad veritatem eruendam, ita etiam in his cauſis correctionum in quibus ſtatus honoris, opinio, nomen, & bona fama apud bonos & graves pendet, maxime licet & expedit Reo quæcunque interrogatoria contra teſtes officio Iudicis productis miniſtrare.

TITVL

TITVL. CCCXVIII.

De onere Interrogatoriorum contra testes in causa seu negotio correctionis sive ad probandum crimen seu famam criminis productos ministrandorum.

QUandoquidem testes examinati ad famam probandum nonnunquam inficia Registrarij solent generaliter deponere famam publicam laborasse, Reum commisisse crimen objectum, non exprimendo ex quibus causis, & per quas personas fama orta fuit, aut originem habuit nec reddendo causas scientiarum suarum in eorum dictis, Reus potest sequentia interrogatoria ministrare (*viz.*) primo contra personas testium, ut superius tractatur in titul. *Tangentibus productionem testium in causis*, deinde petere ut testes specificent personas à quibus famam audiverint nec non ut specificè declarent indicia illa aut præsumptiones illas, ex quibus fama originem habet (indicia & præsumptiones hæc) Si Reus tempore nocturno vel in locis suspectis sæpius visus fuerit cum muliere suspecta, aut infamata & sæpius eam secretis in locis alloquendo, & osculando, Et si aut ex responsis testium ad interrogatoria, vel ex probationibus per Reum producendis apparet famam crimnis objecti processisse aut laborasse ex malevolis, & inimicis partis Reæ, vel quod plerumque contingit ex nuda & sola accusatione mulieris diffamatæ propriam turpitudinem confitentis, Reus non tenetur istis criminosis positionibus respondere, nec se de ijsdem accusare, quia hæc fama tam generaliter probata propriè non dicitur, nec est fama, sed potius falsus rumor.

TITVL. CCCXIX.

De finali terminatione causæ prædictæ & probatione sententiæ diffinitivæ.

I aut per confessionem rei, aut per probationes per testes, fama publica, de crimine objecto fuerit probata, vel si vehementes præsumptiones, & indicia notata in proximo præcedenti titul, vel consimilia probata fuerint, quamvis crimen objectum non fuerit probatum, tamen Iudex potest Reo Canonicam purgationem indicere, & si Reus in purgatione defecerit pro convicto pronunciandus, & pœnitentia publica est ei injungenda, prout in titul. sequenti magis specifice continetur. Sed si crimen objectum fuerit probatum, tunc procedendum est ad sententiam & ad conclusionem in causa prout in cæteris causis summarijs & ferenda est sententia diffinitiva per quam pronunciandum est judicem seu officij sui promotorem necessarium (si promotor necessarius fuisset assignatus) probasse intentionem in articulis objectis, & Reum nihil probasse ad eludendam intentionem officij ju eisdem deductam, ut in ordinarijs causis, & in conclusione sententiæ pronunciandum est Reum tali tempore, tale crimen (*viz.*) crimen objectum & probatum commisisse eoque præterea Canonice puniendum, castigandum & corrigendum esse, pœnitentiamque salutarem & condignam Reo injungendam fore & de jure injungi debere, & est in expensis litis ex parte officij seu promotoris officij condemnandus, cum reservatione taxationis ut in cæteris sententijs.

TITVL

TITVL. CCCXX.

De forma demandandi ſententiam executioni.

DEmandanda eſt ſententia executioni & pœnitentia eſt delinquenti ac convicto injungenda, ac in omnibus vel per omnia eſt proceedendum, aut in præſentia aut in abſentia partis prout in cæteris titulis ſcriptis (viz) *De forma demandandi ſententiam executioni*, præſertim in titul. *De forma demandandi ſententiam executioni in cauſa diffamationis* continetur.

TITVL. CCCXXI.

De tenore ſententiæ abſolutoriæ ferendæ pro parte accuſata ſi Judex vel promotor defecerit in probatione articulorum.

SI nec crimen objectum, nec indicia, nec præſumptiones vehementes criminis objecti probatæ fuerint, ferenda eſt ſententia abſolutoria pro parte Rei, quoad narrata & deducta in articulis objectis, ac reſtituendus eſt priſtinæ famæ, & opinioni, quæ aliquantulum læditur per hanc litem, & dimittendus eſt ab officio quoad objecta, una cum ſuis expenſis.

TITULI

Titul. CCCXXII.

Modus procedendi per accuſationem.

SI quis crimen (ad fori Eccleſiaſtici cognitionem ſpectans) commiſerit & de eodem non fuerit detectus, denunciatus vel præſentatus, vel Epiſcopus, vel Archidiaconus non proceſſerit contra eum per inquiſitionem, quilibet tamen perſona ſi fuerit ſolvendo expenſas parti conveniendæ ſi objecta non probaverit, quoniam Rei publicæ intereſt ut delicta puniantur, habet intereſſe & Judicis officium implorare & voluntariè promovere, & delinquentem articulis ex officio Judicis promoto reſpondere, in jus vocare poteſt, & parti comparenti articulos nomine Iudicis, & ex ejus officio promoto objicere & miniſtrare, & delinquentem accuſare. Et quoniam cauſa correctionis voluntariæ promota eſt cauſa plenaria, eo modo eſt procedendum ut in cæteris cauſis plenariis, & Reus in his caſibus (exceptis quibuſdam cauſis (*viz.*) Cauſa Symoniacæ & uſurariæ pravitatis & inceſtus, & in omnibus cauſis tangentibus privationem aut depoſitionem Clerici à Beneficio & ordinibus, non tenetur reſpondere eiſdem, quia ſunt criminoſæ poſitiones, tenetur tamen reſpondere quid credit de fama publica, & eſt procedendum ut ſupra in titul. *De forma procedendi in negotio inquiſitionis*, & licet partibus replicare & duplicare ut in cæteris caſibus ordinarijs, & ferenda eſt ſententia pro Actore vel contra actorem pro Reo prout in prædictis titulis continetur.

Sed

Sed hic notandum eſt, quod ſi Actor in hoc caſu probaverit famam publicam vel præſumptiones vehementes ob quas purgatio parti Rei indicta fuerit, vel indici poſſet & debuiſſet, (quamvis non probaverit crimen objectum, tamen obtinebit ſententiam purgationem eſſe indicendam, & Reus eſt in expenſis illius litis condemnandus, Nam Reus negando famam, cauſavit Actorem litigare & expenſas facere circa probationem ejuſdem.

TITVL. CCCXXIII.

Modus procedendi per denunciationem.

A Tempore memoriam hominum longè ſuperante in omni Parochia Provinciæ *Catuuarienſis*, major & ſanior pars cujuſlibet Parochiæ (interveniente conſenſu Rectoris ſive Vicarij, conſuevit quolibet anno duos probos & diſcretos viros Parochiæ in Guardianos ſeu Oeconomos (ut vocant) quidem tamen Parochiani intendunt electionem & conſtitutionem hujuſmodi perſonarum ad ſe ſolum, excluſo Rectore, vel Vicario, ex antiqua conſuetudine (ſeu verius) corruptela ſpectare ac ſex, quatuor, vel duos pauciores vel plures etiam probos, in curatores ſeu inquiſitores eligere & conſtituere, quos Epiſcopus & Archidiaconus viſitare proponentes ad comparendum in eorum viſitatione, viſitationem eandem ſubituros vocare ſolent, eiſque comparentibus, articulos in ſcriptis miniſtrare ac eos de fidelitèr inquirendo ſuper eiſdem, & de inquiſitis & compertis eorum judicium ſeu præſentationem aut ut vocant detectionem quodam tempore tunc conſtituendo juramento coporali onerare; articuli

verò in his caſibus uſitati ſolent concipi per viam ſeu modum interrogatoriorum (*viz.*) utrum aliquis infra Parochiam commiſit adulterium, fornicationem, inceſtum vel de eiſdem criminibus, aut eorum aliquo, fuerit notatus aut ſuſpectus, & ſic de cæteris quibuſcunque criminibus ad cognitionem fori Eccleſiaſtici ſpectantibus, poſtquam Guardiani & inquiſitores prædicti fuerint ut præfertur jurati diſjunctim in exonerationem conſcientiarum inquirere & quantum in eis eſt indagare ſolent, quæ & quales perſonæ prædicta crimina vel eorum aliqua commiſerint, vel de eiſdem notati aut ſuſpecti fuerint. Nec non etiam præter particularem inquiſitionem convenire ſolent in Eccleſia Parochiali ſeu alio loco ſecreto, & ſimul conferre de præmiſſis & inventa & comperta in ſcriptis redigere ac nomina & cognomina delinquentium in hunc modum ſpecificare. Ad talem articulum præſentamus talem eſſe adulterum, fornicatorem vel lenonem, *&c.* vel de tali crimine publicè & communiter notatum & ſuſpectum, hanc præſentationem in vim juramenti, alias ut præfertur per eos præſtiti coram viſitatore die præſcripto exhibere tenentur, quod ſi non fecerint, ſunt excommunicandi virtute præcedentis monitionis factæ ad exhibendum præſentationem tali die & non ſunt abſolvendi donec comparuerint & præſentationem exhibuerint, & eſt notandum quod non ſufficit præſentare talem commiſiſſe adulterium (quamvis per ignorantiam ſit quotidianum) vel de adulterio notatum aut ſuſpectum eſſe, Sed nominanda eſt perſona cum qua crimen commiſit, vel cum qua ſuſpectus ſit, & quod de ſuſpitione laboravit publica vox & fama. Nam aliter ex generali & incerta præſentatione purgatio indicenda non eſt, & ſi indicta fuerit, detectus ſe purgare non poteſt, propter incertitudinem & generalitatem detectionis.

TITVL. CCCXXIV.

De forma procedendi contra detectos & præſentatos per œconomos & Guardianos.

CItandæ ſunt perſonæ præſentatæ ad comparendum die aliquo competente, per Iudicem aſſignando, articulis animæ ſalutem & præſertim crimina quædam Eccleſiaſtica in viſitatione nuper celebrata detecta concernentibus perſonaliter reſponſurum, executa & debitè relata dicta citatione ut in titul. *De executione citationu & certificatorio.* Iudex ſignificabit parti conventæ viva voce verba præſentationis vel effectum eorundem in hunc modum. Objicimus tibi quod es coram nobis per œconomos, Guardianos, & inquiſitores tuæ Parochiæ legitimè detectus & præſentatus, quod commiſiſti tale crimen, ſpecificando crimen præſentatum, & quod laboras fama publica te crimen præſentatum commiſiſſe, licet conventus non teneatur reſpondere, utrum crimen objectum commiſerit, (quia eſt poſitio criminalis) tenetur tamen reſpondere affirmativè vel negativè quoad famam objectam, & quamvis tam crimen quàm famam negaverit, indici poteſt purgatio. Solet igitur Iudex interrogare Reum an aliquam cauſam ob quam Canonica purgatio ei indici non deberet, allegare poſſit, & ſi nullam cauſam ſufficientem allegaverit, Canonicam purgationem indicere poſſit, & Reo aſſignare & conſtituere diem competentem, habita conſideratione debita ad diſtantiam loci habitationis Rei à loco judicij, ad ſe purgandum, quarta, ſexta, vel octava, manu hominum proborum Parochiæ ſuæ, juxta qualitatem perſonæ, juxta gravitatem criminis præſentati & infamiæ, & de-

cernere omnes & ſingulos quoſcunque opponere & objicere volentes & valentes contra purgationem, ac compurgatores introducendos, citandos fore per edictum publicum, id eſt, citationem vijs & modis, vel per citationem publicè denunciandam in Eccleſia Parochiali Rei quod compareant die & loco aſſignatis pro purgatione facienda, ad proponendum & objiciendum in debita juris forma, ſi ſua putaverit intereſſe contra purgationem & compurgatores producendos. Et notandum eſt quod ſemper practicatum & adjudicatum fuit, purgationem indici poſſe ex ſola præſentatione Guardianorum, & inquiſitorum, nullis productis teſtibus, ad famam probandam (non obſtante quod Reus & crimen & famam etiam mediante juramento negaverit) quia œconomi & Inquiſitores modo præmiſſo jurati, dicantur teſtes ſynodales.

TITVL. CCCXXV.

De tenore edicti publici, ac de forma executionis, & relationis ejuſdem.

IN edicto publico ſpecificanda ſunt ſequentia (*viz.*) quod talis de tali crimine detectus, habet ad ſe purgandum talibus die & loco tali numero compurgatorum honeſtorum Parochianorum, hoc edictum eſt per miniſtrum Eccleſiæ Parochialis Rei, in eadem Eccleſia divinorum tempore per ſex ad minus dies præcedentes diem purgationis faciendæ denunciandum, & publicandum, ut de veri ſimili opponentes & objicere valentes contra purgationem, ſcientiam & notitiam habeant, vel veri ſimiliter habere poſſint, ante diem conſtitutum pro purgatione facienda, edictum verò citatorium eſt aut perſonaliter per publicantem & exequentem in vim juramenti, vel per certificatorium authenticum certificandum.

TITVL

TITVL. CCCXXVI.

De comparitione Rei cum ſuis compurgatoribus & juramento per Reum, & per eoſdem præſtando.

RElato edicto publico cum certificatorio modo & forma prædictis, publicè præconizandus eſt Reus, ſi comparuerit, Iudex interrogabit eum an habet paratos in judicio numerum compurgatorum juxta aſſignationem factam; & ſi dixerit ſe eos habere in promtu, tunc facienda eſt de mandato per judicis preconem Curiæ publica præconizatio trina vice pro omnibus & ſingulis perſonis citatis modo & forma prædictis ad proponendum & objiciendum (ſi quæ proponere & objicere habeant) contra purgationem vel ad impediendum eandem, vel contra purgatores in ea parte producendos, ſi vero nulli oppoſitores comparuerint, pronunciandi ſunt contumaces & in pœnam contumaciarum decernendum eſt procedendum in negotio purgationis, & oppoſitores quoſcunque in poſterum (quoad præmiſſa) excludendos eſſe. Deindè producat præſentatus ſuos compurgatores, ac petat à Regiſtrario ut ſcribat eorum nomina & cognomina in actis, dicetque, offero me promptum & paratum ad præſtandum juramentum de innocentia mea quoad crimen prætenſum objectum, & peto compurgatores recipi & admitti ac jus & juſtitiam mihi fieri & miniſtrari. Tunc (quia Iudex non excluditur à propoſitione objectionum, quamvis nulli alij objicient) ſi nihil per Iudicem proponi aut objici poſſit contra compurgatores, vel ſi conſtiterit Iudici eos eſſe Parochianos

chianos Parochiæ detecti, id eſt probos, publicè recitabit, tam præſentato quam compurgatoribus, periculum perjurij & pœnam (tam jure divino quam humano) per jurantibus, & falſo Dei nomen invocantibus debitam, eoſque ſerio etiam ſæpius hortabitur, maximam habere curam animarum ſuarum & eis publicè leget præſentationem factam per Guardianos, vel per Regiſtrarium legi mandabit. Si præmiſſis non obſtantibus detectus inhærendo priori ſuæ petitioni obtulerit, & petiverit, ut prius, (id eſt, ſe eſſe promotum ad præſtandum juramentum prædictum & petierit ſuos compurgatores admitti & recipi, Iudex deferre debet parti petenti ſequens juramentum (*viz.*) quod non commiſit crimen objectum, vel quod non ſit Reus criminis hujuſmodi. Quod juramentum ſi detectus animo conſtanti & non timido aut trepidante præſtiterit, tunc interrogandi ſunt compurgatores an voluerint, & ſana conſcientia poſſint jurare quod in eorum conſcientia credant detectum innocentem eſſe criminis objecti, vel eum verum præſtitiſſe juramentum: quod juramentum ſi fuerit per prædictos compurgatores intrepidè & conſtanter præſtitum, Iudex pronunciabit detectum legitime & Canonicè ſe purgaſſe, & innocentem eſſe criminis objecti, & reſtituet & eum priſtinis ſtatui, opinioni, & famæ, eumque ab officio ſuo quoad objecta dimittet.

TITVL.

TITVL. CCCXXVII.

De objectione contra compurgatores.

I relato edicto publico oppoſitores comparuerint, admittendi ſunt ad proponendam quamcunque concludentem materiam contra admiſſionem purgationis (*viz.*) Quod conventus commiſit crimen objectum (ſpecificando perſonam cum qua crimen commiſſum fuit, tempus & locum commiſſi criminis: vel quod perſonæ prædictæ in compurgatores non ſunt recipiendæ aut admittendæ, eo quod ſunt, parentes, conſanguinei, affines, tenentes partis eos producentis, vel in ſuo ære pauperes (pauper enim non eſt admittendus ſi ſpaciosa ſit Parochia, & Parochianorum multitudo ſatis ampla, ſecus in exigua & depopulata) & egeni & tales qui minimo pretio corrumpi & ſubornari poſſunt, malæ famæ, opinionis læſæ ac criminoſæ (ſpecificando crimina.) Nam contra purgatorem objicientes quæcunque crimina proponere poſſunt, & quod fuit de conſimili crimine de quo Reus prælentatus eſt, notatus; & denique tales quæ ad purgationem cujuſcunque perſonæ non ſunt admittendæ, ſi proponentes objectiones prædictas onus probandi eaſdem in ſe aſſumpſerint admittendi ſunt & ſi objicientes probaverint crimen objectum ferenda eſt ſententia Objicientes probaſſe eorum intentionem in eorum objectis deductam, & Reus eſt pro convicto pronunciandus, & pœnitentia canonica eſt ei injungenda ut in præcedenti titulo.

Si

Si vero objecta ſolummodo contra compurgatores probata fuerint, conventus eſt pronunciandus defeciſſe in purgatione & pœnitentia eſt injungenda ut ſupra cum condemnatione expenſarum in utroque caſu, id eſt, ſi vel crimen probetur vel objectiones contra compurgatores probatæ fuerint, poteſt tamen Iudex in iſto ultimo caſu (*viz.*) ſi objecta contra compurgatores probata fuerint, ex gratia concedere convento, novum ſeu alium diem pro purgatione ſua facienda per alios compurgatores, & ſi tunc ſe legittime probaverit eſt dimittendus ab officio Iudicis & pronunciandus ſe legittimè purgaſſe & reſtituendus eſt priſtinæ ſuæ famæ; cauſa vero quæ inducat Iudicem ad hanc ſecundam purgationem concedendam hæc eſt, ſi objectiones probatæ contra compurgatores primos rejectos tales fuerunt, quæ parti eos producenti ante incognitæ fuerint. Duo tamen notanda ſunt, primum quod intimatio iſtius ſecundæ purgationis eſt denuncianda & publicanda, & admittendæ ſunt objectiones contra eandem ut ſupra quoad primam purgationem. Secundum licèt pars rea ad hanc ſecundam purgationem admiſſam legittime ſe purgaverit, non tamen eſt admittenda donec primo ſolverit expenſas per oppoſitores primos. Nam ſi primi oppoſitores defeciſſent in probandis objectis condemnandi eſſent Reo in expenſis;

TITVL.

TITVL: CCCXXVIII.

Cautio tam accuſatoribus in criminalibus cauſis voluntarijs quam Guardianis œconomis ſeu inquiſitoribus.

SI quis accuſatus fuerit quamvis judicialiter de crimine aliquo per voluntarium promotorem, ſi non probaverit veritatem criminis objecti vel ad minus famam publicam ex cauſis & præſumptionibus vehementibus ortam, ita utut purgatio canonica accuſato indicta, vel indicenda ſit, tenetur de actione injuriarum, vel accuſatus poteſt agere contra accuſantem in cauſa diffamationis, & accuſans non minus etiam magis puniendus eſt, (id eſt, pœnitentia gravior & magis publicè aſſignanda eſt) quàm pro verbis diffamatorijs publicè verbotenus prolatis. Similitèr ſi Guardiani œconomi vel inquiſitores quemquam de crimine notorio, & per Eccleſiaſticum Iudicem corrigendo, vel de fama publica præſentaverint, & præſentatus legittime tam de crimine quam de fama ejuſdem ſe purgaverit, vel ut in titulo prædicto famam (utcunque præſentatam) ortam fuiſſe & originem ſumpſiſſe ex malevolis & perſonis infamoſis, & aliquando ex ſola & nuda accuſatione mulieris propriam turpitudinem ſuam confitentis probaverit, & Iudex ratione probationis hujuſmodi præſentatum ab officio ſuo, nulla indicta purgatione dimiſerit, præſentatus poteſt agere contra hos præſentantes in cauſa diffamationis ut ſupra, *De accuſatoribus voluntarijs.* Caveant igitur omnes, nè de cætero quenquam accuſent, aut de aliquo crimine aut fama criminis præſentent, niſi crimen aut famam ejuſ-

dem ex juſtis cauſis & præſumptionibus vehementibus originem habuiſſe (ſi ad id compellantur) probare poſſint; Idem quamvis fama vel rumor alicujus criminis apud multos & graves & probos laboraverit, vel aſperſus fuerit, tamen ſi originem habuerit ex inimicis vel nuda accuſatione mulieris infamatæ, præſentatio ſeu detectio ſpecialis & particularis ſecundum Rei veritatem, (id eſt, talem famam vel potius rumorem ſparſum eſſe per tales perſonas, vel per accuſationem aut confeſſionem in ipſo partu, aut puerperio mulieris cognitas, ac propriam turpitudinem allegantis,) & non generalis (ut communiter fieri ſolet) fieri debet, & faciendâ eſt. Et tunc ſi præſentatus inſtituerit actionem in cauſa diffamationis cadet in cauſa, ſi replicatum & probatum fuerit famam vel rumorem laboraſſe aut ſparſum fuiſſe prout in præſentatione continetur.

TITULUS CCCXXXIX.

Forma confirmandi Epiſcopum, & quæ facienda ſunt per Procuratorem tempore ejus confirmationis.

IN primis die & loco pro hujuſmodi confirmatione fiendâ aſſignatis coram venerabili viro *N.* commiſſario, &c. præſententur literæ commiſſionales & patentes Regiæ de aſſenſu Regio &c. ſub ſigillo magno *Angliæ*, & coram eo publicè legantur. Quibus lectis aſſumat in ſe dictus commiſſarius onus executionis dictarum literarum commiſſionalium, &c. & decernet procedendum fore juxta vim, formam, & effectum eorundem.

Tunc

Tum compareat Procurator Decani & Capituli, *W. J.* qui exhibeat procuratorium suum pro dictis Decano & Capitulo, & faciat se partem pro eisdem & præsentet eidem Commissario Reverendum Patrem Dominum electum *W.* Episcopum ac fistat eum coram eodem.

Deinde exhibeat dictus Procurator Capituli *V.* mandatum citatorium contra oppositores, *&c.* alias emanatum, cum certificatorio super executione ejusdem & petat omnes citatos præconizari; Et tunc fiat trina præconizatio omnium citatorum, *&c.* Quibus præconizatis & nullo modo comparentibus Procurator Capituli accuset eorum contumaciam & petat eos reputari contumaces, & in pœnam suarum contumaciarum hujusmodi viam ulterius opponendi contra dictam electionem eis & eorum cuilibet præcludi; & quatenus dictus commissarius ad ulteriorem processum in dicto confirmationis negotio juxta juris exigentiam procedat, ipsorum sic citatorum & non comparentium absentia sive contumacia in aliquo non obstantibus prout in schedula quam legat dictus commissarius.

His sic gestis dictus Procurator Capituli det summariam petitionem in scriptis, quam dictus commissarius ad ejus petitionem admittat quatenus de jure, *&c.* & decernat procedendum fore summariè, & de plano, & assignet Procuratori terminum ad probandum eandem ad statim.

Deinde dictus Procurator Capituli in subsidium probationis contentorum in dicta summaria petitione exhibeat instrumentum sive literas testimoniales super processu electionis in forma authentica facto, ac sigello communi dicti Decani & Capituli sigillato, nec non literas patentes Regias de assensu Regio eidem electioni adhibito ac instrumentum super consensu dicti Do-

mini electi, quatenus faciunt pro intentione dicti Decani & Capituli &c & dictus commiſſarius ad petitionem Procuratoris Capituli aſſignet terminum ad audiendam ſententiam ſive finale decretum ad ſtatim.

His expeditis fiat alia trina præconizatio omnium citatorum, &c. quibus ſic præconizatis & nullo modo comparentibus, dictus Procurator Capituli accuſet eorum contumacias & in pœnam contumaciarum ſuarum hujuſmodi, petat ut dictus commiſſarius decernat procedendum fore ad prolationem ſententiæ diffinitivæ, ſive finalis decreti ipſorum ſic citatorum non comparentium eorū abſentia ſive contumacia in aliquo non obſtantibus, prout in ſchedula quam legat dictus commiſſarius. Deinde dictus electus præſtet juramentum de agnoſcendo ſupremam Regis auctoritatem, & alia juramenta ſolita.

Quibus præſtitis dictus commiſſarius leget ſententiam diffinitivam pronunciando, declarando & cætera faciendo prout in eadem continetur.

Tunc dictus commiſſarius ad petitionem Procuratoris Capituli & Domini electi decernet literas teſtimoniales ſuper præmiſſis, &c.

Δοξα τω θεω.

FINIS.